



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>



4<sup>o</sup> Epist. 45<sup>3</sup>/<sub>2</sub>

Cicereius



4<sup>o</sup> Epist. 45<sup>3</sup>/<sub>12</sub>

Cicereius





# FRANCISCI CICEREII

EPISTOLARUM LIBRI XII

ET ORATIONES QUATUOR.

M. MAPHÆI FILII

EPISTOLARUM LIBER SINGULARIS

ET ALIORUM VARIA

QUÆ OMNIA EX MSS. CODICIBUS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODEUNT

ADJECTIS ILLUSTRATIONIBUS

ET FRANCISCI VITA

CURA ET STUDIO

D. POMPEII CASATI

ABBATIS CISTERCIENSIS ET DIPLOMATICES PROFESSORIS.


VOLUMEN SECUNDUM.



MEDIOLANI. MDCCLXXXII.

TYPIS IMPERIALIS MONASTERII S. AMBROSII MAJORIS.  
CUM APPROBATIONE.





3

# FRANCISCI CICEREII EPISTOLARUM.

---

## LIBER NONUS.

### EPISTOLA I.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *De nonnullis libris.*

**E**XPECTAMUS summo cum desiderio *Commentaria* Majoragii a te excusa. Qua in re tuum fuerit, mi Oporine, id dare operam ut, quod facere consuevisti, prius libri hi ad Auctorem suum veniant, quàm alibi publicentur, ne forte, si aliis ante innotuerint, quàm ei, cui dicati sunt, nitorem suum amisisse videantur. Inter libros illos, quibus superioribus diebus Bibliothecam meam exornari voluisti, meministi fortasse esse opera duo Omphalii J.C., (1) in quorum altero, quod *de Legum usurpatione* inscriptum est, deesse, ut fit, animadverti folium illud, quod in numero est 275, in literarum serie M. 2., ejus denique prima omnium dictio *fuit*. Hoc igitur cum integrum habere cupiam, erit tuæ humanitatis, ad me folium illud, quod desideratur, transmittere. Cælio Curioni (2) Italo homini, qui istic, ut arbitror, publice Oratoriam artem profitetur, velim dicas, si modò hoc sine tuo incommodo fieri potest, ut, si forte, quæ requirebat, pervenerit ad eum Aristotelis *Rhetorica* Majoragii nostri labore in Latium deducta, & in ea multa offenderit, quæ minus probentur, ne miretur; imo cogitet versionem illam ideo præpropere publicatam, quòd instarent tempora illa, quibus impertienda esset auditoribus, quibus ille labor omnis impendebatur, idque eo consilio, ut, dum prælegeret Majoragius, passim & emendaret, & interpretaretur: arbitreturque esse adhuc sub incude cum amplissimis commentariis tuam aliquando diligentiam, & curam sensuris, mox in publicum exituris. In *Historiæ* Arluni specimine mittendo,

A ij

si modo excudi cœpta est, nolim mihi desis, ut tandem Arlunus me precibus obtundere desinat. Majoragius tibi s. p. d. Vale, XII. Kal. Novembris, MDLI. Mediolano.

(1) De Jacobo Omphalio Germano J. C. vide Morerium, Morhofium, & alios. Duo opera Omphalii in indice librorum extant per Oporinum partim venalium, partim excusorum Basiliæ impresso anno 1552, quem Ambrosiana Bibliotheca servat, nempe illud *de Legum Usurpatione*, de quo in hac epistola est sermo, excutum in fol. per Oporinum anno 1550, mense Septembri, & aliud item in fol. *de Officio, ac Potestate Principis in Republica bene, & sancte gerenda*.

(2) Nempe Cœlius Secundus Curio, qui Cyriaci, quod Pedemontii est oppidum, septimo ab Augusta Taurinorum lapide, anno 1502 natus, Catholica ejurata Religione, Lutheranae sectæ adhæsit, humaniores litteras docuit Mediolani, ubi & nobilem, ex hac urbe, uxorem sibi duxit Blancam Isaacam; tum eadem eloquentiæ studia Taurini, Lausannæ, ac denique Basiliæ professus est ad annum usque 1569; quo ibi mortem oppetiit. (a) Plures eximie eruditionis condidit, evulgavitque libros, ut mirum sit nomen ejus prætermisum fuisse a Francisco, atque Augustino ab Ecclesia, (b) atque in *Theatro Statuum Sabaudia domus*, ubi de Cyriaco oppido, ac de eruditis viris inde exortis fit sermo.

(a) V. Morerium, Thuanum, Morhofium, Clementem Davidem, Tiraboschium.

(b) *Catal. degli Scrittori Piemont., Savoj., e Nizz.*

## EPISTOLA II.

STEPHANO FERRARIO S. P. D.

ARGUM. *Litteras ad alium mittendas tradit.*

QUOD, ex quo a nobis discessisti, nihil mihi de te nunciatum fuerit, non perinde sum miratus, ut moleste tuli. Malebam tamen hoc tempore adhuc expectare tuas literas, quàm meis tua studia felicibus auspiciis nuper inchoata aliquo modo interpellare, nisi amici cujusdam precibus adductus fuisset, ut a te literas peterem, ut cum his conjunctas literas ad Bibliopolam illum, ad quem scribuntur, diligenter perferri curares. Quod ut facias, te etiam, atque etiam rogo, simulque cupio, a te mihi vicissim mandatorum aliquid dari, si modò quicquam est, quod ego hic tuam in gratiam curem. Vale, Kalend. Decembris MDLI. Mediolano.

## EPISTOLA III.

HIERONYMO CARDANO PHILOSOPHO, ET MEDICO  
VALDE INSIGNI.

*ARGUM. Post aliqua in observantiæ testificationem tristari se ostendit, quod Filium ejus in sui disciplinam non amplius tradere, mutato animi consilio, velit. Totus vero est, ut demonstret, confictum id esse, cujus causâ suboffensum ejus in se animum intellexerat.*

**E**GO Cardane, quo tempore cœpi doctissimos libros tuos lectitare, statim eruditione singulari, miraque doctrina tua sum allectus ad te, non dicam ut hominem amandum, observandumque, sed tanquam Deum aliquem colendum. Nam si mortalium quispiam est, qui divinarum, humanarumque rerum cognitione proxime ad Deum accedat, tu certe accedere existimandus es, qui unus in ista viridi adhuc ætate tua (a) plura scientiarum genera percepisti, publice docuisti, (1) & scriptis mandasti, (2) quàm centum alii toto vitæ suæ curriculo vix aggredi, attingere, & aliquo modo degustare potuerunt. Hujus autem mei erga te amoris, atque observantiæ non testis adducam nostrateis plurimos, non multos Italos, neque exterarum nationum homines aliquot, quibuscum magnus mihi usus esse consuevit; quandoquidem unus mihi fuerit instar omnium, qui & te facit plurimi, & te observat vehementer, quique tantus est, quantum tu eum esse tuis in scriptis voluisti, & quantum eum esse oportet, qui multum sapiat; & quæ sentit, recte, politeque eloqui possit; atque is est, quem & tu videris agnoscere, Marcus Antonius Majoragius. (3) Hic, inquam, locupletissimus testis est mei erga te animi, hic scit, quàm sæpe maxime honorificos de te sermones secum habere consueverim. Hic denique sapius audivit me magna cum lætitia recensentem, quæcumque ex sermone tuo (si quando eo frui licuisset) collegissem. Hic quanto cum desyderio tuam ipsius amicitiam expeterem, cognovit, eâ tandem partâ exultantem vidit, sibi ejusdem auctori immortalis me gratias agentem sensit. Hoc itaque animo cum semper erga te fuerim, magnum quiddam me affecutum fuisse tum arbitratus sum, cum mihi in febrim lapsa statim ea liberari a te contigerit, quod mihi benefi-

(a) Annum tunc 51. vel 52. suæ ætatis agere debuit Cardanus. V. supra pag. 245.

cium eò magis semper visum est, quod a Cardano fuisset profectum. Idem in Matris meæ valetudine, cui recuperandæ unica præceptione plurimum profuisses, factum fuisse existimavi. Cum autem tua morum facilitate factum esset, ut non gravareris mea tibi deditissimi (4) uti opera, si qua in re meum tibi ingenium, quod exiguum esse sentio, aliquid efficere posse cognovisses, credidi nihil mihi neque majus, neque honorificentius dari posse. Testis mihi est ipse Deus, qui, quod ait Homerus de sole:

. . . Πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει; (a) quantopere eo lætarer gloriarerque, quòd scilicet Cardanus tantus vir me ipso minime gravaretur. Cum vero tibi libuisset, filium tuum meæ fidei tradere, quid eo tempore me cogitasse arbitraris? Quantum præ maxima læticia exultasse? Quas ego divitias? quam opimam conditionem? quod regnum eum eo facto contulisses? arbitrabar enim aut nihil unquam, aut certe illud maxime ad honorem, atque existimationem meam pertinere, quòd tu hujus florentissimæ civitatis doctissimus tantum diligentiam meæ tribuisses, ut ex tot nostri ordinis hominibus me potissimum delegisses, cui filium tuum committeres erudiendum. Imo id ipsum tam gloriosum videbatur, ut, quod poetice dicam, vertice sydera ipsa pertingere (b) mihi viderer. Quid enim hoc non faceret homo adolescens, gloriæ, atque honoris cupidus, cum tanti viri judicio se commendari intelligeret? Quamobrem non potui non dolere, cum hanc sententiam immutasti, aliique hanc ipsam curam demandare commodius fore tibi visum est. Æquius id tamen mihi ferendum censui, quòd non ignorarem iniquum videri, si quis non putaret, integrum esse parentibus omnibus, quibus visum fuerit, iis potissimum liberorum suorum eruditionem commendare, eosque, quos ipsi velint, magistros constituere. Sperabam tamen, cum non levibus de causis coaluisset, amicitiam inter nos duraturam. Itaque mecum ipse dicebam: quid Cardanus noster filium suum a nobis ablegavit? fecit, fecerit, licuit enim, idque ei felix, faustumque sit. Non desunt a quibus ejus Baptista (5) vel melius, quam a nobis instituat; non iccirco tamen animum erga se meum improbabit, quem in omnibus sibi deditissimum esse perspectum habet. Sed o fallaces hominum cogitationes, & vanæ spes, quæ sapissime vix susceptæ suo falluntur augurio, & tanquam insomnia ex oculis vigilantium vanescunt! Nam, cum diligenter inquirerem, quomodo tam cito tua voluntas esset immutata, quod scilicet a me filium

(a) *Odys.* 11., & 12. omnia videt, & omnia audit.

(b) *Horat. Ode 2. sublimi feriam sydera vertice.*

tuum tam festinanter abduxisses, improbaretque ejus laborem, ac diligentiam videreris, quem aliàs tot laudibus, quæ tua fuit humanitas, extulisses, mihi significatum est, te mihi non leviter succensere cœpisse, quod, cum pro foribus mulæ insidens astitisses, meque per puerum domo evocasses, ad te accurrere, ut tu quidem arbitraris, dedignatus fuisset, quod non potius de mula descendisses, me allocuturus, quàm sedens expectasses. Hoc cum mihi præter expectationem, omnemque opinionem evenisset, sustuli statim manus: tanta fuit ex ea re admiratio. Nam quis ego sum, qui Cardanum nolim in mula sedentem alloqui? cui, si opus esset, ex animo servirem, neque quicquam facere me indignum arbitrarer. Hunc ego ex humiliori loco non alloquerer, quem non dilexi solum, amavique, verum etiam propter solidam omnium scientiarum cognitionem maxime colui, & observavi? Hunc ego aliquo pacto offenderem, cujus denique amicitiam tandiu ambivissem? hujus ego animum a me tam leviter alienarem? Non sum, mihi crede, tam desipiens, qui mihi a tam manifestis erroribus cautum esse nolim. Quare vides Cardane, quàm hæc ab ipsa veritate sint aliena; quæ si forte apud te nullam mihi faciunt fidem, saltem cogita, non ita facilè de me suspicandum fuisse, quod superbum, atque arrogantem hominem præferret; cum præsertim domi me tuæ non multò ante vel in os ab eo potissimum, quod tibi comis viderer, laudasses. Nam, si ego is sum, quem tu aliàs esse voluisti, quomodo in hujus criminis suspicionem apud te adduci possum? Nullum certe commercium est comitati cum superbia, atque arrogantia. Neque verò arbitror mores meos taleis unquam visos fuisse, quandiu aut tecum versatus, aut tibi cognitus fui. Quod si ita est, vis meas vitæ rationes tam subitò immutatas fuisse? Quapropter mihi faciendum videtur, ut rem, quemadmodum gesta est, tibi proponam: mox, si tibi videbitur, vel conceptam de me opinionem depones, & tuum a me animum nusquam læsum putabis, vel, si mereri intelliges, quod cœpisti, odisse perseverabis, & in sententia tua permanebis. Nam, cum servulus tuus ædeis meas ingressus me commonefisset, te pro foribus astare, qui mecum colloqui velles, ei statim respondi, me (quod res erat) quibusdam velaminibus, arcendi frigoris causa comparatis, involutum, non satis honeste prodire posse, ideoque his rejectis mox accursurum. Hic, dum ad te revertitur, veritus ego, ne mora longior interponeretur, ita ut eram, accurro: malebam enim parum compositus pertransuentibus videri, quàm te in foribus diutius detinere; vix enim ad medium limen celeri gressu pervene-

ram, cum te recessisse cognovi. Quo tempore si sperassem non læsum iri existimationem tuam, quantacumque est, in illo tamen habitu tantum cursu effecissem, ut te abeuntem revocassem, imo, si te inde offensionem ullam accepturum putavissem, astantium omnium quaslibet cogitationes, & de me judicia, ut te tandem consequerer, facile sprevissem; sed cum quædam honesta de me vicinorum opinio me detinuit, tum illa cogitatio remorata est, quod existimarem te, utpote verum Philosophum, his ineptiis, quas vulgus curat scilicet, non moveri debere: succurrebat etiam illud mihi, quod Ovidius de tui similibus, hoc est præstantissimis viris scriptum reliquit: (a)

*Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,  
Magnarumve fames sollicitavit opum.*

Adde quod id carmen tibi semper probatum fuisse sciebam:

Κενῶς δὲ εὐξῆς οὐδὲν ἀδλιώτερον. (b)

Præterea eum Philosophi animum semper in doctissimorum hominum scriptis fuisse, memor eram me contemplatum, qui hujusmodi vanas hominum cogitationes, quarum cupiditate quidam inflammantur, ita contemneret, ut nihil inanium esse, nihil levius existimaret. Quæ cum ita sint, facile credidi etiam, si quis idem in te crimen, quo me immerentem condemnare nunc videris, commisisset, te nequaquam commotum iri hoc nihili honorum genere, quasi excelsus ille animus tuus, qui semper cælum ipsum collustrat, divinis inhiat, alta contemplatur, ad has humillimas, & maxime vulgares cogitationes traduci possit. Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, Cardane, talisque fuit tum mea de te cogitatio, quæ licet nuper eò me adducere videretur, ut iis non facile credendum putarem, qui te mihi iratum esse dicerent, nolui tamen mihi deesse, quin apud te causam meam agerem, ne si forte illi non omnino mentiantur, tacens crimen meum agnoscere viderer, & causâ indicatâ a te condemnarer, in qua, si longius fortasse progressus tibi videor, vehementem meam erga te benevolentiam accusa, nam quis non minus peccare eum sciam, qui hæc tibi, quàm illum, *qui mel Aristæo, poma dat Alcinoò*, (c) hæc nanque tibi domi nascuntur, tamen ea me cura sollicitat angitque, neque quiescere finit, ne scilicet tuum præstantis animum hominis a me, qui longe absum, a culpa, offensum existimari diutius patiar. Ut igitur dicendi finem faciam, unum illud, Cardane, restare videtur, ut cogites ex tuine amantissimi-  
morum

(a) *Fest.* 1.

(b) Vana autem gloria nihil miserius.

(c) *De Ponto* 4. *Ep.* 2.

morum numero sim exigendus, an in eo retinendus, cum honoris tui semper cupidus fuerim, magnisque beneficiis a te affectus, semper gratiam rependere, si non parem, at saltem aliquam studuerim, cum denique nihil unquam non dicam, fecerim, sed ne facere quidem cogitarim, unde ne minima quidem in te offensa exoriri posset. Nam si amicum tam levi suspitione rejicis, quam juste id facias, ipse videris. Nihil tamen me impediens, quin tuarum virtutum vehemens sim admirator: sin retines, meque eum erga te putas, qui & semper fui, & adhuc sum, polliceor fore, ut nunquam te poeniteat, aut me tibi amicum putasse, aut in tuorum numero retinuisse. Ut enim Fortuna cætera mihi neget, ero saltem, qui hætenus fui, ubicumque fuero, existimationis tuæ illius magnæ buccinator, non tantus quidem, quantum tuorum ornamentorum numerus, ac magnitudo postulat, sed certe nec contemnendus.

(1) Mediolani tunc degebat Cardanus, anno scilicet 1551, aut 1552, quo hæc scripta epistola, & jam eo tempore Papiæ, ac Mediolani Philosophiam, necnon Medicinam professus fuerat. (a)

(2) Quot libros, quosve ea ætate confecerit Cardanus, dignoscere licet ex duplici libello de *Libris Propriis*, altero ad Hieronymum Cardanum affinem suum, altero ad Nicolaum Siccum Justitiæ Præfectum, atque ex *Vita Propria* ejusdem Cardani cap. 45.

(3) Singulariter sibi amicum Majoragium, ipsemet Cardanus fassus est de *Libris Propr.* ad Nicolaum Siccum pag. 94. inquit: *Is (nempe M. Ant. Majoragius) quam mihi esset amicus in hendecasyllabis, aliisque carminibus, nostris libris adjectis declaravit.* Tum subdit; *servaveram autem ter, aut quater a maximis vitæ periculis*, pergitque narrans, in extrema etiam Majoragii valetudine eundem invitasse, atque exitium illi imminens, secus ac alii Medici existimaverant, prænuñtialse.

(4) Id est qui tui deditissimus sum opera. Culpant hanc scribendi rationem docti alioquin Grammatici, velut Despautherius in *Syntaxi*, pag. 317. sed veterum auctoritate Cicereii locutionem comprobare possumus. Cato ad Cicero- nem: (b) *tuam virtutem domi rogati, armati foris pari industria administrare gaudeam.* Plinius Cœcilius: (c) *incipio gloriam petere post judicium tuum viri eruditissimi.*

(5) Hieronymi Cardani filiorum primogenitus, post quem filius, ac filia ab eodem geniti fuere, (d) Patris doctrinam, atque eruditionem æmulari studuit, eidem Medicæ disciplinæ incubuit, ac nonnulla typis tradidit. (e) Cicereius idem, *Cod.* apud nos 104 (f) laudat Baptistam Cardanum, & hujusce filium Jacobum

(a) V. Tiraboschium *Lectorat. Ital.* tom. 7. par. 1. lib. 2. pag. 370.

(b) Lib. 15. *Epistols* 5. *Famil.* Ciceron.

(c) L. 1. epist. 8.

(d) Cardan. de *Vita propr.* cap. 4. 16. 17.

(e) V. Picinellum, Argelaturn, Brambillam, & alios.

(f) *Antiq. Monum.* lib. 2. *Mon.* 13.



inquiens. *Jacobus Cardanus, Baptisæ Medici clarissimi filius mihi non minus ob morum, & vitæ integritatem carus, quam ob sacerdotium, quo præditus est, religionemque venerandus. In obitu Baptisæ Cardani Epigramma \* est Baldini in Lusibus pag. 95.*

## EPISTOLA IV.

ANDREÆ CAMUTI Q. S. P. D.

*ARGUM. Filium ejus rite studiis deditum gaudet. De acceptis nummis adscribit.*

**N**ULLA mora interposita binis literis tuis respondiſsem, niſi illæ me quàm occupatiſſimum offendiſſent; ſepoſuiſſem tamen omnia negocia, ſi quid habuiſſent, quod in hanc diem differri non ſatis commode potuiſſet. Quòd Eugenius noſter probe ſe gerit in Dialectica, valde mihi gratum eſt. Nunc unà cum Ænea Virgiliano illud dicas licet Camuti:

*Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem. (a)*

Qua in re Deum tibi propitium eſſe velim. Tandiu tibi debeo, & tamen me non appellas? non loquor hic de ære alieno illo magno, quod aliquot annis ante conſlavi, ſcio illic me non eſſe ſolvendo; quare vereor, ne fides apud te mea aliquando concidat, ſed de rationibus nuper inter nos inſtitutis loquor. Nam Eugenius non diutius apud me fuit, quàm totis novem menſibus, cùm interim tu ad me octo & viginti aureos nummos miſeris; quod cùm ita ſit, eſt apud me reliquus de ratiuncula aureus unus, quem noſtri tibi reddent, a me de hoc admoniti. Cæterum, ſi quid tibi efficere hic poſſum, me, ſi vis & lubet, utere, quem tuum eſſe intelligis & uſu, & mancipio. Cum Patri tuo, Patruo, & Fratri præſtantiffimis hominibus ſalutem ex me dixeris, Eugenio ſuavium dabis. Quod ſi forte Offutium noſtrum obvium habueris, illum admoneas velim his verbis: Cicereius ſe non immemorem tui vivere ſcribit. Vale, Kal. Febr.

(a) *Æneid. 12.*

## EPISTOLA V.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *De cunctatione queritur: pauca alia.*

**E**x literis tuis, quas Leporarius Christophorus noster ad me attulit, satis edoctus sum de Majoragii librorum editione; ideo sic habeto, accipi quidem a nobis excusationem tuam, sed non æquo animo ferri tantas moras. Quid enim? Scribis, te absoluturum utrumque opus intra mensem Septembrem, & jam elapsis tot mensibus ne quater-nionem quidem alterius unum absolvisti, cum interim ego sæpius inrepor, neque levius pungor eò maximè, quòd video & Gryphium, & Torrentinum, multosque alios librorum descriptores precibus a Majoragio contendere, ut ille sibi scripta det sua invulgan-da, vixque jam cum possum continere, quin promittat, paciscaturque cum illis. Videor etiam meritò conqueri posse de te in eo, quod Arluni *Historiam* pertinet, cujus, si modò sub prælo est, vel mini-mum specimen ad me mitti toties oravi, neque adhuc impetrare po-tui. Hæc scripsi ad te asperius, quòd mihi sane quàm molestum esset, hos illustres viros a me inanibus pollicitationibus tandiu lactari. Quod si res mea esset, nihil jam tale audires; imò, quantum pro arbitrio tuo velles, differri paterer. Caterum Majoragius Præfationem scribet brevi, quam petis, transmittetque, quod cum fecerit, qua forma vo-lueris, librum imprimes. Doleo in tempore ad te non perlatas illas literas, quarum exemplum huic epistolæ attexui; nam hoc ipsum col-legi ex eo, quod scribis *de Rhetoricis* apud Cœlium cognitis. Cupie-bam enim ante hoc tempus Cœlium de eo admoneri, quo de ad te scribebam. Dialogus, quo me donasti, fuit mihi gratissimus. Vale, Nonis Martiis, Mediol.

In Arluni *Historia* cum videris factam mentionem de Jacobo Me-dice, Mussi Marchione, memineris rem ita tractare, ut nihil ille in eo offendatur; ego te de hoc admonere non desinam, donec rem per-fectam esse videro.

## EPISTOLA VI.

NICOLAO VICECOMITI S. P. D.

**ARGUM.** *Nicolai Fratrem in iisdem cum eo studiis simul adjuncturum sperat. Litterarios ejusdem Nicolai labores tum ab ejus Parente, cum a se ipso commendatos fuisse inquit.*

**H**AS literas aliquot ante mensibus ad te mittere constitueram, misissemque, nisi gratissimo adventu tuo præventus fuisset; quas, cum casu quodam reperiissem, transcripsi, ad teque, ne omnino periisse viderentur, dedi. Spero fore, ut, Superis approbantibus, Antonium (1) fratrem tuum, discipulum meum, ad Kalend. Septembris tibi socium in studiis adjungam, nostris nanque laboribus, studio, diligentiaque sua non parum feliciter respondet. Hic ego, mi Nicolae ornatissime, non te hortabor, ut interim strenue te geras, quò fratri charissimo dux optimus esse possis, eique viam præmonstres, cum in studiis tantum te proficere vere sentiamus, quantum eum decet, qui, quibus parentibus ortus sit, quantamque spem apud suos concitarit, probe intelligat; dicam tamen illud, quod tacere, nefas esse putarem. Heri ad vesperam, sicuti meus est mos, ad Patrem tuum, Clariss. virum, salutatum veneram, cum ecce tribus primis verbis, ille de te: Nicolao bene est; at ego statim: id mihi gratissimum est omnium; tum ille subsequutus, Diis, inquit, immortalibus maxima habenda est gratia quod hic noster, quid ille studiorum locus postulet, satis intelligit. Nam omnium sermone, & literis ad me perfertur, ipsum de nulla alia re, nisi de literis cogitare, neque verò videor eundem omnibus rebus frustra quàm ornatissimum domo emisisse, quandoquidem tam bene omnem operam suam in studiis collocat. Hæc cum dixisset; ego huic sententiæ facile subscripsi, approbavi que quibus potui ejus de te judicium, & id quidem multis verbis, quæ libenter repeterem, nisi vereretur, ne si longior fuero, videar potius te cohortari ad ea, ad quæ maxime per te ipse inflammatus es, quàm meum erga te amorem testificari voluisse. Francisco Abduensi (2) & M. Antonio Alezio (3) summæ spei adolescentibus s. p. dices. Vale, x. Kal. Febr. MDLII.

(1) Qui filius Jo. Baptistæ, de quo supra pag. 3 & alibi, idemque pater Hieronymi, a quo genitus fuit Aurelius. Ita ex *Genealog. Stemmat.* in Archivo Belgiojofiano.

(2) Franciscus Abdua Erasmi, & Isabellæ Rotulæ filius ex J.CC. Coll. Mediolani, qui decessit anno 1598. (a) Oratio autographa Francisci Alciati pro cooptatione Francisci Abduensis in Collegium J.CC. extat in Archivo Belgiojofiano.

(3) M. Antonius Alesius, aut Aresius, (utrunque enim de hac illustri familia dictum) (b) Crescentio, Sitono, & aliis celebratur, nobilium J.CC. Mediolani Collegio adscriptus anno 1560, Gubernator fuit Arimini, Regens Cancellariæ Bononiensis, in patria Vicarius Justitiæ, Regius Ducalis Senator, & Cremonæ Prætor. Obiit anno 1576, atque in Basilica S. Victoris sepultus cum brevè hac epigraphæ: *M. Antonius Aresius Senator Regius Mediolani sibi, liberisque posterisque. T. F. I.*

Inscriptio hæc, quæ modò non amplius spectatur, legebatur olim in eo illius Templi Sacello, quod sextum est a latere dextro Templum incuntibus, quod Sacellum in elegantiorè, quæ nunc visitur, formam restituit Comes Bartholomæus Aresius Senatus Mediolani Præses anno 1669. (c)

Baptista Alesius M. Antonii (d) Frater, Cicereii discipulus fuit; ita ex Codice ejusdem Cicereii, quem possidet D. Joannes Recalcati.

Alexander Aresius Joannis Pauli filius, ac patruelis M. Antonii Senatoris (e) præceptorem pariter Cicereium habuit. (f)

(a) V. Siton. de J. PP. Coll.

(b) V. Crescentium *Anfiteatro*, & Marinon. de Famil.

(c) *Lituada Descrizione di Milano* tom.4.

(d) Crescentius *Anfiteatro* pag. 97.

(e) Ex actis Collegii, & ex Sitono de J. PP. Coll. pag. 159.

(f) Ex Codice Epistolarum Cicereii in Archivo Belgiojofiano, pag. 375.

## EPISTOLA VII.

FRANCISCO ADUENSI ERASMI FILIO (a) S. P. D.

*ARGUM. Roganti Francisco, edocerique cupienti, quomodo uberiores ex scientiis capere fructus posset, modeste primùm a consilio præbendo se eximit, tum subdit, rectissime ipsomet sapientiæ viam inivisse, ad quam gnaviter insistendum cohortatur, ac denique, quominus Genitori ejusdem obsequatur votis potestatem sibi deesse, non voluntatem.*

**E**XPECTAVERAM diutius quàm par erat promissas mihi tuas literas, & tamen nolebam, dum promissum a te repeterem, videri studiorum tuorum cursum remoratus, quanquam eum bene, ac gnaviter negotiosum esse oportet, cui ne tantum quidem temporis supersit a negociis, quantum satis sit ad unam, atque alteram epistolam conscribendam. Quo tempore tandem illæ mihi redditæ fuerunt, exoptatæ quidem

(a) Erasmus Rinaldo genitus ex ux. fuit Mediolani Decurionibus. V. Siton. de J. PP. Colleg. pag. 161. & alios.

valde, sed tamen mihi non satis aptæ: vis enim a me doceri rationem aliquam, qua instructus uberiores fructus ex studiis tuis capias. Qua in re stultum te meo jure dicerem, quod ex aliis id quæreres, quo ipse maxime abundas, torqueremque illud in te meritò: *tute lepus es, & pulpamentum quæris*, (a) nisi intelligerem tantam esse tuam discendi sitim, & aviditatem, ut, licet plurimum proficias, nunquam tamen tibi ipsi satisfacias; ideoque non dubites ab aliis petere, quod tibi abunde suppetat: & nisi me a te non leviter amariclare perspicerem, nam, quorum vehementi amore tenemur, in iis, quemadmodum & tu intelligis, multò plura laude digna, quàm quæ revera sunt, esse arbitramur, ut docte dixerit Virgilius: (b)

*Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?*

Caret enim oculis amor in judicando, quod vel ex eo, quod doctissimi homines fictis fabulis de Paridis judicio tradiderunt, satis verum esse constat. Atque utinam, mi Francisce, ea esset in me eruditio, ut tui similibus viam, qua ad optatum scopum pervenirent, præmonstrare possem: non enim parum adhuc profecisse mihi viderer. Ego, quantum possim, ipse sum mihi conscius, qui sapius in me ipsum descenderim, meque meo modulo, ac pede dimensus fuerim. Conarer tamen, utcunque liceret, tibi morem gerere, si tu is esses, qui viam aliquam esses ingressus, quæ te eò perducere nequiret, quod tui omnes cupiunt, apud quos maximam de te spem concitasti. Verum enim vero, cum te ingressum pleno gradu videam, plenisque velis ferri ad ea sentiam, quæ mortaleis immortalitate donare, & in summa dignitate collocare possunt, quid ego tibi præeam, aut iter monstrum? Nihil igitur mihi dicendum fuerit, ut petitioni tuæ satisfaciam? Minime verò, imo durus nimium, & tui parum studiosus fuero, si hoc tibi denegavero, præsertim cum rem honestissimam, & mihi facilem te petere arbitreris, præcluserisque mihi omneis subterfugendi aditus, adeo ut sine ignominia tacere non posse videar. Faciam itaque, non id quidem omnino quod petis, sed quod meum esse intelligo; & cum tibi rectissimum iter ingresso me duce nihil opus esse sciam, te saltem cohortabor ut facere pergas, quod facis, peragasque iter illud tuum, quod tam feliciter inceptum est. Neque enim minorem gratiam cum viatore quopiam inire is est perhibendus, qui ipsum rectum iter ingressum in eo continet, quàm qui eundem aberrantem comiter in viam reducit. Quanquam ne hoc quidem faciam, quod eo indigeas, sed ut meum in te amorem tester, simulque ut

(a) Terent. *Eunuc.* Sc. 3. act. 1.

(b) *Ecloga* 8.

aliquid petitioni tuæ dare voluisse videar. Nam eam ingenii bonitatem Deorum immortalium beneficio nactus videris, quam omnes quidem summis votis expetunt, sed pauci fortiuntur. Hæc verò socium sibi ascivit incredibile quoddam rerum honestarum desiderium, quibus duobus instructus ad literas accessisti, in quibus cogita, quemadmodum tecum hætenus egeris. Quod si feceris, amota illa ingenti aviditate, qua nunquam tibi satisfacis, intelliges facile, te maximos fecisse progressus, & tantos, quantos nusquam adhuc tua ista ætate alius. Quare te jam sibi certum columnen, ac ornamentum domus spondet tua, quæ nobilitatis splendore irradiata, & divitiarum magnitudine probe munita, nihil jam aliud sibi dari cupit, quàm præclarum literarum ornamentum, quod per te unum jam accipiet. Neque vero sum ita demens, qui hæc auribus tuis dare, & te usura falsi gaudii frui velim. Neque id tu mihi objicere potes, quòd ego tibi antea de amore, quandoquidem scribo, quod inter omnes Mediolanenses civeis constat, Abduensem scilicet Franciscum suorum æqualium omnium & esse studiosissimum, & doctissimum, jamque domum suam satis quidem per se illustrem, tantopere exornaturum, ut gloriæ celsitudine longe reliquas omnes sit superatura. Quæ cum ita sint, sequere naturam ducem optimam, teque in inceptis contine, neque alium jam tibi ducem, aliud iter quære. Quod si feceris, illos fructus, quos nunc percipis, majores in dies capies, & maxima illa præmia tuæ rarissimæ virtuti proposita, ad quæ jandiu aspiras, facile consequeris. Hætenus literis tuis respondi: nunc quæ adjiciam legere ne graveris; adjiciam autem, eo potissimum consilio, ne me tantummodo tuis literis impulsam ad scribendum venisse dicas. Pater ille tuus, vir ornatissimus, qui me humanitate quadam incredibili, cum primùm novit, est complexus, & comitate sibi devinxit, me ad se trahere volebat, conducereque mihi decreverat domum proxime ædeis vestras, quo sibi adjumento esse possem in fratribus tuis instituendis; quod cum ambo maxime cuperemus, non tamen præstare potuimus: propterea, quod neque ego vellem fidem ei datam frangere, qui mihi in iis, quibus nunc utor, ædibus conducendis auctor, & sponsor fuit, neque ille me cum alicujus incommodo sibi inservire. Quod licet manifestò appareat, satisfecerimque Parenti tuo, mihi tamen non satisfacio. Desiderarem itaque mihi dari aliquem, qui me apud tantum virum, & de me benemeritum excusaret. Quod nisi tu mihi præstiteris, quis, amabo, præstabit? Vellem igitur, mi Francisce, aliquam rationem inires ex myrothecio illo tuo depromptam, qua apud optimum Parentem tuum efficeres, ut

sibi persuaderet me cupivisse quidem, sed non fatis honeste obsequi potuisse. Hoc mihi si dederis, magnum quoddam beneficium me accepisse putabo. M. Antonio Alesio adolescenti bene instituto s. p. d., XIII. Kal. Aprilis, Mediol.

## EPISTOLA VIII.

FRANCISCO GALLARATO (I) S. P. D.

*ARGUM. Mores ejus, ac studia commendat; nunciari sibi quidpiam expetit.*

**E**PISTOLAM tuam hilari fronte excepi, cum non nisi bona, faustaque se adventu ipso adportare declararet. Qua in re meus nihil me fefellit animus; nam cum eam inspexi, cognovi, quod maxime cupiebam, te scilicet, compositis rebus tuis omnibus, literarum studiis sedulam navare operam, delegisseque tibi ex omni ista juvenum multitudine probatissimos, literarumque avidissimos, quibus familiariter uteris, & quibuscum de literis cotidie ageres, quibus addideras, te religioni etiam non deesse. Quod quidem unum tantam in se vim habere videtur, ut cæteris omnibus maximum incrementum sit inde accessurum, si ejus observantissimus esse perexeris. In quo vitæ genere, ut bene feliciterque a te instituto, ita diutissime retinendo, ut te contineas, non cohortabor, cum fatis ipse per te ad bene vivendum sis inflammatus. Unum illud tamen te orabo, ut, si me tuum Magistrum diligis, tibi ante oculos semper obversetur primò; quam spe pater ille tuus moriens, vir hujus Civitatis ornatissimus, Hieronymo Mayno, (2) sororis suæ filio, homini honestissimo te & alendum, & probe instituendum tradiderit; deinde qua hic expectatione, quæ promiserat, præstiterit; quidque tibi de amplo patrimonio suo sit pollicitus, si in eum virum, qui esse debes, evaseris. Quod si feceris, non dubito, quin spem nostram, licet maximam, superes, & ad nos omni virtutum genere cumulatus revertaris. Castellantio Francisco, (3) si quid mali accidit, valde doleo, atque equidem cuperem, ut mihi nunciasses eum totum in literis esse. Quod si facit, non vereor affirmare, fore ut brevi omnes æqualeis suos, longo post se intervallo relinquat, se illustrem omnibus reddat, & nobilissimam familiam suam, per se quidem ornatam, plurimum exornet. Nosti enim & tu probe, quali ille sit ingenio, quam prompto, quam vivaci, quam nobili. Vale, Nonis Aprilis, Mediol.

(1)

(1) Forsan Franciscus ex LX. Urbis Decurionibus, & Magistratus Quæstor, de quo Sitonius de *J. PP. Colleg.* Inter carmina plurium italica Mediolani impressa in 8. 1587, aliqua sunt Francisci Gallarati. V. Quadrium *Storia e ragione d'ogni poesia.* Tom. 7. pag. 149.

(2) Illustris Maynorum familia est, quæ olim nomen dedit vico hujus urbis, qui nunc dicitur S. Vincentii Monialium, quod Templum antea Paræcia erat nomine Monasterii novi. Ita e Schedis D. Caroli ex Marchionibus Trivultii.

(3) Bartholomæus Thægius, Francisco Castellantio cœvus (in *Opere. La Villa Dialogo* pag. 98) inter illustres viros eum commemorat, quos inquit ruris amœnitatibus delectari.

## EPISTOLA IX.

FRANCISCO CASTOREO S. P. D.

ARGUM. *Litterarum officium exposcit.*

**N**ISI sperassem fore, ut altum istud tuum silentium aliquando rumperes, & ad me aliquid litterarum dares: (erat enim tuum potius, quàm meum prius hoc aggredi) haud equidem tandiu tacuissem. Cum itaque hoc tempore diligentius ipse mecum sim te recordatus, non diutius mihi expectandum duxi, simulque has ad te literas misi, ut tandem ad scribendum venias, & quàm inique mecum agas, intelligas, qui vix ingressus istud tuum iter, nunciare mihi aliquid consuevisses, nunc, cum ad optatam metam pervenisse deberes, taceas perinde, quasi velis amicorum tuorum expectationem fallere. Proinde scribe, & ita scribe, ut qui te vere amant, cognoscant tuos progressus, tibi gratulentur, & sibi gaudeant. Vale, Mediol. Nonis Aprilis.

## EPISTOLA X.

JOSEPHO OSSUTIO S. P. D.

ARGUM. *Ex Ossutii incommodis plurimum se angere affirmat, tum ad ea patienter ferenda hortatur.*

**C**UM de tuis incommodis non multò ante mihi renunciatum esset, tantumque ex iis doloris cepissem, quantum mea in te benevolentia postulabat, minime mihi tacendum censeui, sed adhibendam esse consolationem aliquam tibi putavi, qua, si fieri posset, dolorem tuum sanarem. Sunt autem, qui admoneant, ut nos ea lege natos meminerimus,

*Vol. II.*

C



ut nostra fere omnia fortunæ telis esse putemus obnoxia, neque recusemus, quò minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus; repetamus denique memoria aliorum eventa, nihilque novi nobis accidisse putemus. Quæ consolationes, licet sint a sapientissimis viris usurpatæ, memoriæque, & literis proditæ, non tantum tamen optimo cuique adjumenti videntur adferre posse, quantum, si illud, quod tibi in ore, atque animo semper esse debet, considerare volueris, Deum immortalem eos sepe durius tractare, quos amat, ut eò majoribus muneribus, cum ei visum fuerit, cumulet; nec mehercule immeritò: quæ enim sunt longe omnium præclarissima, nihil laboris, aut mali sentientibus haud dantur, sed iis, qui se fortiter gesserint, qui se infractos in adversis præbuerint, qui certamen vicerint, omnium consensu deferuntur. Quo in numero ut tu quoque sis, mi Ossuti, toto, quod ajunt, pectore enitere, mementoque illud & tibi a Sibylla apud Virgilium præcipi: (a)

. . . . Tu contra audentior ito,

Quàm tua te fortuna sinat . . . .

Quod si feceris, nemini dubium jam esse potest, quin maxima præmia ex animi tui fortitudine consequaris. In hanc sententiam plura scriberem, nisi duo mihi maxime obstarent: primum enim, si longior esse voluero, tuæ prudentiæ, animique magnitudini parum confidere videbor; deinde non intelligere, non deesse tibi Camutios, præclara hujus Civitatis ornamenta, quibus & benedicendi, & benefaciendi longe maxima facultas semper esse potest; imo hos initio hoc ipsum munus præclare obivisse existimavi, adeo ut omnem mihi scribendi occasionem præreptam esse scirem; ideoque facilè tacuissem, nisi admonendus visus fuisses, ut me tui doloris fuisse participem putares. Vale, Non. Martii, Mediol.

(a) *Æneid. 6.*

## EPISTOLA XI.

PHILIPPO N. (I) S. P. D.

*ARGUM. Tarditatis litterarum excusationem admittit, atque ad scientiarum studium excitat.*

**C**ONSTITUERAM (ita me Deus bene amet) apud Patrem tuum, cum primum daretur, de te ipso conqueri, quòd tandiu tuis nos literis carere patereris; sed tu id prævidisse propter tui acumen ingenii probe videris, qui tam opportune literas ad me dederis, Patri eidem tuo,

cui multa jam meditata obviam ibam. At tu multa dicis, quibus te excuses, quæ quoniam non satis valida sunt, te frustra scripsisse putato. Accipiendam tamen existimo excusationem tuam, ideo quod melius sit officium sero prestitisse, quàm nunquam. Quas cum tuis conjunxeras, iis, quibus inscriptæ erant, accurate reddidimus. Quod meis omnibus bene esse tibi sit jucundum, ago gratias maximas, teque vicissim bene valere cupio, ut alacriori animo in literarum studia possis incumbere. Quibus cum te bonam navare operam & tu scriperis, & Pater tuus confirmarit, & doctissime scripta aperte declararit epistola, tantum in me gaudium incessit, quantum si quis ea mihi dedisset omnia, quæ mihi sunt in votis. Hoc cum ita sit, mi Philippe, jam te pluribus non cohortabor, satis per te inflammatum; sed te illud tantum admonebo, ut, si me consanguineum tuum diligis, sæpius animo revolvas tuo, te parentibus, amicis, & patriæ eò cariorem fore, quod doctior, & bonis literis instructior ad nos redieris: est enim verissimum illud

*Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.* (a)

Tu vale, & crebrius tuis nos literis vise. Eidibus Junii Mediolano.

(a) Horat. 1. *Epist.* 1.

(1) Philippum Francisci Cicereii consanguineum, ad quem, ut patet, hæc scripta epistola, non alium esse novi ac Philippum Cicereium Francisci Patrum, ad quem italica est epistola in Codice Belgiojofiano.

## EPISTOLA XII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Absolutam Oratoris impressionem approbat, necnon Arlunianæ Historiæ specimen. Alia quædam.*

GRATISSIMAM nobis fuisse operam, atque diligentiam tuam, qua in *Oratore* excudendo usus es, existimare debes. Ita in eo nobis probe satisfecisti, ideoque agimus tibi gratias maximas. Duorum exemplarium alterum Cavenago (1) donavit Majoragius, alterum percurrere aggressus est in eum, quem tu vis, usum. Id cum absolverit, ad te scribet, simulque, quod ad *Partiiones* attinet, curabit. Historiæ specimen elegantissimum videre Arluni omnes, & summopere lætati sunt, probaruntque. Sed tamen nihil in medium afferre a me rogati voluerunt, quod citius opus tam feliciter cœptum, ad finem posses perducere. Hic cum

C ij

nihil profecissem, magnum quendam virum, reipublicæ nomine, sum aggressus, & multis verbis usus specimen exhibui; quod cum laudasset, nullo non auxilio prosequendos censuit, quodd diceret fore officinæ tuæ usui & ornamento, si tam nobilem historiam absolveres. Quod si viveret adhuc Franciscus Arlunus, qui historiam tibi describendam misit, non ita in hoc multis opus esset: haberemus enim, unde posses sumptum facere. De Sessa quod scribis, curabo, & spero futurum, ut brevi tibi fiat satis. Vellem transmitteres ad me folium illud ex Omphalii libro *de Legum usurpatione*, quod in numero est 275, in literarum serie M. 2., & cujus prima omnium dictio fuit, nam illud desiderari animadverti in eo exemplari, quo me, pro singulari illa tua humanitate donasti. Vale, Nono Kal. Quintilis MDLII., Mediol.

Qui in demortui locum Sessæ sunt suffecti, ajunt tuum illud nomen non esse in rationibus suis. Quare, si vis pecuniam mihi numerari, quæ ad te transmittatur, dabis ad me apodixas, & omnia diligenter curabo.

(1) Nullus dubito, quin hic Cavenagus Ambrosius sit, quem laudant Morigia, (a) Cardanus, (b) Bugati, (c) & alii. Et sane Majoragius ipse, qui *Commentarium* suum in Ciceronis Oratorem, semel ac impressum accepit, dono dedisse hic dicitur Cavenago, hoc ipsum opus Ambrosio Cavenago dicavit; quod epistola indicat eidem *Commentario* præmissa.

(a) *Della Nobiltà di Milano* lib. 3. cap. 23, & *Historia* lib. 4. cap. 26.

(b) *De Vita propria* pag. 16. & alibi.

(c) *Histor.* lib. 7. pag. 1024.

## EPISTOLA XIII.

CLARISSIMO VIRO, ET PRUDENTISSIMO J.C.  
GALEACIO BRUGORÆ (1) S. P. D.

*ARGUM. Codicem sibi commodari petit, in quem appendicem effecturum constituit. Vetus monumentum erudite declarat.*

**S**I quid ignoto mihi hoc tempore petendum esset ab eo, qui vel parum bonus esset, vel qui durior videretur, tum quod cupio, ne consequi possem, vererer, tum mihi longa opus esse oratione arbitrarer, qua petitionem illi meam probarem; nam quis, nisi bonus, dat prompto animo indigentibus? Aut si quis præsertim ignotus incidat in moribus agrestio-rem aliquem, quomodo beneficium aliquod extorquebit, nisi machinis

illum omnibus aggrediatur? Sed, cum mihi res sit tecum, Brugora, idest, cum uno omnium optimo, & de omnibus benemerendi cupidissimo, quique nullius impulsus oratione, sed tua sponte obvius cuique, modò detur occasio, benefacias; quid est, quod quidquam verear verbis instructus, & longo orationis ambitu munitus ad petendum accedam? Paucis item tecum agendum, nihilque dubitandum, tua me monet facilitas, qua cum plurimum excellas, omneis tibi arctissime devincis. Neque enim tu is es, qui ullum unquam a te discedere patiari, cui, quantum licet, & potes, non obsequaris, auxiliaris, & consulas. Ad probitatem vero, morumque tuorum suavitatem incredibilis accedit eruditio, quam assiduis curis, plurimis laboribus, multis vigiliis; quæ & ornamento, & adjumento esset, ad tuum civile jus attulisti. Hæc una vim tantam habere videtur, ut, si desint cætera, quæ in te summa sunt omnia, me tamen in dicendo brevior faciat, & bono esse animo jubeat, sperareque fore, ut, quæcumque voluero, facile a te impetrem. Neque enim potest doctissimus quisque non maxime favere studiosis, neque, qui multum ipse profecit, non prodesse proficere volentibus. Quæ cum ita sint, exponam audacter, quid a te mihi dari cupiam, neque longiorem orationem sumam, ne aut diffidere singulari humanitati tuæ videar, aut per te paratum frustra pluribus obtundam. Fabricius Malletta bonæ spei adolescens, qui aliquandiu me præceptore est usus, cum intelligeret vetustas inscriptiones semper mihi fuisse gratissimas, non ita pridem ostendit mihi justæ magnitudinis volumen de iis ipsis ab Alciato, homine nunquam satis laudato, conscriptum, quod ut describeret, sibi abs te fuisse creditum dicebat, tuumque esse affirmabat. Hoc ego, cum primum in manus sumpsi, evolvere aggressus sum, totumque, nulla mora interposita, evolvi, & eò quidem cupidius, quod aliquot ante annos, & ex multorum eruditorum scriptis, & plurimorum sermone, Alciatum ipsum non pauca in antiquariorum gratiam collegisse intellexeram, neque tamen operis ejus quippiam vel semel inspicere potueram. Quo tempore comperi in eo adeo multa exquisitæ eruditionis, ut longo intervallo spem omnem meam, atque expectationem vicerit, superaritque; nam ejus pene divini hominis labore passim ita explanata sunt omnia, ut nihil clarius in eo genere scribi possit: tum incessit cupiditas me maxima ejus libri, si daretur, describendi, quod sperare cœpi, ubi mihi succurrit, codicem ipsum esse tuum, hominis eruditissimi atque humanissimi. Quæ spes ne me omnino fallat, te etiam atque etiam oratum velim, Brugora, ut mihi ejus habendi libri facias copiam, dum ad ejus exemplum, quod brevi fiet,

alium conscribo. Et quoniam ea mihi beneficia jucundiora semper fuerunt, quæ accepta pensare aliqua possem ratione, semper enim mihi placuit versus ille:

Χάριτι λαβὼν ἑύκαιρον, ἐν καιρῷ δίδυ : (a)

& item ille :

Χάριτας δικαίως καὶ δίδυ, καὶ λάμβανε . (b)

Dabo operam ut tuus liber, ubi his diebus, (qui subsunt) quibus a docendo vacabo, meo labore alium apud me pepererit; ad te non sine fœnore redeat. Etenim animadverti, Alciatum non omnia collegisse, neque colligere potuisse antiquitatis urbis nostræ monumenta, quod gravioribus esset studiis implicitus. Cognovi item aliquot in locis peccatum esse ab eo, qui de Alciati autographo codicem tuum transtulit. Ideoque institui appendicem (2) in eum librum conscribere, tuo nomini dicatam, in qua aliquot adjungantur monumenta, quæ nemo negligenda jure putaverit, & quæ male transcripta sunt, corrigantur. Ad hæc quædam alicubi non ab re adnotabo, in quibus omnibus lectores ad paginas libri tui numerorum notis distinctas remittentur. Habes, quid a te mihi dari velim, ornatissime Brugora; quare nihil jam aliud restat, nisi ut videas, num dignus hoc tibi beneficio videar, quod ego pro meo erga antiquitatem amore maximum judico. Quod si dignum censueris, ita me tibi obstrinxis, ut perpetuò sim tibi plurimum debiturus. Interim habeas specimen aliquod eorum, quæ ab Alciato non fuerunt cognita, idque maxime ea ratione, ne quis putet neglecta, ideoque in suum librum ab eo minime ascita.

In Victoris Æde, (3) quæ extra urbem sita non longe abest a Jovis porta, (4) multa venerandæ vetustatis vestigia visuntur, de quibus fuerit suo loco dicendum. Nunc de eo, quod cum templum illud extrueretur, L'perne a dextra januæ ornatus gratia repositum videtur, ita contractum, & calce refartum, ut nisi eo tempore fuisset collectum, paucis post annis facilè interiisset. Opus est parvum quidem, si icunculas contempleris, quæ capiuntur tabula ex candidissimo marmore undique elaborata, altitudine pedum duorum & semissis, latitudine verò pedis unius, & digitorum novem; sed si elegantiam spectes, maximum, adeoque absolutum, ut omnibus veterum Marmorariorum operibus, quæ apud nostrates plurima visuntur, jure sit præferendum. Est hoc marmor ea insignitum fabula, quam multi Scriptores memoriæ prodiderunt, de duobus serpentibus Junonis insidiis ad Herculem vita privandum missis, & ab

(a) Beneficium opportune cum acceperis, opportuno tempore reddo.

(b) Justas & repende, & assequere grates.

ipso adhuc infante necatis, (s) quæ licet sit satis nota, non tamen committam, quin latius explanetur, ut, si fieri possit, & inde aliquid dignitatis ad hoc rarum vetustatis signum perveniat. Tradunt Authores Junonem summo semper odio Herculem persecutam fuisse, utpote nothum, & verbo quidem Amphitryonis, sed re & facto Jovis ex Alcmena filium; adeo, ut ipsum insidiis de medio tollere sæpius fuerit conata. Cum itaque Hercules infans, una cum Iphiclo fratre, aliquando in cunis cubaret, Amphitryo, & Alcmena somno detinerentur, immisit Juno serpentes duos maximos, qui ipsum Herculem opprimerent, quibus ille visis audacter, quoquo modo potuit, reptando obviam venit: contra Iphiclus perterritus Parentes fletu excitavit, qui expergefacti Herculem videre, manibus apprehensos angueis occidentem. Hinc in illa nobili Elegeia, quæ in Mæcenatis obitum scripta est, legitur: (a)

*Quis fore credebat, premeret cum jam impiger infans*

*Hydros ingenteis, vix capiente manu. (b)*

Et Achelous apud Ovidium in *Metamorph.* ita dicit locutum Herculem secum congredientem:

*Cuniarum labor est angueis superare mearum.*

Extat igitur in hoc præclaro opere Hercules, cum contra angueis reptasset spiris implicitus, involutusque; superne verò in nubibus Juno, quæ Jovem indignantem, & barbam dextra sibi convellentem blanditiis demulcere videtur. Adest Jovis a dextra aquila. Videntur porro veteres illi non immeritò hæc Herculeæ virtutis rudimenta potissimum tam pulchro monumento honestare voluisse: siquidem Diodorus Siculus lib. v. testatur, ideo factum, ut Hercules immanis feras, quandiu vixit, oppugnare studuerit, quòd serpentes ipsum adhuc infantem necare conati fuissent. Et quemadmodum docti quidam homines arbitrantur Agelandrum, Polydorum, & Athenodorum Rhodios, (c) summos artifices, Laocoontis, & duorum filiorum statuam Romæ formasse ex ipsius Virgilio descriptione, (d) ita nos hunc, quicumque fuit, existimare possumus, quæ de hoc ipso Herculis facinore scripta a Seneca fuissent, sibi in hoc perficiendo opere proposuisse; sunt autem hujusmodi illa: (e)

*Infantis ætas monstra superavit prius,*

*Quàm nosse posset. Gemina cristati caput*

*Angues ferebant ora, quos contra obvius*

*Reptavit infans, igneos serpentum oculos*

(a) Incerti Autoris Elegia, quæ inter carmina Virgilio supposita habetur.

(b) Lib. 9.

(c) De quibus Plinius lib. 36. cap. 5.

(d) *Æneid.* 2.

(e) Seneca *Hercul.* act. 2.

*Remisso pectore, ac placido intuens:  
Arctos serenis vultibus nodos ulit  
Et tumida tenera guttura elidens manu.*

Non potuit tamen omnia marmore expressisse, quemadmodum neque illi omnia de Virgilio transtulisse; neque injuria. Quis enim nescit, multa ad aureis pertinere, quæ oculis item non conveniunt? Mirus itaque artifex, quoad ejus facere potuit, Senecam videtur secutus. Atque utinam, ut ille Senecam loquentem cælo suo pulcherrime expressit, ita ego penicillo meo aliquam operis virtutem assequi potuissem. Longe nanque pulchriorem rei formam lectoribus exhiberem hac ipsa, quam qua potui facultate, & diligentia ad marmoris exemplum delineavi.

(1) Qui Mediolani Senator, Legatus apud Helvetios, Sedem Apostolicam, & Concilium Tridentinum, Ticini, & Cræmonæ præturam gessit. (a) Inter præfectos extitit curandæ atque avertendæ pestis Mediolani 1576, (b) fato functus 1591. (c) Inter litteratos Mediolanenses laudatur ab Argelato. Ejus epistola italica \* est 29 Junii 1587 scripta ad Comitem Octavium Affaitatum, quæ in collectione epistolarum legitur per Paulum Æmilium Marcobruni; legiturque epistola \* Sigismundi Foliani ad Brugoram, nempe 7. lib. 1. edit. Venetæ, aliaque \* ad eundem nuncupatoria Epistolarum Christiani Lazari Ticinensis. Latent denique epistolæ duæ Francisci Cicereii ad eundem in Cod. Belgiojofiano.

(2) Quam revera confecit Cicereius Galeatio Brugoræ inscriptam, hoc titulo: *Antiq. Monument. urbis Mediolani ab Alciato prætermis. libri duo*, qui in Bibliotheca nostra servantur Jacobi Valerii caractere conscripti, Cod. 104. Autographum vero hujusmodi opus in Archivio extat Belgiojofiano. De hac appendice vide cl. Francisci Antonii Zaccariæ epistolam (d).

(3) Templum istud commemorans idem Cicereius *Monument. 18. lib. 1.*, ubi hoc ipsum, de quo hîc loquitur, explicat antiquitatis vestigium, appellat Victoris Martii ædem. Est autem Templum Victoris Martii, Basilica S. Victoris Maximi ex luculento Alciati testimonio, quod ex hujusce MS. ad *Monumentum 38.* recitant Gratiolius, (e) & Jo. Antonius Castellionæus, (f) nimirum: *Martis Templum apud Majores nostros celeberrimum fuit, quod subsequens ætas abrogato priori nomine Victori Martyri nuncupavit, dedicavitque.* Paulus Morigia (g) Templum S. Victoris maximi *arsum* appellari inquit. Castellionæus, (h) idem ait esse Templum S. Victoris Martii, ac S. Victoris *arsi*; nescio tamen cur Templum hocce S. Victoris *arsi* appellaverint, vel appellare potuerint, nam ex Monumento anni 1272. 1. Octobris Archivi S. Mariæ Clarævallis, quod contractus instrumentum continet initi inter Monachos hujus Cœnobii, & Moniales S. Victoris ad Ulmos, constat Templum hoc, quod Moniales olim, nunc PP. Cappucini colunt, dictum fuisse S. Victoris *arsi*, sicut in Instrumento illo revera hac appellatione

(a) Siron. de J. PP. Coll.

(b) Jacobus Philippus Besta, *Relazione della peste, che fu in Milano 1576.*

(c) Siron. ibid.

(d) *Opuscoli Scientifici tom. 40.*

(e) *De Præclar. Edif. Mediol. pag. 69.*

(f) *Antiq. Basil. Vincent. pag. 31.*

(g) *Historia di Milano lib. 2. cap. 21.*

(h) In laudato loco.

appellatione insignitur. Cui rei consentiunt Auctor operis *le Vicende di Milano*, pag. 281. n. 87, & Julinus *Memorie di Milano*, Vol. 8. pag. 366.

Templum S. Victoris Maximi, quod extra Urbem situm inquit Cicereius, nunc intra eandem concluditur. Quippe cum hanc ipse perscriberet epistolam, nondum ad eam latitudinem, qua nunc patet, protensa erat Mediolani urbs. Novum enim, laxioremque mœnium ambitum paulò postea acquisivit, Ferdinando Gonzaga ab anno 1546 ad 1555 (a) Provinciam hanc Cæsaris nomine regente. Quarta hæc fuit Mediolani amplificatio. Prioris itemque angustioris mœnium ambitus nullum hodie vestigium cernitur, dignosci vero potest indicium aliquod in charta topographica Mediolani adnexa ad calcem operis: *Vicende di Milano*. Tertii autem supersunt adhuc portæ, & alicubi adjecta iisdem munimina; secundi pariter, qui sæculo quarto auctorem habuit Maximilianum Augustum, quemque Augustus alter Fridericus I. destruere iussit anno 1162, (b) quædam sparsim visuntur vestigia, veluti in Monasterio Majori, in vico Mediceorum, in ædibus DD. Delphinonorum prope S. Francisci a Paula, ac denique, cum aliquot abhinc annis prope S. Mariam ad Castrum effossiones fierent ad novæ domus constructionem, veterum murorum ibi pariter vestigia sunt visa. Tunc etiam reperta ibi est antiquæ Inscriptionis fragmentum, quæ ad illam domum appositâ sic legitur:

TRAIANI PAT  
III VIRO ID  
VI VIRO  
IVNIOR

Adiungere hîc item possumus Inscriptionem, quæ in effossione alia, cum dictæ Delphinoniæ ædes anno 1774 construerentur, inventa fuit, imo parietis adposita, nunc autem in conspicuo loco ad scalas earum visitur, atque his constat notis:

FRANCISCVS SFORTIA VICECOMES DVX  
III ET ANIMO INVICTVS ET CORPORE  
ANNO MCCCCL. AD IIII CAL. MARTIAS  
HORA XX DOMINIO VRBIS MEDIOLANI  
POTITVS (c)

(4) Istud sane cum rei veritate conciliare mihi haud posse videtur, nam Templum S. Victoris maximi non est prope portam antiquam Jovis, sed prope Vercellensem, ac magis prope pusterulam, seu minorem portam dictam S. Anibrosii. Non ignoro quidem Vercellensem portam ab aliquibus Joviam dictam, veluti a Puricello, ac Latuada, quos citat Julinus; (d) verum Authores alii omnes, qui de Mediolanensibus portis aliquid scripsere, seu veteres, seu recentiores, aliam a Vercellensi Joviam portam esse dixerunt; ac recentius quidem idem Julinus (e) Portam Jovis vetustam, fuisse probat inter Vercellensem portam, ac pusterulam dictam *delle Arze*. Vide etiam iconem topographicam antiquæ Mediolani Urbis apud eundem, aliamque in libro *le Vicende di Milano*.

(5) Monumenti hujusce iconem vide apud Gratiolum *de Sculpturis Mediol.* num. 3., ubi eruditus Auctor ejusdem explicationem subjicit allatis Cicereii verbis ex ipsius MS. *Monumentorum ab Alciato prætermissorum*.

(a) V. Cl. Franciscum Bellati, *Serie de' Governatori*, & Ripamonti *Histor.* pag. 118.

(b) V. *Vicende di Milano*, pag. 67., 125., & 250.

(c) Hoc est POTITVS.

(d) *Memorie di Milano* Vol. 5. pag. 130.

(e) Ibid.



## EPISTOLA XIV. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

*ARGUM. Litteras sibi jucundas, gratumque qui eas detulit, fuisse; qui ad perficiendam Arlunianæ Historiæ impressionem pecuniam sup-  
peditare velit, adesse neminem. Apertioribus rationum schedulis opus  
esse ad Oporini nomina exigenda. Libros quosdam effragitat.*

**E**T quas ad me, & quas ad Majoragium dederas, literas attulit Georgius Tannerus, (1) quem, cum ipsum per se vidi libentissime (doctus enim mihi visus est, & bonus) tum hoc libentius, quod esset mihi a te commendatus; cum itaque, quibus potui, sum officiis prosequutus. Sed certe illud unum dolet mihi, quod hinc discedens Majoragium, quem tantopere cupiebat, adire non potuerim. Nam eo ipso die, quo huc applicuit Tannerus, ille rus secesserat, neque ante rediit ad nos, quam hoc ipso die, quo tot, tantisque negociis impeditur, ut vir alioqui in scribendo impiger, mihi mandaverit, ut & pro se tibi scriberem. Quod in tam præclaro opere, in quo perficiendo omni cura elaboras, nullus adhuc tibi adjumento esse velit, doleo, idque non mediocriter. Ego in hoc feci, quod pro me ipso non facerem, & merito: dabam enim hoc florentissimæ civitati, dabam Arlunorum manibus, dabam tibi mihi carissimo. Nam adivi treis, imo vero quatuor Senatores, & eos quidem, quos scirem historiarum studiosissimos esse; neque quicquam emungere potui. Ab annonæ Præsidi (b) summis precibus petii, ut aliquid tibi reipublicæ nomine daret, remque omnem diligenter exposui. Neque hic mihi quicquam aut dare, aut certe polliceri est ausus, quod diceret ærarium exhaustum omnino esse, & exinanitum. Post hos restabant privati homines in hoc rogandi, ut ducentos saltem coronatos mutuo darent, quibus tandiu uteretur, dum Historiam ad umbilicum perduceres, fœnusque expectarent quodvis, modò tolerabile; rogavi, & quidem frustra. Contuli me tandem ad Bibliopolas, pollicitus sum quod tu mihi, neque ipsi quicquam in hanc rem impendere voluerunt: hi quàm duri sint, quàmque patriæ parum amantes, vides. Utinam, quod sæpius optavi, viveret adhuc Franciscus Arlunus, aut saltem mea tibi tenuitas adjumento esse posset; sed nostri

(a) Responso est ad illam apud Gudium, pag. 175, responso Oporini ad hanc ibid., p. 176.

(b) Nempe Francisco Crasso ex Benalio. *Relazione del Magistrato di Milano.*

Ludi Magistrorum opes, quantæ sint, præsertim in Italia. Quod ego potui præstiti, si quid majus potuissem, id eo libentius præstitissem. Apud Sessæ successores egi, quæ volebas, omnia. Sed nihil hætenus adnumeratum est, neque in futurum adnumerabitur, nisi alia tibi ratione caveris. Nam illi rationes Sessæ proferunt anni 1547, in quibus quidquid ille tibi debuerat, cum persolvisse clarum atque apertum est. Neque alibi tuum nomen ullum est legere in eo libro, quem ille omnium suarum rationum habuerat. Ego tamen contendi, idque multis verbis, te eum esse, qui nunquam peteres quicquam, nisi tibi deberetur, debereque eos tui rationem habere, quòd id utile tabernæ librarie esset futurum. Illi vero contra, quod in rationibus accepti non sit, se nolle exsolvere. Tu vide quid agendum censeas; ego quæcumque voveris, diligenter curabo, modò ne mea te abuti opera posthac aut dicas, aut arbitraris, cum tuum me esse scias. Folium illud, quod in Omphalio desiderabam, a te missum gratum fuit. Quæ de libris Majoragii cudendis scribis, ex iis tuam agnoscimus diligentiam, teque amamus plurimum. De asportandis aliquot excusi operis exemplis Rovelaschios admonuimus, iisque ad te has literas dedimus. Commentarios in *Partitiones* Majoragius expolire, plenioresque reddere est aggressus, ut brevi absolutos ad te mittat. Sed in ipso statim principio animadvertit Manuscripti sui codicis quaternionem unum, nescio quo casu, excidisse, cum dissolutus adhuc sit liber. Quare gratum feceris, si exemplar illud, quod penes te est, cum cæteris ad nos mittendis conjunxeris, ut progredi possit emendando, addendoque Majoragius. Vir quidam apprime nobilis cuperet & tua, & mea nancisci opera, quæ a Borrhao scripta in Aristotelis Rhetorica, & isthic impressa sunt; idem ait, se audivisse Melanthonem quædam Aristotelis opera in latinum nuper transtulisse. (a) Id si ita est, & si impressa sunt, conjunge cum Borrhao, & adjice commentariorum exemplis, adscribeque quanti ipse emeris. Nam ille nummorum mihi aliquid in hoc jam dedit: tanto horum habendorum tenetur desiderio. Bibliopola is qui hic Fortunæ signum gestat, (2) tecum aliquam inire rationem vellet, habendorum Basiliensium librorum, estque præsentem pecunia; cætera, quibus opus erit, per Hannoniorum vectores curaturus, modò velis cognoscere quid petat, & ubi opus fuerit curatoribus dare. Is itaque, cum nunquam adhuc venaleis habuerit vestrateis libros, elenchum cum his literis junctum scripsit, cui tu pretium apponas, ut sciat, quan-

(a) Melanthonis labores in *Ethica*, ac *Politica* Aristotelis. V. apud Frid. Roth. Scholtzium in opere Jacobi Verheidenii.

tum nummorum mittat, cum voluerit te vicissim libros ad se dare. Quæ si ex re tua esse vides, ut te facturum polliceare velim. Nam cupio quidem illi gratificari, sed ita ut tibi nullo sint incommodo. Vale, XI. Kal. Octobris MDLII., Mediolano.

(1) Quem Joannes Oporinus *Austriacum* dicit *singularem amicum suum*, eundemque *optimum, ac doctissimum virum*. V. ejus epistolam ad Franciscum Cicereium scriptam, quæ est 88 inter epistolas Gudii: ibi autem scriptum est *Tammerus*, quæ vox corrigenda ex hac Cicereii epistola, in qua non *Tammerus* est, sed *Tannerus* semel, iterumque positus.

(2) Signum istud Mediolani in præsens Marelli Bibliopolæ adhibent. Porro in albo Bibliopolarum, ac Typographorum Mediolanensium instituto an. 1590 sic legitur: *Marellus Franciscus fil. Jo. Baptistæ P. T. P. S. Maurilii an. 1631 10. Febr.*, an autem antiquius Cicereii usque tempore libris cudendis, vendendisve operam Marelli dederint, horumve aliquis fuerit, quem in hac epistola Cicereius designat, neutiquam scio.

## EPISTOLA XV. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Tardæ responsionis excusatio. Pro libris argentum dat. Majoragii nomine gratias agit, cujus scripta Oporino ipsi se daturum significat. Quidpiam de Senensibus. Dolet Arluni Historiam absolvi non posse; Sessæ hæredes nihil dum persolvisse.*

CONSCRIPSERAM, quas ad te darem, literas de Borrhai in Aristotelis *Rhetoricam* commentariis, de *Partitionibus* manuscriptis, & exemplis viginti *Oratoris* ad nos proxime perlatis; sed quoniam tardius veneram ad respondendum, posterioribus tuis sum præventus. Causam tarditatis exponam paucis: cum non paucis post diebus, quam priores nobis literæ tuæ fuissent redditæ, advectus fuisset fasciculus ille tuus, quem ipse literis fueras pollicitus, nobisque reddi posceremus, æquum vecturæ pretium adnumeraturi, negabant vectores se minoris concessuros, quam coronatis quatuor; perinde quasi illud non esset vecturæ pretium exigere, sed vendere (ausim dicere) & addicere, quæcumque a te fasce illo fuissent constricta. Qua ratione, cum diutius illi libros retinissent, vixque tandem ad coronatos duos perducti fuissent, factum est, ut citius ad te scribere nequiverim. Quod ego nunc te scire volui, non ut

(a) Respondet ad duas Oporini apud Gudium: *Pro singulari*, pag. 176, & *Mis. nuper*, pag. 178.

quicquam tibi hac in re adscriberem, cujus de benevolentia, & liberalitate erga nos dici, ut dignum est, non potest, sed ut primum scires, quare non tam citò, quam par erat; deinde, ut si quid in posterum a te nobis unquam fuerit transmittendum admoneretur, tibi esse cum Vectore de pretio constituendum, ne nobis posthac a quoquam amplius imponatur. Pro Borrhai *Commentariis*, in quibus mittendis nobis es obsecutus, argentum his insertum literis accipies. De viginti eleganter expressis a te exemplis *Commentariorum* suorum magnas agit gratias Majoragius. Horum ille tria mihi dono dedit, quæ & tibi accepta fero. *Partitionum Commentarios* taleis, ut spero, ad te aliquando dabimus, quales nemo unquam formis expressit. Idem fiet in Aristotelis *Rhetorica*, modo vita sit Majoragio nostro superstes. Quòd de rerum Italicarum statu cupias, illud tantum habeo dicere: vereri Senenseis ne suæ defectionis (1) pœnas luant. (2) Quòd ad Arlunum attinet, possum tecum unà dolere, quod defint, qui te alacriorem reddant ad opus absolvendum, nam, quod ad me attinet, omnia tentavi, egissemque adhuc aliquid apud eos Legatos, apud quos volebas, nisi abesse cognovissem. Ostendi tuas literas Arlunorum hæredibus, indeque, quod futurum verebar, illos omneis mihi iratos feci, quod dicant mea causa factum, ut historia e Gryphii manibus extorqueretur, a quo jam non semel, sed sæpius fuisset evulgata, utque apud te tandiu fuerit frustra. Qua ego in re licet & tuum, & meum factum excusem, non tamen cessant indignari. Ne itaque diutius has audire querelas cogar, neve eorum ira, atque indignatio aliquòd erumpat, des operam saltem velim, ut historiæ exemplar ad nos redeat, idque vel meo ipsius ære. Sessæ hæredes nihil, mihi crede, persolvent, antequam apodixim viderint, & tamen non desitissimè eos officii admonere eo ipso teste, quem tu offerebas, si eum invenire potuissem. Redditæ sunt Majoragio literæ prius, mox ab eo mihi, neque scire potui adhuc, quis ad eum ex te attulisset. Vale, meque ama, VII. Idus Febr. MDLIII.

(1) Ab Hispanis defecere Senenses evocatis ad se Francis anno 1552. V. Thuani *Histor.* lib. XI.

(2) Vera ominatus est Cicereius; nam postea diuturnam obsidionem, atque acerbissimam famem passi Senenses, & ad deditionem compulsi, in Cosmi Florentinorum Ducis potestatem fuere redacti; sic tandem libertate amissa jugum accipere anno ejus sæculi 55. V. Thuani *Histor.* lib. 15. & alios.

## EPISTOLA XVI.

ANTONIO COMITI S. P. D.

ARGUM. *Faustis de eo auditis non mediocriter lætatus est. Antonii Vulpii ab ingenio, & doctrina commendatio.*

**B**APTISTA Magius, (1) honestissimus civis vester, apud me fuit, cumque de eo, quid ageres, statim quævissem, me certiolem fecit, te illic rem tuam bene gerere, quod libentissime (ita me Deus amet) audivi, eoque non parum lætatus sum; amo enim te, amavique, ex quo te novi, non mediocriter. Censui itaque mittendas literas, quæ meam hanc lætitiã apud te testarentur. Dices quid antea? Audivi quidem & sæpe, sed nunquam clarius, atque illustrius, quàm modò de Magio, qui tam honorificos de te sermones habuit, ut ad scribendum statim fuerim incitatus. Perge igitur, mi Antoni, quo cœpisti pede, ut, qui tibi bene volunt, perpetuò tuo bono gaudere possint. Sed quò me rapit amor tui? Ego te hortor, qui in cursu veræ laudis fræno potius indigeas? Ad illud certe non solum hortandus, sed etiam rogandus videris, ut in rebus tuis opera hic mea nullo pacto abstinere velis, si mihi rem gratam te facturum existimas. Velim præterea Antonium Vulpium, nobile illud ac præclarum ingenium, per occasionem ex me salutes, eique nuncios probari maximè doctissimo cuique hic ejus omnia, sed præsertim eam epistolam, quam ipse ad Dandinum scripsit, quod non ut novum, sed ut a me nequaquam tacendum scribo. Majoragius noster valet, publice legit, scribit & ædificat. Vale, pridie Kalend. Martii MDLIII. Mediolano.

(1) Magius hic patria Mediolanensis, ut epistola ipsa indicat, cum eum nempe Antonii Comitæ Mediolanensis (de quo Vol. I. pag. 103) civem dicat. Nobili genere hujus Civitatis sunt Magii, de quibus Morigia, (a) Gaudentius Merula, (b) & alii. Duos Magios eodem Jo. Baptistæ dictos nomine laudat (c) Morigia. Horumce alter is idem esse potest, ad quem hæc Cicereiana epistola. Tres italicæ Francisci Cicereii epistolæ ad Joannem Baptistam Magium in Cod. sunt Belgiojosiãno.

(a) *Historia* lib. 5. cap. 5.

(b) *Antiq. Gall. Cisaip.* cap. 5.

(c) *Dicto loco.*

## EPISTOLA XVII. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *Spem aliquam affulgere, corrogandi pecuniam ad Arlunianæ Historiæ typos perficiendos. Folium deficiens petit.*

**A**NTEA ad te scripseram, me nullam spem habere in iis, qui aut tibi pollicebantur, aut dare debebant aliquid præmii, quo maximi labores, & sumptus levarentur, quos subis in Arluni *Historia* cudenda. Nunc tamen nescio quid affulsit. Nam Riccius, (1) cum primum domum tandem rediit, salutavi, & allocutus sum; cognovi optime de te sentire, quæque in rem tuam sunt curare. Ego tamen hac ipsa Riccii erga te voluntate non contentus, adivi statim Ongaresium (b) Alexandrum V. C. Riccii affinem, qui mihi duos, quos habet, filios nobiles equites erudiendos tradidit, cumque eo egi diligenter de Riccio cohortando, ut in te adjuvando sit promptior, quod Ongaresius, qua est in me benevolentia, & in omnes humanitate, statim curavit. Quonam in statu adhuc sit res, vides. Si quid posthac actum fuerit, te admonebo. *De Oratoribus* Majoragii a te invulgatis tres & Majoragius ipse, & tu mihi dono dedistis, quorum unum, qui mihi reliquus factus est, deprehendi uno mancum ac imminutum folio, eoque, quod est in literarum serie O. 2. in num. 159. Quare, si forte adhuc ex ejus operis excusione folia supersunt aliqua, quibus minime utaris, hoc ipsum folium ad me dent librarii tui, cura.

(a) Responso Oporini illa est apud Gudium: *Mulum sane*, pag. 178.

(b) Quem Advocatum, & Syndicum Fisci Mediolani fuisse anno 1556 ex Benalio noscitur. *Relazione del Magistrato*, pag. 182.

(1) Erasmus puto Riccium, (quod ex sequenti epistola clarius patebit) cujus sepulchrale olim extabat elogium in Basilica S. Francisci, quod ex Puccinello (a) sic lego:

*D. O. M. auspice*

*Erasmus Riccius Cæsareus Comes Palatinus Regii, Ducalisque Insubriæ Quaestor humanitate, officio, & doctrina admodum insignis, quod mortale habebat, hic per Ludovicum Caroli V. Imperatoris Comitem Palatinum, & Fratres Riccios ejus pronepotes ac hæredes deponendum curavit. Vixit annos 6. obiit anno MDLXXV. tertio Idus Octobris.*

(a) *Memorie di Milano*, pag. 79.

Hanc Erasmi Riccii Inscriptionem in suis etiam posuit *Encomiasticis Monumentis* Jacobus Philippus Terzagus, Codice Biblioth. nostræ 131, sic autem eidem adnotatum voluit. *Prodiere ex hac familia Zaninus a Secretis Ducis Philippi M. Vicecomitis, D. Antonius Abbas D. Ambrosii, D. Dominicus Presbyter Vighetoli Derthonensis, D. Jo. Jacobus J. U. D., & D. Camillus pariter J. U. D., ut habetur in Ricciorum genealogia.*

Abbas ille Riccius Orator missus fuit a Concilio Basileensi anno 1432 ad Carolum VII. Franciæ Regem, ut ex Act. Concil. Basileens. constat; (a) idemque Riccius Legatus item missus ab eodem Concilio ad Alphonsum I. Regem Aragoniæ, Siciliæ &c., ut ex Edmundo Martene, (b) Labbei *Concil.*, (c) & ex oratione *Aenæ Piccolomini*, quæ MS. servatur in Ambrosiana, Codice M. 44. in 4, ibi enim pag. 124 sic legitur: *Regem vero Aragonum Riccius Abbas S. Ambrosii in Siciliam usque perrexit.*

(a) Martene *Veterum Monument.* tom. 8. pag. 168., & *Novi Thesauri Anecdotorum*, tom. 4. pag. 369.

(b) *Ibid.* pag. 372.

(c) Tom. 17. pag. 1132.

## EPISTOLA XVIII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *Spei quidpiam subesse, ut ad exitum perducere Arluniana queat Historia. Amicum suum Oporino cognitum fuisse, gaudet.*

**P**OST diem trigessimum, quàm tu ad nos dederas, tuæ nobis literæ sunt redditæ. Eum esse rerum nostrarum statum scribis, ut cœptam Arluni *Historiam* seponere cogaris, & opem aliunde expectare. Ego, Oporino, ita rem esse hanc veram puto, ut æque tuos labores levare posse cupiam, ac doleo viros de literis optime meritos duriorum hoc tempore experiri fortunam. Sperare tamen nos jubet Riccius, quem tribus ante diebus salutaveram, & ea quidem lege, ne sit festinandum, quòd Reipublicæ ærarium sit multis exactionibus exhaustum, id quod se facere consilio dicit multorum magnorum virorum, quorum ea sit sententia, ut si quis instantius petere voluerit, eam passurus sit repulsam, ut nunquam amplius sit ausurus de hac ipsa re referre. Interim Riccius ita se rem curaturum diligenter pollicetur, ut diligentius a te ipso, si adesses, curatum iri posse non putet. Interim tamen a nobis admonetur interdum, ne hujusmodi cura animo effluat, fiatve languidior; eadem utar diligentia in admonendo Antonio Antoniano (1) Sessæ successore, qui tibi se brevi satisfacturum promittat. Quòd vero te Planta inviserit, & sit allocutus hujus rei admonitus sum, & ejus ipsius

ipsius literis, quibus quanti te faciat, declaravit. Sed quòd uterque mihi multò plus tribuat, quàm merear, id fuerit vestræ utriusque tribuendum humanitati. Est enim Planta (ut interim de te nihil dicam) ita studio literarum præsertim sacrarum addictus, ut negotiis forensibus, & multorum liberorum curatione avocetur; nequeat tamen facere, quin quos ille studiosos arbitratur, laudet, & se amare testetur. In summa gratum est, quòd hominem & doctum, & bonum, & mihi amicum cognoveris. Libro meo, quod deerat folium, ex tua liberalitate accessit. Majoragius te salutat. Tu me utaris velim, si quid est, quod tuam in gratiam facere possim. Vale, v. Kalend. Julii Mediol.

(1) Hujus nomen habetur in Albo Typographorum Mediolani, ibique legitur: *Antonius Antonianus filius Jacobi Bibliographus in P. C. Paræcia, S. Michaelis ad Gallum anno 1581.* Hujusce extat epistola, 23 Septembris 1587 libro præmissa Achillis, Statii *de Clitophontis, & Leucippi amoribus* ab Annibale Crucejo latine e græco redditus, Bergomi typis Comini Venturæ, & sociorum impresso. Ibi autem Antonianus editionem istam, quæ secunda fuit hujusce versionis Statii, una cum adjectis de novo argumentis, & indice se fieri curasse significat. Bernardini Baldini (a) carmina sunt in *Obitu Antonii Antoniani Bibliopola*.

(a) In *Lufibus* pag. 62.

## EPISTOLA XIX.

GULLIELMO POSTELLO (1) S. P. D.

ARGUM. *Officium suum spondet.*

VIDE quanta in te sit suavitas; ne horam quidem tecum sum ver-  
fatus, & tamen tam te diligo, quàm si tecum semper vixerim. Ama-  
bam te quidem jam antea, utpote quem doctissimum ex libris cogno-  
vissem, sed tum dilexisse, nunc amare, videor. Quare ubicunque fue-  
ris, Postelle doctissime, si cognoris me tibi usui esse posse, ne parcas  
velim, sed utaris eo, qui tui sit amantissimus, xxv. Julii MDLIII.

(1) Basileam hæc scripta a Cicereio fuit epistola, ut ex sequenti ad Opo-  
rinum Basileensem typographum facile colliges. De Postello agit Menochius, (a)  
atque etiam de ejus Basileam profectioe mentionem facit. Cæterum non est cur  
in Postelli gestis recentendis immoremur, cum notissima hæc sint ex ejus scriptis,  
& apud plures Authores vulgata, & novissime a Cl. Sallier, qui ejusdem conse-  
cit historiam. (b)

(a) *Trattenimenti eruditi* tom. 3. cap. 38.

(b) *Mém de Letterat. de l'Acad. Royal.* t. 24.  
*Vol. II.*

E



## EPISTOLA XX. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Postellum libenter vidit; quia in Arluni Historia, & Sessæ negotio spei sit renunciat, tum de Majoragii excudendis libris agit.*

**P**OSTELLUM, quem mihi commendâras, vidi libentissime, libentius tamen vidissem, si quandiu apud nos fuit, me, meisque omnibus uti voluisset, non secus ac suis. Sed interim ei gratulor, quod nostra tenuitate nihil fuerit opus. De Arluni *Historia*, deque Sessæ negotio rescripseram tibi aliquot diebus, antequam ad nos veniret Postellus, quas quidem literas, cum te jam accepisse putem, illud tantum nunc dicam, Riccium, cui res non minori curæ est, quàm aut tibi, aut mihi, occasionem expectare, qua possit id efficere quod cupimus, obesse autem ei plurimum temporum horum iniquitatem; & Sessam jam ter admonitum semper respondisse, se sedulo curaturum, ut tibi fiat satis. Hactenus ad tuas literas. Scripsit Majoragius noster non paucos ante annos Paraphrasim in Aristotelis libros quatuor *de Cælo*, & duos de *Generatione*, qua non minus latine atque eleganter, quàm clare lateque unamquamque rem explicat, adeo ut nunc tandem latinissimus, clarissimusque ea in patre conspiciatur Aristoteles. In summa volumen est justæ magnitudinis, & ejusmodi, ut pro tua insigni eruditione, & judicio non vulgari sis maxime probaturus, & dignum judicaturus, in quod plusculum diligentia, atque decoris, quàm in quibusdam aliis conferas. Hoc ipsum tandiu, ut intelligis, retinuit apud se Majoragius, ut tandiu lima uteretur, quoad sibi in eo satisfactum esse intelligeret. Sed cum hoc tempore Archiepiscopus Noster, (1) cui id opus dicatum est, instet summopere, ut edat; edere instituit Majoragius, & ad te mittere, si modò polliceris te intra proximam hyemem opus nobis absoluturum; idque forma ampliore, Nam si in aliud tempus differs, mavult Majoragius penes se esse librum, ne frustra sub ejus nomine appareret, cui dicatus est, idest ne forte interim ex humanis excederet Archiepiscopus, qui senio jam pene consumptus est. Aut igitur omnino accelerandam constitue excusionem hujus operis, ut magnus vir ille hac gloria vivus perfruat, quam expetere vehementer videtur, aut ne in-

(a) Responso ad illam apud Gudium, pag. 179., & responso Oporini ad hanc: *Per hunc Juvenem*, pag. 180.

choandam quidem intra triennium... Tu utrum malis, fac propediem sciamus. Interim fuerit etiam tibi prospiciendus Tabellarius aliquis fidissimus, quem ad te rediturum speres, cui post Aristotelis Paraphrasim ad te missam, committamus Commentarios in *Partitiones* nuper absolutos, & ita ut novum sit opus, neque quippiam habeat simile antea ad te missis. Hoc eò dico, quia Majoragii ipsius manu sunt exarati, cum alioquin commode transcribi non potuerint. Quod tu opus & qua voles forma, & mora interposita, modò tolerabilis, emittes. Dum de utroque ipse ad nos rescribes, Majoragus dispiciat, cuinam potissimum posterius hoc dicandum sit, & præfationem in ipsum conscribet. Vale;  
x. Kalend. Septembris MDLIII, Mediolani.

Has cum acceperis literas, si forte antea alias accepisti ejusdem argumenti, & pene exempli, ne mirere, neve expecta, ut tertio scribamus, sed potius omni mora deposita rescribe, ut tibi ad omnia parato Paraphrasim transmittamus. Quoniam vero fieri potest, ut aliquot cœptis operibus impediaris, quominus totus statim vaces nobis da saltem operam nulla mora interposita, ut intelligamus, te accepti exemplaris nostri primores utriusque partis chartas expressas nobis quam primùm daturum, ut in tempore vel tituli, & præfationes ipsæ, si minus totum opus, in lucem prodeant. Hoc te etiam, atque etiam oro. Vale iterum.

(1) Qui tunc Joannes Angelus Arcimboldus erat, idemque antea Senator Mediolani, & Episcop. Novariensis. (a) *Fuit autem Jo. Angelus* (verba sunt Jacobi Philippi Terzagi in *Encomiasticis*, Cod. apud nos 131.) *Juris Civilis scientia excellens, morum gravitate, animique virtute ornatissimus. Jo. Angelus quartus fuit ex Arcimboldia gente nobilissima Mediolani Archiepiscopus, sed in ordine Archiepiscoporum 121; idem Joannes Angelus Litteratis Mediolanensibus adscriptus est in Bibliotheca Argelati. In majori Mediolani Templo sepulturæ traditus fuit cum adjecto elogio, quod adhuc visitur, afferturque a laudato Terzago, Puccinello, Latuada, Argelato, & aliis. Eiusdem mentio est in monumento, quod patri suo Aloysio Senatori ipse posuit in Templo S. Mariæ Gratiarum, legiturque apud Allegrantiæ. (b) Ad Joannem Angelum Arcimboldum Episcopum Novariensem, & Cæsareum Senatorem epistola dedicatoria \* est Francisci Biragi, quæ legitur ante ipsius Orationem \* de *Modestia*, quam vix decem natus annos in publico Mediolanensi Gymnasio habuit anno 1545, quæque impressa habetur unacum dicta epistola inter miscellanea Bibliothecæ nostræ.*

Tres filios ab uxore, cui junctus fuerat antequam ecclesiasticæ militiæ se dederet, Joannes Angelus Arcimboldus suscepit, nempe Octavianum, Antonellum, & Joannem, (c) de quibus a nobis infra.

(a) V. Vaglianum, Saxium de *Antistis. Mediolan.*, & alios.

(b) De *Sepulchris Christian.* pag. 114.

(c) *Morig. Histor.* lib. 4. cap. 9.

## ΕΡΙΣΤΟΛΗ ΔΔΙ.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΣ Ο ΚΙΚΕΡΗΙΟΣ ΧΡΙΣΤΟΦΩΡΩ ΚΑΣΙΑΝΩ  
ΧΑΙΡΕΙΝ ΚΑΙ ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ.

**Ε'** κείνος μὲν ἀγροικὸς πάνυ, καὶ ἀτεράμων ἴστιν, ὃν Κασιᾶνε, ὅς τις οὐκ ἐθέλει τοῦλάχιστον πείθεσθαι τῷ στιχιδίῳ οὕτω παραινῶντι. Μισοῦντα μίσει, καὶ φιλῶντα ὑπερφίλει. Εγὼ δὲ (ὡς τι τῶν δεόντων πράττοντα πρέπει) οὐ μόνον πρὸς φίλους: ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀνδρας ἀπαντας ἀγαθοὺς, καὶ μάλιστα περὶ τὸν ἢ τοι λόγον, ἢ περὶ τὸ διανοηθῆναι καὶ πράξει δεινοῦς, καὶ σπουδάζω, καὶ σπευδάζων φαίνεσθαι φροντίζω. Τοιγάρτοι πρῶτον μὲν σοὶ δικαίως ἔκοντ' ἐδοκίμασάν τι μοι, καὶ φιλίας ἐμοῦ ἐπιθυμοῦντι: ἔπειτα δὲ παιδεύτω καὶ μάλα φρονοῦντι. Καὶ πρὸς τούτου μεγάλην ἔχω χάριν, εἰς ἐμὲ πέμψαντι ἐπιστολὴν τὴν τῆς ἀνδρποότητος, ἢ Δία, καὶ εὐνοίας μεσοτάτην. Δι' αὐτὴν ἐπιθυμοῦμι ἂν ἔργῳ μᾶλλον, ἢ λόγῳ σέ μοι φίλτατον εἶναι ἀποδεικνύειν. Καὶ γάρτοι μὴ θαυμάζε, εἰ οὐδαμῶς μακρηγορέωσ' ἐγραψα τὴν ἐπιστολὴν. Πάντων γὰρ τῶν ἄλλων ἀμελήσας, ἐνός μόνῃ ἐφρόντισα: τοῦ δοκεῖν, ὅτι ἀποδέχομαι σε, καὶ φιλῶ. Ὁ μὲν ἐγὼ δηλώσω, συ δ' ἀληθέστατον εἶναι, εἰ θελήσεις, ἐν καιρῷ πειράσῃ. Ἐρρώσω, καὶ εἰ τίνοσ' δέῃ παρ' ἐμοῦ, ἐπίειλλε. Ἐκ' Ἐπιδαμνίου, ἐτὴ ἀπὸ τῆς Θεογονίας χιλιοσῶ πεντακοσιοσῶ τρίτῳ καὶ πενητήκωσῳ, μηνὶ Βοηδρομιῶνι.

## EPISTOLA XXI.

CHRISTOPHORO CASIANO S. P. D.

ARGUM. *Studium suum, atque benevolentiam testatur.*

**V**ALDE is inurbanus, & perversus, o Casiane, qui ad minimum aures præbere non studet vericulo ita præcipienti; odio habentem odio proficere, & benevolentia complectentem supra modum complectere. Ego vero, ut eum decet, qui aliquid eorum agit, quæ debet non solum erga amicos, sed etiam erga omnes viros bonos, potissimum vero aut in dicendo, aut in meditando, & agendo præstantes studiosus sum, & studiosus videri volo. In primis enim jure, meritoque te diligo mihi probatum, & meæ amicitiae avidum; dein præceptori & maxime sapienti. Præterea magnas ago gratias de literis ad me missis plenissimis humanitate etiam, & benevolentia. Qua de causa vellem magis opere, quam oratione amicissimus videri. Neque enim mireris, si nunquam in scribendo prolixior fuerim: omnibus siquidem neglectis unum tantum curavi, ut vi-

derer te excipere, & diligere, quod ego verissimum esse ostendam; si voles, in tempore experieris. Vale, & si quid opus habes, mitte. Mediolani anno Nativitatis MDLIII. mense Septembri.

## LIBER DECIMUS.

### EPISTOLA I.

CHRISTOPHORO LEPORARIO S. P. D.

*ARGUM. De officio sibi præstito gratias agit. Sat otiosum non esse ad res bellicas sui temporis litteris consignandas.*

**V**IDE quàm tui te similem declares, semper in me officiosissimus fuisti, eaque de causa sæpius me tibi non parum debere sum testatus. Nunc vero, cum te nusquam reprehendam, ipse tua in me benevolentia adductus ad excusandum venis, ego vero tantum abest, ut te aliquo modo peccasse existimem, ut gratias etiam hoc tempore tibi agendas immortales putem, qui nullam elabi sinas occasionem, qua te mihi gratificari posse speres. Quod vel proxime ex eo cognovi, quod tam diligenter literas a me græce scriptas in Germaniam perferendas, & ei sedulò reddendas, cui erant destinatæ, curâris. Quamobrem quid ego tibi reddam, Christophore, pro tam candido & amico tuo in me animo? Vellem equidem aliquid te dignum si possem; nam quodd de rebus bellicis a me quicquam ad te scribi velis, petis tu quidem, quod æquum sit. Sed interim non satis animadvertisse videris, an a me præstari possit, quod optas. Egone hos bellicos rumores aucupari possim, qui vix ter in anno ad solarium accedam? ego eos audire & sectari quibus ea sunt explorata, quæ in castris geruntur, quem quàm longa est dies amplius quinquaginta discipulorum voces, strepitus, concursationes, aut legentem interpellant, aut interrogantem obtundunt, aut emendantem enecant? Adde, quodd mihi cotidie decertandum est cum barbarie, quacum jam aliquot annos bellum acre gero. Hæc ita dicta esse velim, ne quid de meis ipsius studiis interim audias, quibus, si quid temporis a scholasticis negociis superest, omne meritò deberi intelligo. Quæ cum ita sint, satisne tibi videor ociose ea posse perquirere, quæ foris geruntur, & quæ nihil ad me attinent? Quod si petisses, quæ mearum sunt virium, declarassem tibi pro facto, quantæ

mihî curæ sit ea facere omnia, quæ tibi grata fore intelligam. Neque enim vereor, ne non satis me sis excusatum habiturus, cum me ad ea voces, de quibus nihil intelligam, quæ refugiam, quæ penitus oderim, præsertim cum nihil nuncietur hoc tempore, quod te magnopere delectare possit. Longius me progressum video, quàm meæ ferant occupationes; quare finem scribendi faciam, unum illud precatus, ne scilicet meum erga te amorem ulla ex parte imminutum putes, quod in eo, quod velis, tibi non obsequar, sed potius te incuses, qui non satis a quo quid petas, cogites. Vale, Idib. Novemb. MDLIII., Mediolani.

## EPISTOLA II.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Librum excudendum tradit, alium deinceps missurus.*

SORORIS tuæ filium Musarum Sacerdotem vidi summa cum voluptate cum Petro Perna (1) comite; exoptatissimas ad me tuas literas pertulit, quibus factus sum certior te, qui tuus est in nos amor, ad ea omnia paratum, quæ nobis grata fore intelligis. Dat itaque ad te Majoragius *Paraphrasim* perscriptam quidem, non qua ipse vellet diligentia, ut labor tuus aliqua ex parte minueretur, sed tamen, quod ad rem attinet, fideliter; nam semel, atque iterum ita perlegit, ut si deinas interpungendi diligentiam, & rectiorem dictionum quarundam scriptiōnem, omnia autographo respondeant. Quod ad editionis formas attinet, licet intelligam, te per te ipsum (quod & in aliis factum est) nobis probe satisfacturum, facto interim vel non parvo pecuniæ tuæ dispendio, tamen veniam dabis incredibili cuidam cupiditati, qua teneor, ut hi Majoragii nostri libri, quàm honestissime possunt appareant, dum ea tibi præscribo, quæ ad expoliendam editionem facere videantur. Sint igitur forma ampliore, idest in folio descripti, & eo literarum ductu, quo a te *Græciæ descriptio*, qua & me donasti, est exarata. Præfationes iis exprimantur literis, quibus nostri *Oratoris* fronti illa ipse impressisti verba. *Nuper adeo in eloquen.* & reliqua pauca quædam. Literas quadratas illas, unde initium capiunt scriptoris verba, reponant mancipēs tui ex earum genere, quæ sunt amplissimæ, quæque habent τὸ πάρεργον (a) ex veteris Testamenti historiis, quibus usus es in exornando Nicephoro, & Arluno, quem & ipsum aliquando absolves si fortuna faverit. Et

(a) Ornamentum.

quoniam hujus omnis Paraphrasis partem alteram *Cælum* habet, alteram *Generatio*, neque omnis uni se devovet, sed altera sedtio Archiepiscopo nostro, altera Octaviano Arcimboldio; (3) ideo vellet Majoragius ita edi seorsim, (4) ut nihil aliud inter se commune haberent, nisi formæ amplitudinem, & literarum ductum, idest ut essent tanquam duo corpora utraque tuo illo magno delphine, Arioneque ad extremam paginam, parvo ad omnium primam insignita, sejuncta & titulis, & paginarum numeris, sed ita ut facilè artificum librariorum opera in unum corpus coalescere, si libuerit, possint. Et hæc quidem quod ad formam attinet; nam in reliquis omnibus tuo judicio arbitrataque uteris. De edendi celeritate videmus, quid promittas. Illud interim te meminisse velim, nempe ut cum primùm libros acceperis, utriusque partis quaternionem primum diligentissime exprimas, & ad nos confestim mittas: vix enim dixerim, quàm magni illud nostra intersit. Sed tu pro tua diligentia; quæ volumus, imo plura etiam quàm volumus, curabis omnia. *Partitiones* jam non solum absolutas, & longiori præfatione donatas, sed etiam in fasciculum constrictas ea de causa, quam te docui, nemini sumus commissuri, nisi ei, qui tuo nomine ad nos venerit. Sessam non desinam officii sui admonere. Vale, Eidibus Novemb. MDLIII. Mediolani.

(1) Basiliensis typographus Petrus Perna, atque Joannis Oporini in typographico negotio socius. Sane in quibusdam libris utriusque nomen subscriptum legitur, veluti in *Cassandra Lycophronis*, Basileæ excusa 1546.

(2) De hac Nicephori editione nihil apud Maittaire. Attamen in *Indice antiquo Librorum partim per Oporinum venalium, partim excusorum*, qui in Ambrosiana est, sic legitur: *Nicephori Callixii Basileæ per Joannem Oporinum, & Hervagium 1541 mense Augusto.*

(3) Octavianus hic patrem habuit Jo. Angelum, de quo supra pag. 35, Prothonotarius fuit Apostolicus, Abbas Vicoboldoni, Camertium Agri, & Umbriæ Vicelegatus, (a) idemque Majoragii auditor in dialecticis, ac philosophicis disciplinis, ut ex Majoragii ipsius *Antiparadoxon* lib. 3. Hocque ed libentius adnotare visum est, quod disciplinas has edocuisse Majoragium ab alio quopiam præditum non arbitror.

(4) Seorsim revera edita est dicta Majoragii in Aristotelem *Periphrasis*, iisque Arcimboldis dicata. Uterque liber Basileæ Oporianos typos subiit in fol. anno 1554 mense Augusto, atque in Ambrosiana extat. Deque duobus hisce Majoragii libris mentio non est apud Michaëlem Maittaire *Annal. Typogr.*

(a) *Morigia Hist. lib. 4. cap. 9.*

## EPISTOLA III.

N. N.

*ARGUM. Filii ejus, ad quem scribit, necem nunciat; funus, ac tumulum narrat; non deesse qui de ejus nominibus expediendis cogitet. Illud curare se, ut cædis Autores puniantur.*

**P**OSTEAQUAM, vir ornatissime, de filii tui juvenis lectissimi nece factus sum certior, eo sum perculsus mœrore, ut neque ipse scribere, aut aliis dictare quicquam potuerim, cùm eum mihi sublatum ex oculis cogitarem, qui mihi tanquam patri esset creditus, quique a me non secus, ac si filius fuisset, diligeretur. Quem meum dolorem ejus, quem ex hoc tristissimo nuncio ipse captutus esses, recordatio mirum in modum adaugebat. Egone tam inauspicatis literis omnium primus hujus honestissimi viri oculos hoc tempore remorabor, qui antehac consuevissem ad eum ea scribere, ex quibus maximas caperet voluptates, cùm ex me potissimum ea audiret, quæ filium, si diutius vixisset, magnum pollicebantur futurum, & quæ de filii virtutibus eximiis, rebusque præclare gestis scripta patri essent exoptatissima? Quem ergo in spem incredibilem erigebant animum, nunc eundem dolore acerbissimo prosternent literæ? Quæ quidem cogitationes ita animum meum distraxerant, ut vix post longissimum temporis intervallum sperarem fieri posse, ut quod mei esset muneris præstarem, nisi Michaelis alumni tui literæ forte intervenissent, quæ, indecorum fore visum est, si solæ ad te perferrentur, neque ego vel dolore ipso invito quonam pacto res sit gesta, declararem, idque brevissime saltem, cùm longissimo sermone Michael omnia sit persecutus. Cùm itaque superioribus diebus ad nos venisset Michael idem cum filii tui literis, quibus a me sibi consuli volebat, quid ageret, quidque futurum putarem de Germanorum cohortibus a se dimissis, rogabat insuper me, ut apud Ferrandum Gonzagam agerem de stipendiis pridem promissis sibi reddendis. Cùmque in eo ipso omni cura, atque diligentia fuisset usus, nulla ipse mora interposita ad ipsum filium tuum scripsi, ut statim ad nos recta veniret, hincque moraretur, utereturque domo mea, omnibusque rebus meis non secus, ac si domi suæ viveret. Cogitabam enim interea Michaellem ad te mittere, qui a te edoceret, quid filio ipsi hoc potissimum tempore faciendum censeret; neque ego ei ulla in re interim defuissem,

five

sive illi opéra, & gratia, sive nummis opus fuisset. Quod meum ille consilium si secutus fuisset, imminentis fati periculum procul dubio evitasset, quod nunc non sine omnium bonorum mœrore subiit. Nam dum unum de servis suis nomine Hieronymum cum Hispanis aliquot contententem, verbis tueri conatur, neque Hispanos istos gladios in se strinxisse animadvertit, unico accepto vulnere ita subito concidit, ut ne suo quidem se ense armare potuerit. Quod vulnus cum altiùs fuisset acceptum, neque remedii occasio ulla daretur, his se munivit Sacramentis, quæ a Christianorum hominum Ecclesia sunt instituta, & ad Deum immortalem ita abiit, ut mirum in omnium animis sui desiderium reliquerit. Quàm enim male horum perditissimorum hominum factum habuerit Civeis Astenseis, & eos duces, qui cum eo militabant omnibus; nulli verbis me satis dicere posse considerem. Elatum est ejus corpus juvenum nobilium humeris, honestissimis ejus civitatis ordinibus, & militaribus item omnibus comitantibus, eo luctu, & lacrymis quæ, quàm carus esset omnibus, declararent, ea pompa, quæ visa fuerit omnibus admirabilis. Situm est illud ipsum in nobilissimo Astæ civitatis cœnobio, inque sacello augustissimo locatum arca inclusum, adjectis interim iis & insignibus, & literarum monumentis, quæ omnibus obviis testarentur, quanti viri reliquæ ei loco sint creditæ. Ego porro, vir honestissime, eam esse tuam sapientiam confido, ut non solum ipse forti, atque infracto animo sis hoc gravissimum incommodum laturus, sed etiam uxori tuæ sanctissimæ fœminæ defuncti matri nullo loco defuturus, ejusque incredibilem dolorem levaturus. Cujus acerbitas quò major est, & perpendentibus tuarum rerum omnium statum commiseratione dignior, eò certe majores, ac cumulatiores laudes merebitur constantia illa tua singularis, & admirabilis prudentia, quibus instructus hac præsertim re declaraveris, te a Dei immortalis voluntate nullo pacto esse dissensurum. Michael tuus hoc tempore apud nos est, ut ea signa asportet, quibus ad cohonestandum tumultum est opus. Quæ ubi bene composuerit, aliquandiù Astæ commorabitur, ut quasdam pecunias exigat ab iis, qui filio tuo debuerant; unde vicissim iis satisfaciat, quibus ille debuerat. Eorum verò omnium quæ gesserit, Michaellem tibi, cum licebit, rationem commode, & accurate redditurum spero; visus enim mihi semper est vir bonus, & tui amatissimus. A me verò, qui meus est in te amor, ei facilè suppeditabitur pecunia, qua in tuis rebus utatur, quòd intelligam me tibi in eo gratum facturum, quod item in cæteris omnibus summopere cupio. Atque etiam ea de causa mihi quoque faciendum existimavi, ut qui



tantum scelus in te commiserunt, exules declararentur, idque factum est ea ratione, ut sicubi capi potuerint, suspendio vitam nequissimam finiant. Nusquam, mihi crede, sum defuturus, ut, si fieri possit, capiantur, & quas merentur, dent pœnas, licet statim fugisse dicantur aliis militibus permixti in Corsicam. Quod si se nobis occasio obtulerit, aut ipse dederis, qua tibi gratificari possimus, ad omnia tua commoda nos semper paratissimos cognosces, & experire. Faxit Deus, ut omnia in posterum ita feliciter & tibi, & conjugii tuæ succedant, ut brevi omnium incommodorum vestrorum memoriam ex animis vestris deleatis. Vale. Mihi cum hæc scriberem, videbatur operæ pretium futurum, si iis omnibus rite peractis, quæ ad sepulchri ornatum pertinere sunt visa, Monachis, apud quos filius tuus terram terræ reddidit, idest sepultus est, ornatus aliqui sacerdotales unacum ipsius armis donarentur, quæ essent apud illos filii tui mnemosynon. Quod si tibi curandum videbitur, sedulò curabitur, & cætera omnia, quæ tibi grata fore intellexerimus. Iterum vale.

## EPISTOLA IV.

BAPTISTÆ GRUMELIO.

ARGUM. *Gravioribus studiis deditum esse, lætatur.*

QUEMADMODUM egregiæ tuæ fuit indolis, morumque suavitate literis declarare, te mei immemorem non esse, ita meæ in te benevolentia duxi, non tacere, licet tot me obruant occupationes, ut vix aliquando respirare possim. Equidem dolco, & vobis horum temporum iniquitatem obesse plurimum, quod certe malum eò videtur æquiori animo ferendum, quò cum pluribus vobis est commune. Contra vero in re mihi lætandum videtur, quòd nuper ad graviora studia tuum appuleris animum, quam ego rem ita tibi Deos immortales fortunare volo, ut brevi in eum virum evadas, quem toties te pollicitus es & mihi, & Parentibus tuis. Non utar pluribus, ne me potius in hoc scripisse putes, ut cohortarer ad ea, ad quæ satis per te inflammatum esse confidebam, quàm ne tacendo certissima tui in me amoris argumenta agnoscere non viderer. Parentibus tui nobilissimis s. p. d. Vale, xv. Kal. Januarii MDLIII., Mediolano.

## EPISTOLA V. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Litteras, ad quem spectant, daturum affirmat. Ad libri impressionem maturandam urget, monetque de aliis prælo subjiciendis.*

QUAS Merulæ (1) certo vis reddi, reddentur, mihi crede, literæ; imò jam ipse reddidissim, nisi cum Taurini non apud nos esse, ut tu putas, intellexissem. Non parum & ego, & Majoragius sumus mirati, quòd quem ad te librum Carceriis mercatoribus dedissemus ædibus Novembris, ipse xvii. Kalend. Febr. nondum accepisses, quo quidem tempore jam præfationes absolutas saltem accepisse nos oportuisset. Attamen per te non stetit, quem accinctum, ac paratum ad omnia probe novimus, sed per vectores, quò minus jam in tempore nobis factum sit satis. Mercatores de hoc ipso a nobis interrogati respondent, aquarum tarditatis fuisse in causa, salvum esse librum, aut jam ad te perlatum vim esse, aut certe brevi perlatum iri. Quod si fortè jam evenit, matura, obsecro te, mi Oporine, & qua volumus forma, & qua potes elegantia, da tandem initia ad nos absoluta. Obtulimus *Partitiones* Hervagio (2) quas ad te perferret; sed quoniam intelleximus, non satis comode id ab eo curari posse, præsertim tempore tam pluvio, in eam diem mittere distulimus, qua ipse nobis certissimum obtuleris nuncium; alioquin satis scimus Hervagium, ut visus est humanissimus, & in tuam & in nostram gratiam paratum fuisse facere omnia. Commentarii sunt, cujusmodi nullus adhuc in id opus edidit, & tu fatebere, cum eos videris. Exemplar (ut aliàs ad te scripsi) est ipsius Majoragii manu exaratum, ideoque veremur, ne forte male cuiquam illud credamus. Tu itaque petes, cum tutò te accepturum putabis. Nunc audi quid tibi novi adportem. Absolvit Majoragius nuper librum *de Senatu Romano*, (3) non vulgaris eruditionis refertissimum, eumque jam obtulerat invulgandum cuidam librario (4) nuper in hanc urbem advocato, cum ipse ejus rei penitus interim essem nescius. Cum itaque primum id rescisco factum, ad Majoragium contendo: rogo, satin' sanus sit, qui tam bellum, ac lepidum libellum homini imperito inquinandum, conspurcandum, perdendum daret; ac non tibi potius omnis antiquitatis patrono conformandum, exornandum, animandumque crederet? Ille per-

(a) Responso ad illam Oporini apud Gudium, pag. 181.

stare in sententia, quod diceret fore, ut multò celerius ad se rediret, & pluribus quidem exemplis, quòd & temporis angustia premeretur, neque paucioribus, quàm centum exemplis indigeret. Hic ego ei hæc omnia polliceri de te sum ausus multis verbis, imo etiam illud addidi te ad eum tuo sumptu illa ipsa centum exempla vehenda curaturum. Quid quæris? Eum tandem expugnâvi, librum a librario extorssi, quem cum viderem misere jam discerptum, ac quibusdam . . . . paginarum numeris, & maculis interlitum, ac pessime denique ab illis Steropibus, ac Brontibus habitum, rescribendi ejus, ut ad te mitteretur, Majoragio auctor fui, de re te interim admoniturus. Liber est totus paulò major, minorve dimidia Marliani *Topographia*; sed eo argumento, & obscuriorum locorum enarratione, ut si eum excuseris, quod spero, magnam apud studiosos omnes gratiam sis initurus. Placet autem describi in quarta folii parte paginis oblongis, & iis literis, quibus *Urbis* eadem *Topographia* a te est expressa. Hæc si citra gravè incommodum aliquod te præstare posse intelligis, admone, ut quam primùm absolutum id ipsum nobis des, sin minus, non deerunt, qui in hoc Majoragio utcumque obsequantur. Vale, VII. Kalend. Febr. MDLIV., Mediol.

(1) Gaudentius Merula hic est scriptor eximius in Oppido Lavezarii Novariensis Agri (a) ortus; quæ enim duo in epistola hac indicantur, nempe tunc Taurini egisse Merulam, & litterarum communionem cum Oporino habuisse, utraque in Gaudentium Merulam quadrant. Primum ex epistola constat Oporini ad Franciscum Cicereium Basileæ scripta 14 Januarii 1554, quæ 95 est inter Gudianas, in qua hæc habet: *Audio ipsum (Gaudentium Merulam) Taurini apud Marchionem de Maziguan agere*; aliud ex Codicibus liquet ejusdem Merulæ *de Claris Italiae famil.* in Bibliot. nostra n. 136, & alio Diamantis Marinoni *de Nobil. Mediol. famil.*, ibi enim Gaudentius, ubi de gentilibus suis, sic de Georgio Merula loquitur: *Scriptit Centurias in Miscellanea Politiani, quas Oporino meo imprimendas tradidi*, quibus verbis paria habet Marinonus.

Præter dictum Gaudentii Merulæ Codicem, alius a nobis ejusdem servatur, n. 152, ubi nimirum is historiam prosequitur Scipionis Vegii Mediolanensis de bellicis actibus, Francisci II. Sfortiæ tempore. Hæc historia Vegii in eodem Codice continetur, ac nihil horum lucem publicam adhuc vidit.

(2) Celebris ea tempestate erat (b) Joannes Hervagius Basileensis Typographus, qui aliquam etiam cum Joanne Oporino in typographicis operibus societatem habuit. Vide annot. 2. ad epistolam 2. hujus.

(3) Liber hic Mediolani primum editus 1561, deinde iterum impressus in *Supplem. Thef. Antiq.* Joannis Poleni tom. 1.

(4) Librarii in antiquorum significatione ii sunt, qui libros exscribunt, at tamen non inepte (veluti in Roberti Stephani est *Thefauro* adnotatum) Biblio-

(a) Tiraboschi. tom. 7. par. 2. *Litterat. Ital.*

(b) V. Baillet *Jugem. des Sçavans*, & alios.

graphi etiam hoc nomine appellari queunt; nam etiam hi librum in varia exempla transfundunt, atque illud idem, quod exscriptores, multò citius, atque elegantius præstant.

## EPISTOLA VI.

INTEGERRIMO JUSTITIÆ VICARIO S. P. D.

ARGUM. *Causam suam commendat.*

CUM, quod tuæ fuit humanitatis, aliquid mearum literarum te legere cupere dixeris; has ad te, qualescumque sunt, dare volui, quæ ejus potissimum sunt argumenti, ut ex eis adversariorum nostrorum injustitiam faciliè perspicias. Hi nanque se Misericordium Collegio præesse dicunt, at pro tua incredibili prudentia vide, an hi digni sint, qui ei Collegio præsideant, cum contra jus, leges, & Christi Ecclesiam omnia moliantur, seque ipsam misericordiam oppugnare declarent. Hæc enim inter alia, vera germanaque sunt misericordiæ opera, quemadmodum sanctissima censuit Ecclesia, tueri pupillos, defendere viduas, aliorum egestati de suo subvenire; quæ vide, an isti faciant, qui immeritò nos impugnant, ac vexant, & quæ aliena sunt ad se trahere, & rapere conantur. At per Deos immortales, si qui plus juris habent, vincere debent; in nobis nullum dubium est, quin tandem vincamus. Neque tamen hoc assequi poterimus, nisi favore tuo infirmitas nostra fulciatur. Nam aut apud te justitia, atque æquitas jus suum obtinebunt, aut, quod nunquam fiet, ex tribunali tuo pulsæ locum, ubi consistant, reperire non poterunt. Vale.

## EPISTOLA VII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Responsum petit.*

AD Eidus Novembris Carcereis mercatoribus dedimus ad te Aristotelis *Paraphrasim* a Majoragio nostro editam. Ad xvii. Kalend. Febr. scripsisti ad nos, te librum nondum accepisse. Quo ego tempore rescripsi, adjeci quædam de altero libro ejusdem Majoragii *de Senatu*; ad quæ tu, ni fallor, ne verbo quidem adhuc rescripsisti. Quid sit in causa tantæ moræ, nequeo suspicari, ut cum editionis jam aliquot

mensibus ante dedisse ad nos te oportuisset, si non opus absolutum, at saltem initia, ejus ne paginam quidem unam, atque alteram adhuc transmiseris. Tu rescribe, si vis, ac vale, Kal. Aprilis.

## EPISTOLA VIII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Adolescens quendam dilaudat; libros si absolvit transmitti mandat.*

ACCESSERAM modo ad Sessæ tabernam librariam, cum ibi cognovi Cælii Secundi filium (1) adolescentem, ut mihi quidem visus est, lectissimum, & patrem jam probe referentem. Hic itaque cum me admonisset de suo ad vos reditu, addidissetque, si quid literarum dedissem, se libenter ad te perlaturum, visum est mihi faciendum, ut hæc pauca ad te in hunc modum; Majoragii nostri libros, si adhuc absolvisti, aliquot ad nos exempla trans mitte, & id cum primum licuerit. Sin adhuc sunt sub prælo, festina, amabo te, mi Oporine, & memento, si quid ad nos dederis, tibi cum vectore conveniendum, ne rursus nobis, quæ tu pro tua singulari humanitate nobis donâris, ipsi magnò divendant. Vale, VI. Eidus Jan. MDLIV., Mediolani.

(1) Filium nempe Cælii Curionis, de quo Cicereius epistola 1, & 5 libri 9. Tres ex Morerio Secundi Curionis filios fuisse, omnesque litteratura præstantes comperio, Cælium Augustinum, Curionem Leonem, & Cælium Horatium. Hunc postremum autem valde suspicor, illum esse qui in epistola commemoratur; de eo enim hic traditur, quod Basileæ una cum Oporino diversaretur. Revera autem Cælium Horatium inibi mansisse, atque in Academia item Basileensi eloquentiam professum idem Morerius perhibet.

## EPISTOLA IX.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Editionis specimen laudat: nævum solummodo adnotat.*

PERLATUM est ad me hodie editionis tuæ specimen, idest præfationes illæ duæ in *Paraphrasim*, quod quantopere & mihi, & Majoragio probetur non dicam, quia non satis me posse confido. Scimus in eo genere non solum, neque alium quempiam, sed etiam neque te ipsum.

facere quicquam præstantius posse, præsertim si unum nævum exemeris prima facie ad incudem reddita, & ita inscripta: *Ad maxime Reverend., atque illustrem Jo. Angelum Arcimboldium Archiepisc. Mediol.*; alioqui non putat Majoragius librum satis honeste apparere posse; quare omnino vellet immutari. Reliqua cùm erit commodum ad te mittemus. Vale. Eidibus Aprilis.

## EPISTOLA X.

JOANNI OPORINO S. P. D.

*ARGUM. Indignatos Arluni hæredes inquit, tum quippiam de Majoragii libris.*

**A**LIIQUOTIES admonui te, mi Oporine, Arlunos mihi succensere, quòd mea cohortatione factum sit, ut Franciscus Arlunus *Historiam* ad te miserit describendam, quam ne adhuc quidem absolveris, tot præsertim jam elapsis annis, addidi insuper, nisi ei rei in tempore consulisses, fore ut exemplar a te suum repeterent, jureque tecum agerent. Quæ vero interim ipse tentarim, dixerim, fecerim, ut illos placatiores, & æquiores & mihi, & tibi redderem, si aggrediar dicere, vix mihi forte credideris. Sperabam enim fore, ut interim & Riccii, & aliorum amicorum, quos ego excitâram, operâ aliquid tibi publice daretur, & jam nihil te remoraretur, quin ad umbilicum opus jam inceptum perduceres; quæ spes cum jam refrixerit, & Arluni jam non succenseant solum, sed indignentur, dicantque, se ad te aliquem ablegaturos, qui te in jus vocet, ut vel intra sex menses absolutam te daturum historiam apodixi testeris, vel ipsis exemplar suum sine mora ulla interposita reddas: ad te scribendum censui, ut utrum satius ducas, ipse videris. Jam quod ego in hac re præstem, nihil est, cujus rationibus, aut precibus nullus jam apud eos relictus est locus. Quare dispice, utrum magis ex re tua futurum censeas, edas ne, & absolvas, an neglectis cœpti operis fundamentis libros restituas. Majoragius ad te dare cuperet *Partitiones* satis amplis commentariis a se interpretatas, & *Paraphrasim*, si modo est absoluta, abs te accipere; nam ex quo tempore futuri operis specimen nobis exhibuisti, bis ad te scripsimus, præsertim de quadam locutione minime latina in prima facie tollenda, quas ego literas te jam accepisse intelligo. Vale, xi. Kal. Aug. MDLIV. Mediolano.

Has ego literas cùm vererer, ne minus ad te perlatæ essent, altero

exemplo ad te dare nunc non dubitavi. Interim nihil aliud a te accepimus, quàm unas eas literas; quas te cum xx. *Paraphraseos* exemplis conjunxisse dicis, idque pridie Idus Augusti. Vale, Med. vi. Idus Octobris, MDLIV.

## EPISTOLA XI.

GALEACIO LAMPUGNANO (I) S. P. D.

ARGUM. *Studiis recte deditum laudat.*

**S**I domi fuisset, quo tempore tuæ allatæ fuerunt literæ, non passus fuisset eum, què ad me miseris, sine literis meis ad te reverti. Sed quoniam factum est, ut tunc abfuerim, rescribo serius, quàm voluisset, magno tamen gaudio delibutus. Video enim te spem, quam & ego, & cæteri omnes tui de te concepimus, neque desidia, neque turpi ocio elusurum, sed pleno magis atque magis in dies gradu ingredientem ad ea, quæ antiquo majorum tuorum stemmate, summa viventium expectatione, egregia tua indole sunt digna. Quod mihi quidem clarum fit ex eo, quòd talem te tuis domesticis probâris, qualem ipsi a me te reversurum sperabant, quòdque totus studiis immerfus sis, dum plerique æquales tui supine vitam traducentes suam, aucupio, piscationi; & racemationi sunt intenti. Illud item spem nostram probe confirmat, quòd mei non immemor esse potueris in tantis tuis studiis, ad quem tam amabilem epistolam miseris; amabilem, inquam, non enim is sum, qui una, atque altera erroris offendar macula, quia scripseris: *ego carmina, quæ apud composui, protuli, pro quæ apud te; & ego vero coram illos, pro coram illis*. Nam satis intelligo, si quid erratum est, id festinationi potius, quàm imperitiæ tuæ esse adscribendum, præsertim cum aliàs semper cautius scripseris. Tu, mi Galeaci, perge facere, quod cœpisti, teque in ista laudatissima sententia diu contine; quod si feceris, ita large mihi ausim de te polliceri, ut non dubitem, quin virtutis tuæ fulgore sis universæ familiæ tuæ lumen, licet ingens, obscuraturus. Saluta meis verbis domesticos tuos omnes, sed nominatim Georgium (2) Patruum tuum virum clariss., & Cottam fratrem tuum, lectissimum adolescentem.

(1) Lampugnana apud nos illustris familia, de qua Morigia, Sizonus, & alii. Inscriptiones duæ Lampugnatorum una cum familiæ insignibus in Basilica nostra sunt; alia anni 1357 die 4 Januarii, alia 1598 quas Puccinellus affert, (a)

(a) *Mem. di Milano*, pag. 60.

qui quidem non satis accurate eas recitat, (veluti in prima annum 1503 pro 1357 ponit) attamen tanti non est, ut iterum repetamus.

In Monasterio Cerreti Congregationis nostræ, in agro Laudensi, servatur Bulla Martini Papæ V. ad Abbatem Clarævallis Mediolani, in qua D. Ambrosium Lampugnanum, ibi tunc degentem, Abbatem creat Monasterii ejusdem Cerreti. Data est Romæ 16 Kalend. Martii anno 1421. In fine Codicis, n. 342, membranacei sæculi 15 Bibliothecæ nostræ, in quo Prisciani opus continetur *de Ordinatione partium orationis*, annotatum legitur: *Isse liber est Monasterii S. Mariæ de Cerreto Canoniorum de Lampugnano Abbate ejusdem Monasterii in Francia, cum missus fuit a Duce Mediolani in sacro Basiliensi Concilio ad Regem Franciensem, ac Ducem Brogundiensem, Angliensemque Regem, qui magnum bellum agebant, & pacis honorem habuit, . . . tumque præsertim librum emit. Sane in Novo Thef. Anecdor. Martene (a) inter PP. Basiliensis Concilii enumeratur Abbas de Charreto, seu Cerreto, & in Oratione Æneæ Silvii, in Cod. (b) Ambrosianæ in 4 signato M. 44., de legatione ejusdem ad regem Franciæ, & Burgundiæ fit sermo hisce verbis: Nec tu potentissime Princeps Burgundiorum ab Longobardis Prælati fuisi prætermisus, Abbati namque de Cerreto patri integerrimo ea legatio obvenit, quem tu propter patriam, propterque Dominum læto vultu & gratissimo animo recepisti.*

Lampugnanos plures in serie Abbatum Monasterii nostri dinumeramus, & aliquos quidem continuo, minimeque interrupto ordine sibi invicem succedentes ab an. 1357 ad. 1401. (c) Joannes Lampugnanus, qui hoc anno hujus Monasterii Abbas, orationem confecit pro exequiis Joannis Galeatii Mediolani Ducis, quæ MS. extat una cum aliis Codicibus in Bibliotheca SS. Joannis, & Pauli Ordinis Prædicatorum, Venetiis. (d)

(2) Existimare non repugnat Georgium hunc Lampugnanum eum esse, quem inter Cæsarianorum militum Duces laudat Julianus Gofelinus in vita Ferdinandi Gonzagæ, pag. 142, ubi inquit fuisse *nobile Milanese, e fra buoni soldati assai riputato*, ac pag. 386 Cherii gubernatorem egisse.

(a) Tom. 4. pag. 1579.

(b) De qua annot. in Epist. 17. lib. 9.

(c) V. Aresium, *Serie Abbat. S. Ambrosii*.

(d) V. *Opuscoli Scientifici e Filologici, N. Raccolta t. 33.*

## EPISTOLA XII.

CHRISTOPHORO GORINIO (I) JOANNIS F. S. P. D.

ARGUM. *Multum in studiis profecisse gaudet, quidquid verò ad eundem magis erudiendum conducere agnoverit, se deinceps sedulo effecturum.*

ADMIRATUS sum (ita me Deus amet) vehementer, quod tu, quem ego istinc discedens:

. . . . vix fantem, ac pede firmo

Tentantem gressus. . . . .

reliqui, intra septem annos, & tam parvo videlicet temporis curriculo

Vol. II.

G



tantum profeceris, ut jam doctissimum quenque politis epistolis tuis appellare possis. Quare jam libet una cum Apolline Virgiliano exclamare:

*Maçte nova virtute puer, sic iur ad astra. (a)*

Nam, si ex unguibus æstimandus est leo, sperare debemus futurum, ut in virum maximum, & in omni disciplinarum genere præstantissimum evadas, & non solum majores tuos optimos viros adæques, sed etiam Patruorum tuorum, & Patris virtutes omnes tu unus exprimas, unus complectaris, & Francisci probitatem, Baptistæ integritatem, Petri morum elegantiam, Antonii fidem, Pantaleonis, patrisque tui eruditionem probe referas, sisque nobilissimæ familiæ tuæ magnum decus, ac ornamentum. Qua in re efficiunda, quod juvari te posse diligentia mea putes, meque de tot præstantissimis viris, qui politiores literas hac in urbe florentissima profitentur, potissimum elegeris, cui te, tuamque eruditionem crederes, non equidem parvi pendo. Sed tamen de me ipso illud tantum habeo tibi polliceri, me daturum operam, ne unquam meritò dicere possis, te Magistrum habuisse pœnitendum. Doceo enim æque omnes, & facio sedulo, ne per me steterit, quin, quicumque me duces sequuntur, & meliores, & doctiores fiant. Tu vero, si modò in meorum militum esse numero constituissem, tibi propone imperata libenter facienda; interdium, nocturnoque laborandum de honore, gloria, literis cum æqualibus acriter certandum, ut aliquando ad tuos redire possis dignus ista celebri patria tua, ista veteri familia tua, istis Patruis, ac Parentibus tuis, viris clarissimis. Hoc animo, si ad nos veneris, carus omnibus, expectatusque venies. Vale, Non. Febr. MDLV., Mediolano.

(a) *Æneid. 9.*

(1) Qui a Ballarino laudatur, *Croniche di Como* p. 232. Eiusdem Cicerei italico scripta idiomate ad Christophorum Gorinium epistola extat in Belgiojosianno Codice, tresque ad Joannem Gorinium.

## EPISTOLA XIII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Libros ad se perferri mandat.*

SCITO *Paraphraseos* exempla viginti, quæ mense Augusto ad nos te dedisse scripseras, adhuc post tot menses non esse perlata. Credimus quidem te misisse, & pro consuetudine tua, functum esse officio libe-

ralis hominis, & diligentis; sed certe nihil aliud unquam audivimus de illis, nisi quod tu literis significaras. Imo, cum Kalend. Januarii admoniti fuisset Sessam libros istinc advectos accepisse, inter quos istiusmodi *Paraphrases* numerarentur, duas tantum deprehendimus præter spem, atque expectationem venaleis ipsi missas. Itaque coemimus, (ut & tu opus fuisse intelligis) & cognovimus, quantum in eo cudendo opere elaboraveris, & quanta cum venustate, atque elegancia, quæ tua est humanitas, appareat, neque unquam putavimus, per te stetisse, quin exemplorum satis haberemus, sed, quæ misisti, per Vectorum negligentiam alicubi retenta. Quare tuum erit videre, cui fasciculum dederis, & admonere, ut tandem nobis reddant bona fide, quod a te transmissum est. Est enim turpe Majoragio post suorum librorum editionem, & distractionem tandiu illis carere. Mediolani ex Sessæ tabernæ libraria, Kal. Febr. MDLV.

## EPISTOLA XIV. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

*ARGUM. Majoragii obitum nunciat, magnoque se se ob id in mœrore versari.*

**F**IERI vix posse crediderim, quin rescribendi tarditatem meam sis miratus, & adhuc mireris, sed, amabo desine: nihil mea culpa, aut negligentia commissum est. Si quid peccatum, & luctui adscribendum est, qui me jam decem dies ita angit, & cruciat, ut nihil me vivat infelicius. Etenim xv. Kalend. Maji (1) Majoragio sum orbatus, veterum auctorum interprete eruditissimo, rhetore præstantissimo, atque oratore suavissimo, mei ita studioso, ut multò plura illi deberem, quàm Parentibus ipsis; qua quidem re nihil unquam molestius tuli, neque, ut existimo, unquam feram. Ante annos quatuor, & viginti ego quatuor annos natus Patrem amisi, non sensi quantam jacturam fecerim, Matre præsertim superstite. Multis exinde, ut sunt res humanæ, sum jactatus incommodis; sed nihil æque unquam grave visum est atque Majoragii mei interitus, hoc potissimum tempore, quo illum & ego, & omnes bonarum literarum studiosi frui debueramus, in ipso videlicet & interpretandi, & scribendi fervore. Nam unum & quadragesimum agebat annum corpore, & animo validus, cum ecce in ardentif-

(a) Responso ad illam Oporini apud Gudium, pag. 182.

simam febrem incidit, mox tussi totus concutitur, atque sic exhauritur, ut intra triginta dies, ex quo ægrotare cœpit, nos mœstissimos deseruerit, me autem omnium mœstissimum, cui subtracta est occasio significandi mei in eum amoris. Nam, cùm ille nullum unquam tempus intermisisset cogitandi de commodis meis, me treis annos continuos domi suæ habuisset, instituisset, jamque ejus opera hujus florentissimæ Civitati innotuissem, par erat, ut mihi quoque temporis aliquid daretur ad animum meum ei declarandum; non minus enim mihi suave fuit alios remunerari, si daretur, quàm ab aliis beneficium accipere, & si quæ sunt opes meæ, aut qui ego sum, qui possem tam præstantem virum, tam de me benemeritum remunerari? Sperabam tamen conatus meos illi, ut erat omnium humanissimus, fore gratissimos. Angor itaque omnem mihi spem istam esse præcisam. Neque aliud in tantis doloribus solatii aliquid pollicetur, nisi posteritatis grata memoria, cui ejus labores non ingratos fore confidimus, præsertim cùm ei viventi jam tantum datum a bonis ipsi viderimus, quantum famæ multi ejus ordinis homines mortui vix sunt consecuti. Qua ego in re, te mihi futurum socium spero, nec defuturum mortuo, cujus viventis virtuti prospere fueris velificatus, cuique jam jam morituro etiam benevolentiam tuam declararis. Licet enim maximis doloribus undequaque impeteretur, tamen ante sextum diem, quàm animam efflaret; ubi cognovit viginti *Paraphraseos* suæ exempla esse ad nos devectora, totus visus est recreari, teque, qua potuit, voce laudavit. Quos libros eo mortuo hæredes, quibus voluerunt, distribuerunt, nullum interim facientes vecturæ sumptum. Quandoquidem Hannonii spectatæ fidei mercatores fasciculum, ita ut convenerat inter te, & illos, nobis probe curatum reddiderunt. Vale Majoragii mei memor. III. Kalend. Maji MDLV., Mediolano.

(1) Error hinc dignoscitur Bœlii, Niceronii, Argelati, & Morerii, qui mortualem Majoragii prævertunt diem, assignantque ad quartum mensis ejusdem Aprilis. Majoragii monumentum visitur in porticu, quam ad exornandas Canonicales ædes, Ambrosianæ hujus Basilicæ, opera celeberrimi Bramantis (a) extrui curavit Ludovicus Maria Sfortia Mediolani Dux. Inscriptionis verba monumento apposita legi queunt apud Puccinellum, Ghilinum, & alios.

Prope istud Majoragii elogium antiquissima alia, licet ex parte mutila, Inscriptio, superiori tantum anno 1781, apposita fuit, ex pavimento, ubi jacebat,educta. Conatus P. Allegrantæ in explicandis præcipue quibusdam nominibus locorum, quæ in hac Inscriptioe occurrunt, videtis in ejusdem opere *de Sepulcr. Christian.* pag. 20, & in *Addendis* pag. 163.

(a) Tirabosch. *Le sceris. Isal.* tom. 6. par. 2.

## EPISTOLA XV.

ANTONIO M. VENUSTO (I) S. P. D.

ARGUM. *Librum mercari cupit.*

**S**<sub>I</sub> pluris apud te est accessionis aliquid in isto tuo thesauro facta, quàm formarum elegantia, & descriptionis diligentia, Venetum merce-  
ris cenſeo, ſin contra, Pariſienſem.

(I) Antonius Maria Venuſtus, ad quem tres aliæ Cicereii italicæ epiſtolæ ſunt in Cod. Belgioſiano, primùm Cicereio eodem præceptore uſus eſt, (a) tum artem Medicam, & humaniores litteras eſt profeſſus, in quibus & excel-  
luit. Mediolanenſem Venuſtum Argelatus reputat, quem propterea in *Bibliotheca*  
ſua inferuit. Tergeſtinum eum facit Jacobus Mangetus; (b) & Franciſcus Xave-  
rius Quadrius, (c) in pago Groſſoti Vallis Tellinæ ortum habuiſſe aſſerit. Haud  
difficile eſt tamen hæc de Venuſti patria in ſpeciem adverſantia ſimul conciliare,  
ſi dixerimus patria Venuſtum Valliſtellinenſem, ſeu Rhætum fuiſſe, Mediolanen-  
ſem vero ex diurno domicilio. Venuſtum ex Rhætorum gente fuiſſe dubitare  
nos non ſiunt plures Sigifmundi Foliani ad eum epiſtolæ, quæ omnes ad Rhæ-  
tos ſunt inſcriptæ, præſertim vero epiſtola, quæ ex Veneta editione eſt 23 lib. 2.  
ad Venuſtum: Hæc autem, quæ ad Rhætos pariter eſt inſcripta, ſic incipit:  
*Rediiſſe te domum cum uxore incolumem... ſum vehementer lætatus.*

Cum verò Mediolanenſem facit Venuſtum Argelatus, imo ejuſdem Urbis civem  
ſe facit Venuſtus, ut in lib., cui titulus: *Diſcorſo ſu la generazione e naſcimento*  
*degli uomini ec.*, non alia ratione id factum fuiſſe exiſtimandum eſt, niſi quia  
pluribus annis ea in civitate verſatus ſit. Sane Mediolani Venuſtum Oratoriam  
docuiſſe facultatem (d) compertum eſt; ſicuti & medicam artem ſumma cura  
laude, & nominis celebritate exercuiſſe.

Editorum Venuſti operum indicem dedere Argelatus, & Quadrius, a qui-  
bus tamen non commemoratur ejuſdem liber, \* cui titulus: *Conſilium peſtis*  
*avertendæ Petro Antonio Lonato Senatori dicatus*, ut ex epiſtola Foliani 24 lib. 2.,  
& ſermo \* *de Urbe Roma*, quem a Venuſto Bononiæ habitum, atque in lucem  
emiſſum, nuncupatumque Joanni Franciſco Bonhomio Vercellarum Epiſcopo doc-  
cet idem Folianus epiſt. 25. lib. 2., ac denique ejuſdem liber \* *De Abduenſi Fa-*  
*milia*, quem memorat Jacobus Cortellia in epiſtola ad amicum pag. 135: *Di-*  
*verſorum Poetarum Epigrammata* per dictum Cortelliam; Taurini 1589. Porro  
epiſtolæ \* Foliani ad Venuſtum aliæ ſunt in editione Veneta hætenus laudata,  
aliæque ad eundem in editione Mediolanenſi. De Venuſto etiam egit Jo. Alexan-  
der Brambilla. (e)

(a) Ex eodem Codice pag. 12.

(b) *Bibliob. Scriptor. Medicor.* t. 4. pag. 424.(c) *Differt. della Valtellina.*

(d) V. Quadrium, &amp; Argelatum.

(e) *Stor. Fiſ. Med. Anas. Chirurg.* t. 2. par. 1.  
pag. 31.

## EPISTOLA XVI.

CAMILLO BILLIO (I) JUVENI PRIM. NOBILI,  
MEDIOL. S. P. D.

ARGUM. *Discipulo rus eundi dat veniam.*

**N**ON eram equidem Gabrieli tuo rusticandi veniam daturus, qui nossem puerorum incredibilem esse a labore feriandi cupiditatem. Sed, cum intellexi te vadem factum esse & ejus in tempore sistendi, & quandiu abfuerit, in studiis continendi, sententiam mutavi, simulque, ut abeat, concessi, Deos precatus, ut omnia ruri vobis ex animi sententia succedant. Vale.

(1) Epistolam aliam Cicereii italico conscriptam sermone ad eundem exhibet Codex Belgiojofianus. In ea duo ejusdem Camilli nepotes Lucius, & Jacobus nominantur, qui ipsius Cicereii auditores fuisse dicuntur. Mediolanenses sunt Billii, nobilitate, ac vetustate generis quàm maxime illustres, de quibus Crescentius, Morigia, Sitonius & alii. Hos inter sanctitate, & doctrina emicuit B. Andreas ex Augustiniano instituto, cujus historiam typis invulgavit Cl. Muratorius. (a) Codex vero antiquus Billianæ historiæ, ac sæculo 15, quo Scriptor florebat, exaratus, in Bibliotheca nostra est n. 239.

Licet Gens Billia, ex qua nomen etiam illi vico Urbis nostræ, qui Billiorum dicitur, antiquum jus obtineat gentilitii tumuli in Sancti Marci Templo, Camillus tamen in S. Victoris, & Quadraginta MM. cineres suos condi voluit in sepulcro, quod ipse sibi, & gentilibus suis fieri curaverat, ut Inscriptio denotat, quæ olim ibi extabat, quamque afferunt Jacobus Valerius, Cod. apud nos 304, & Lucilius Terzagus in *Oratione Mediolani impressa anno 1610 de laudibus Fratrum Billiorum Joannis Baptistæ Ticinensis Episcopi, & Balthassaris*, qui & monumentum aliud innuit positum anno 1388 in S. Domnuli, seu Domnini *ad Clavam*, quod temporis injuria excidit, legiturque apud Sitonum. (b)

(a) Tom. 19. *Scrip. Rev. Italic.*

(b) *De J. PP. Colleg. pag. 197.*

## EPISTOLA XVII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *De Arluniana Historia, deque nonnullis Majoragii scriptis.*

**E**X quo tempore ad te literas dedi de Majoragii nostri obitu, deque *Paraphrasibus* xx. ad nos delatis, nihil ad te unquam scripsi, quòd existimabam fore, ut ipse aliquid rescriberes. Sed certe aut non

licuit tibi per tuas occupationes, aut, qui acceperant a te literas, reddere neglexerunt. Utcunque sit, ego hodie nuncium ex animi mei sententia nactus, non committendum censui, ut ad vos rediret sine meis literis, quibus quædam tibi nomine meo, quædam item Arlunorum significarem. Nam hi quidem te etiam, atque etiam precantur, ut suam Historiam, ita ut cœpisti, pergas describere, & memineris, jam illam annos sex penes te esse: censere omnes jam tandem illam apparere debere, & in hominum manus pervenire. Sed, quod ad me attinet, inter scripta Majoragii invenimus plenos in *Oratorias Partiones Commentarios* imperiti cujusdam pueri manu ex autographo descriptos, eos, inquam, quos, eo adhuc superstite, tibi promiseramus. Conferre statui cum autographo, & e vestigio ad te dare, quod jam effecissem, nisi quædam mihi obstitissent negotia. Vale, VI. Eidus Octobris, MDLV., Mediolano.

## EPISTOLA XVIII.

CYNTHIO GYRALDO (1) S. P. D.

ARGUM. *Libellos ad se mitti rogat.*

CUM pro ea, qua cum Majoragio doctissimo, & longiore vita dignissimo jungebar, amicitia, mihi cum eo communia essent omnia, & ea præsertim, quæ ad literas, literatosque homines pertinerent, memini, Joannem Oporinum amicum nostrum, non ita pridem ad Majoragium ipsum, & ad me scribere, ut si ad nos tuo nomine allatus fuisset fasciculus eorum libellorum, quos nondum editos moriens tibi reliquisset eruditissimus vir, & de literis benemeritus Lylus Gyraldus patruus tuus; (2) eum ad se Vectoribus daremus: quod nos sedulo curaturos illico rescripsimus. Insecutus mox est Majoragii obitus immaturus, non sine magna bonarum literarum jactura; ejusque scripta mihi commissa sunt, & meæ fidei mandata, ut invulgentur, & in hominum manus veniant. Ea itaque cum proxime evolverem, reperi epistolam de hoc ipso fasciculo ad nos mittendo a te perscriptam, mihi que faciendum existimavi, ut te admonerem, ut, si libuerit, nomen meum fasciculo inscribas, ut ego ad harum literarum calcem adjiciam. Ubi enim nobis redditus fuerit, diligenter curabimus, ut Basileam ad Oporinum transferatur, & in tuam, & Oporini, & Lili gratiam, cujus gloriæ, & immortalitati & nos libenter favemus. Vale, Edibus Octobris MDLV., Mediolano.

(1) Qui idem ac Joannes Baptista; hoc enim aliud nomen ei adjunctum ex Academia Ticinensi, cui fuit adscriptus. (2) Joannis Baptistæ Gyraldi epistolam ad Aonium Palearium scriptam caractere Cicereii in Codice perspexi Belgiojofiano. Ad Cynthium Gyraldum elegia, & hendecasyllabon est Lucii Cornelii Landi in *Lufibus Poeticis*. De eodem pariter cecinit Bernardinus Baldinus in *Lufibus Poeticis*, quique epigramma pepigit in ejus obitu, quod in fine legitur lib. 4. *Aristotelis Philofophiæ* latinis carminibus redditæ.

(2) Gyraldum Cynthium gentilem quidem, atque confanguineum fuiffe Lilit præter alios a Morerio, Niceronio, Cl. Barotti, Tirabofchio, atque ab Lylio ipfo adfertum reperio, fed quo confanguinitatis gradu junctus ipfi fuerit, nemo alius, quem fciam, afferuit, nifi Cicereius nofter, qui patruum ejus fuiffe hîc tradit.

(2) V. Ghilin. *Teatro* par. 1.

## EPISTOLA XIX.

CYNTHIO GYRALDO S. P. D.

*ARGUM. Facti fui imprudentiam agnoscit, cujus tamen se omnino non pœnitere.*

**A**CCEPI literas tuas non antequam 8. Eidus Januarii, cum tamen ex eis appareat, te nullam rescribendi moram fecisse. Legi libenter, quod in ipsis, tanquam in speculo, licuit mihi intueri expressam animi tui imaginem, & experiri verum esse, quod toties de doctis aliquot hominibus audieram, esse te non minus humanum, quam eruditum. Nam, licet intelligas, nihil opus fuiffe tibi meis literis propter eam rem jam peractam, quam ego opinione mea falsus vix cœptam putâram, tamen conatum meum æqui bonique facis, respondere non gravaris, laudas, quin imo lætaris, talem tibi oblatam esse occasionem, quæ omnia sic me ad te amandum impulerunt, ut nihil magis cupiam, quam aliquid tuam in gratiam facere. Cæterum scias velim, ornatissime Gyralde, nihil esse, quod mali quicquam de Oporino suspicere. Mea culpa factum est, ut Oporinus parum officiosus tibi videri potuerit; scripsi enim ad te, illum ad Majoragium meum, & ad me non ita pridem de fasciculo tuo per nos ad se mittendo literas dedisse, verum illud non ita pridem aliquot mensium erat. Inde potuit fieri, ut, quo tempore egi tecum, jam & descripta essent ea quæ volebas omnia, & Oporino reddita; addo etiam ab eo invulgata. Sed fuerim parum prudens, qui diligentius non inspexerim, quo ipse tempore ea de re Majoragium admonuisses, & qui literis meis non adjecerim, *si forte adhuc rarissimus non est fasciculus*, me certè non pœnitet mei illius erroris: malo

malo enim paratus promptusque & esse, & videri ad commoda utilitatemque egregiorum virorum, & tui similibus, etiam cum non opus est, quam rogatus negligere, ac non arripere ansam ineundæ cum præclaris hominibus gratiæ. Salutem ex te dixi Paleario, (1) homini non vulgaris eruditionis, qui, me audiente, valde honorificos de te & Lylio gentili tuo sermones habuit: & ad extremum addidit, se & propter generis tui nobilitatem, & morum elegantiam, & bonarum rerum omnium scientiam in te amando cedere nemini. Vale, VI. Eidus Januarii MDLVI., Mediolano.

Literas tuas ad Oporinum tibi remittendas censeo, quod si non probas, ne gravere significare, quæ a me curari velis.

(1) Aonius Palearius, patria Verulanus, latinæ linguæ peritia, & oratoria arte ita excelluit, ut Morhofii iudicio, (a) *nemo eo feliciter Ciceronem unquam expresserit*. Tantum hunc latinæ doctorem Palatinæ Mediolanenses scholæ habuerunt. Eum laudat una cum Palatinis aliis eloquentiæ Professoribus Augustinus Bonacina in Oratione MS. (Codice Biblioth. nostræ 260) in gratiarum actionem Senatui Mediolanensi dicta, eod quod in Petri Marchesonii locum fuerit suffectus; sic enim loquitur: *Igitur vigent adhuc, semperque vigebunt laudes Aonii Palearii, Majoragii, Lupani, multorumque innumerabilium doctissimorum virorum, quorum industria in hoc publico interpretandi munere Mediolani fuit illustris.*

Pariter in ferie eorum, qui Mediolani græcas literas professi sunt, quæ extat inter Preces Lucilii Terzagi ad Senatum impressas, in eodem Codice, sic habetur: *Post Majoragii obitum in ejus locum evocatus fuit Aonius Palearius, quo Romam evocato ob hæreseos suspicionem in ejus locum suffectus ipse Cicereus; & paulo infra: Aonius Palearius latine, Cicereus, & Arrigonius, hic latine, ille græce.*

Nonnullæ Palearii nondum editæ epistolæ in Bibliotheca latebant Marquardi Gudii. (a) Duas ipsi servamus ejusdem epistolæ antiquo caractere conscriptas, (eodem in Codice) quarum alteram autographam esse existimaverim, cum lituris, atque correctionibus, & quidem repetitis scateat. Hæc ad Vincentium Porticum est scripta, sicque exorditur: *Ego ita amicus sum &c.*, impressa cernitur antè *Quæstiones aureas* Pylei J.C., Romæ 1560. Alia est ad Senatum Mediolanensem, cujus initium sic: *Tenuitati meæ PP. conscripti*; inter *Miscellanea* legitur Cl. Petri Lazari, Romæ 1753, pag. 173. Decennium jam se Mediolani fuisse in hac epistola scribit Palearius, quod proinde illud a vero alienum esse evincit, quod de Paleario tom. 16. inquit Niceronius, eum nempe sex annis Romæ commoratum, ibique diutius, quam alibi domicilium habuisse.

(a) *Polyhistor.* tom. 2. pag. 974

(b) *Ibid.* pag. 316.



## EPISTOLA XX.

FRANCISCO HECTORIS FILIO JURISCONSULTO S. P. D.

ARGUM. *Eximias animi dotes in Francisco commendat. Accepti beneficii memorem se, gratumque proficitur.*

**E**GO te, Francisce, sanequam doctum esse audiebam, & talem esse te putabam, quodd sub egregiis magistris diu meruisses, quodd, ut primum ex iis artibus excessisses, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, strenue te exercuisses in iis, quæ tibi olim profutura intelligeres, quodd denique Ticini gravioribus studiis addictus tantum profecisses, ut ad nos brevi laurea, & rude donatus remissus fuisses. Quod tum demum credidi, cum propius te intueri, ac audire mihi contigit. Evenit enim mihi de te idem, quod de Isæo scribit Plinius junior, (a) nam *magna quidem te fama præcesserat, major tamen inventus es*, &, ut parcissime dicam, is mihi Juris consultus visus es, qui non tantum ex Baldi, Bartholique Scholis, sed etiam ex Academiæ spatiis prodiisses. Tam enim multiplices, variique sermones tui fuere, quàm ejus esse solent, qui peramæna vireta Scriptorum omnium non sine magno fructu fuerit pervagatus, & diu in illis curriculis se continuerit, in quibus Platonis primum sunt impressa vestigia, ex iisque omnibus ea collegerit, quæ juri civili magno & adjumento esse possint, & ornamento. Quos summos labores, ac vigilias tuas scito esse maximo theatro propositas, ut spectatæ meritis honoris commodis compensentur; cum enim ipse patriæ lumen ingenii, & consilii tui ostenderis,

*Seu linguam causis acuis, seu civica jura,*

*Respondere paras, seu condis amabile carmen*

*Prima feres hederæ victricis præmia. (b)*

Sed rara ista, atque solida eruditio tua ab animi candore eximio, & morum facilitate incredibili, & admirabili quodam de omnibus benemerendi studio tale accipit ornamentum,

*Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo*

*Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro. (b)*

Nam etsi hæc studia propria, atque peculiaria esse generis, ac familiæ vestræ videri possunt; maximeque ad ea institutus ab Hectore patre tuo, præstanti viro, videris; tamen tanta in te sunt, ut ea pro-

(a) *Epist.* 9. lib. 2.

(b) Horat. 1. *Epist.* 3.

(c) *Æneid.* 1.

prie esse tua videantur. Testari possunt hoc, qui te noverunt omnes. Ego certe cum forte fortuna heri tibi occurrissem, a te non ante sum dimissus, quam me tibi non rogatus, sed tua sponte beneficio insigni obstrinxeris, & in re non parvi momenti sic adjuveris, ut impingere nusquam possim in Syrtes, aut Symplegadas, sed ut incommoda devitem

*Qualia multa mari nauæ patiuntur in alto, (a)*

& mari quidem undarum civilium procelloso, neque contentus diligenter coram mihi cavisse, scriptis etiam tui consilii rationem explicare voluisti. Quam ego rem & caram habui, & habere debui, simulque circumspexi, qua tibi ratione aliqua ex parte gratus esse possem. Sed cum nihil tanto beneficio dignum pro rerum nostrarum tenuitate se se mihi offerret, cogitavi me ipsum tibi devovere, & totum tradere. Me igitur ea lege totum tibi trado, ut tum demum te amare, colere, atque observare sim cessaturus, cum mei ipsius immemor esse incipiam. Vale, xi. Kal. Junii, MDLVI.

(a) *Æneid.* 7.

## EPISTOLA XXI.

JOANNI CLARINO J.C. S. P. D.

ARGUM. *De Fratris Filio sibi in disciplinam admisso nunciat, tum de accepto viatico.*

**P**ETRUM (1) Fratris tui Filium adolescentem, ut mihi quidem videtur, discendi cupidum, bonum, & a bonis Parentibus, & de me benemeritis progenitum in contubernium meum recepi, ut debui; ideoque non facile paterer, te mihi gratias agere, nisi intelligerem, te ex eo tuam in me benignitatem agnosci velle; agnosco, & exosculor, quam jam satis re ipsa expertus sum, gratus aliquando futurus, si licuerit. Petrus tuus a nobis, quanta quidem poterimus cura & diligentia docebitur, sed tamen, cum maxime conati fuerimus, non tantum tibi, & Fratri tuo, quantum debemus, præstiterimus. Petrus tamen interim aliquid, ut speramus, proficiet, habet & probitatis, & eruditionis non vulgaris exempla domestica, quæ plurimum omnium ad inflammandum valent: ornastis eum magistro, si non docto & erudito, at saltem diligenti, & laborioso; quare cum nihil ei plane desit, eum sibi non defuturum confidimus. Qui tuas mihi literas reddi-

H ij

dit, is item mihi nomine tuo dedit aureos numos in Italia cufos quatuordecim, tantum videlicet, quantum satis fit Petro tuo pro viatico quatuor horum mensium, Quintilis, Sextilis, Septembris & Octobris. Qua de re ego in tempore te admonuissem, nisi me tuæ literæ multis occupationibus districtum deprehendissent. Vale pridie Kalend. Sextilis MDLVI. Mediol.

(1) Ejusdem Cicereii italica epistola est ad Clarinum Petrum in Codice Belgiojofiano, ubi se monumenta inquit originis, vetustatis, nobilitatisque Clarinæ familiæ collegisse.

## EPISTOLA XXII.

POMPONIO, ET AUGUSTO CUSANIS  
ALOYSII FILIIS (1) S. P. D.

*ARGUM. Quod tardius responderit, mæroris acerbiter ex Matris suæ interitu in causa fuisse. Laudat utriusque ingenium, discendique ardorem; haud dubius, quin in viros eximie doctos sint evasuri.*

**A**BIERUNT ferme tres menses, cum accepi literas bene longas, quibus me de omni statu vestro admonebatis; eas, si ideo mihi fuisse minus gratas existimatis, quod vobis hactenus nullas remiserim, erratis. Sin censetis aliquod infortunium me ab officio meo abduxisse, & tandiu silere coegisse, vestra vos non fallit opinio. Nam Mater mea illa vestri amantissima, cum pene totum Decembrem egisset aliquantò firmiore valetudine, quam eo mense aliàs soleret, me magna lætitia perfuderat; sed mirum est, quam cito omnis illa lætitia ad luctum, & lacrymas sit conversa; nam pleuritide correpta, vix quatuor dies vixit, meque miserum ea deseruit, quæ meæ familiæ clavum tenebat, cujus aspectu omnes, quæ me angebant, curæ considebant, omnes sermone labores levabantur. Ejus itaque obitus, quæ per ætatem etiam aliquot annos mihi vivere poterat, ita me perculit, atque afflixit, ut literulæ meæ, mea studia omnia oblanguerint, &, qui antea consuevissem eruditorum hominum & amicorum absentium auribus obstrepere, penitus obmutuerim. Neque certe quisquam est eorum, quos meis literis frequenter appellare consueveram, qui vere possit dicere, se proximis hisce mensibus ullam a me accepisse literam. Vestræ vero literæ eo tempore mihi redditæ fuerunt, quo luctus sæviebat maxime, & nulla ve-

stra culpa, quippe qui nostræ calamitatis ignari longe abessetis, dolorem meum non parum auxerunt: primum quia eandem Matrem meam pro vestro in eam amore & observantia salvere jubebatis; deinde quia simul atque vestras literas in manus sumpsi, mihi in mentem venit, quæ fuerit ejus ad vos discedenteis postrema oratio, futurum scilicet ut vestris rebus salvis, ipsa vos postea amplius non videret, quasi divinaret se morituram, antequam vos istinc ad nos reverteremini. Sed cum de mei luctus acerbitate aliquid jam remissum sit, diutius vos sine meis literis esse pati non potui. Siquidem fecit incredibilis meus in vos amor, ut quoquo modo possem, potius in præsentia, quàm posthac, accuratius tranquilliore animo vobis rescriberem. Vidi vestris in literis duorum optimorum adolescentium expressam imaginem: cum dico optimorum adolescentium, eos dico, qui posteaquam mature qui, & quales esse velint, deliberarunt, & se alicui optimo studiorum generi addixerunt, in id, quod ipsis propositum est, quod cursum suum dirigant, omneis cogitationes suas intendunt, neque unquam ab ea via declinant, quæ certo quodam tramite eò ducit, quod pervenire constituerunt. Illud enim vestrum fuit consilium a prima adolescentia, & illud unum spectastis, ut juris civilis scientiam disceratis, & in eximios quosdam Juris consultos evaderetis; ad id delegistis vobis celebrem urbem, & cum eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluentem, tum nobilissimis legum Interpretibus maxime florentem, in qua vestra stipendia faceretis. Tradidistis vos informandos Doctori, quo, ut audio, neque prudentiorem, neque eloquentiorem universa habet Gallia, atque fecistis, ut ei non ut discipuli, sed ut filii essetis conjunctissimi. Etenim, quis Avenionem, hoc est, ad istud nobile bonarum artium emporium discendi gratia profectus, modò ne per eum steterit, ad suos talis non remeat, ut tanquam e novis quibusdam Athenis remissus cum admiratione omnium non excipiat? tum qui se Angelo Papio (2) tradiderit erudiendum, eum lapidem esse, aut stipitem oportet, qui intra paucos annos in discendo jure civili maximos profectus non faciat? Quare jam vobis jure, ac meritò gratulor, quibus summam proficiendi in literis voluntatem, nec minimam cum voluntate facultatem Deus tribuit, quibus summa contigerint omnia, ingenium, ætas, facultates, urbs, institutio, & ea quidem talia, qualia plurimi quidem expetiverunt, pauci vero fuerint assecuti. Scio vos quotidie cavere, ne quid indignum tot, ac tantis commoditatibus faciatis, ne quid vobis ipsis, memores, quantam de vobis spem apud omnes concitaveritis. Scio vos domesticis exemplis

mirum in modum inflammari. Nam ut omittam Fratres vestros (a) juvenes lectissimos, in quibus nullum ornamenti genus desiderari potest, ut multos alios, qui & militari laude, & dicendi facultate antecellunt, clara vestræ familiæ lumina, vigent adhuc, &, ut video, perpetuò in omnium ore vigeunt Jacobus, & Paulus (3) Cusani Juris consulti præstantissimi in Mediolanensi Republica maximis honoribus functi, qui tamen ante annos prope centum excefferunt. Horum simileis vos fieri cupere videmini, eoque dies, noctesque vehementer sollicitari, non ante cessaturi, quam eos honores, ad quos aspiratis, fueritis adepti; quod ut feliciter vobis succedat, Deos precari non desinam, ut plenius quàm nunc vobis aliquando gratulari possim. Reliquum est, ut quando de vestro in me amore nihil detractum esse vestræ testantur literæ, nihil itidem de mea in vos benevolentia imminutum esse confidatis. Valet, Kal. Maji MDLXII, Mediolano.

(a) Octo Cusani fratres una cum Pomponio, & Augustino in epitaphio in S. Marci leguntur, quod est apud Sitonum *de J. PP. Colleg.* pag. 136.

(1) Manuscripta oratio pro ingressu in Collegium J.CC. Mediolanensium Pomponii Cusani, ejusque fratris Aloylii habita ab eodem Pomponio coram S. Carolo Cardinali Archiepiscopo, est apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultii, qui plures possidet Orationes funebres, gratulatorias, aliasque tum patrias, cum exteris, seu MSS., seu editas a sæculo XIV. ad hoc usque temporis. Uxorem habuit Pomponius Paulam Vicecomitem ex Marchionibus Mottæ, ac S. Viti, quam inter nobilissimas Matronas ob singularem morum probitatem S. Carolus præcipue diligebat, (Vide *Vitam S. Caroli* pag. 430. annot. d., Cl. D. Balthassaris Oltrocchi Ambrosianæ Bibliothecæ Præfecti, eximia doctrina, morumque suavitate spectatissimi, cujus jucunda amicitia fruor) ejusque consilio in spirituale regimen S. Andreæ Avellino est tradita, a quo aliquas habere meruit epistolas, quarum una MS. habetur apud laudatum D. Carolum, aliæque extant in collectione epistolarum ejusdem S. Andreæ, Neapoli 1631, quæ duobus tomis constant.

Pomponius, & Augustinus, de quo mox, ejus frater commendatione præcipua digni sunt, quòd infausto Mediolani pestilentie anno 1576 ad subsidia pauperibus, ægrisque suppeditanda præ ceteris excelluerunt. (a) Cusani Pomponii epitaphium est in Templo S. Barnabæ, aliudque ejus elogium in S. Marci, quæ apud Sitonum leguntur, pag. 123. & 136.

Cusanus Augustus, seu Augustinus Cardinalis fuit, nec litteraturæ laude caruit, quem nimirum inter Scriptores Mediolanenses enumerat Argelatus, laudatque Quadrius, (b) & alii. Conditum est ejus corpus in Templo S. Barnabæ, (non autem S. Barbaræ, ut Ciaconius, (c) & Oldoinus (d) scripsere) elogio decoratum, quod ibi spectatur, legique etiam potest apud Sitonum, & Argelatum. Epistola est Cicereii italico sermone scripta in Belgiojofiano Codice ad utroque simul Pomponium, & Augustinum Cusanos.

- (a) V. Laudatum Oltrocchi pag. 304 annot. d.
- (b) *Storia, e ragione d'ogni Poësia*, tom. 7. pag. 83.
- (c) *Vita Pontific., & Cardinal.*
- (d) *Necrolog. Pontific.*

Cufanus Aloysius Pomponii, & Augustini genitor ex duodecim fuit, quos in-  
quiunt *Provisionis* Mediolani. Vide Argelati *Biblioth. Mediol.* tom. 1. pag. 538.

(2) Angelus Papius Salernitanus Avenione, Salerni, Bononiæ jura professus  
est, ac demum Romam accitus a Gregorio XIII. an. MDLXXXIV., ibi ad obitum  
usque permansit, perspicuis decoratus muneribus; (a) & primò Papium Summus  
Pontifex in eum numerum *inquisitioni constitutum adscripsit*, (Pauli Sacrati ad eum  
epistola lib. 1. pag. 39) tum *Cardinalem pronepotem* suum, nempe Franciscum  
Boncompagnum Cardinalem deinceps creatum a Gregorio XV. anno 1621 *ejus  
fidei, ac prudentiæ commendavit*, ut quæcumque ad ipsius vel mores, vel dignita-  
tem, vel eruditionem pertinerent, ex sententia sua is moderari debuerit. (Ita in  
Sacrati dedicatoria suarum epistolarum ad eundem) Denum a Sixto V. a secretis  
electus fuit *ad Diplomata*. (Sacrati ad Papium, VI. epistolarum pag. 271) Porro  
in hisce epistolis *perillustrem Antistitem, integerrimum, atque eloquentissimum* vocat  
Papium Sacratum.

(3) Jacobus Cufanus M. Antonii filius, J. CC. Mediolan. Nobilium Collegio  
adscitus anno 1433; (b) dein Senator, & a consiliis Francisci I. Sfortiæ, &  
postmodum Galeatii Mariæ ejus filii. (c)

Paulus Cufanus frater Jacobi fuit. (d) Inter Orationes, & Epistolas MSS.  
Gasparini Barzizii, & Guiniforti filii, quæ in Conventu Augustinensium S. Mariæ  
Coronatæ servantur, epistola est Guiniforti ad Paulum Cufanum scripta ex Cari-  
mate, Kalend. Octobris anno circiter 1429, quæ non habetur inter Barziziorum  
opera Romæ edita 1723. Paulo eidem Cufano Francisci Philelphi epistola est ex  
Mediolano, 8 Kal. Aprilis MCCCCLVII., & alia ejusdem ad Jacobum Cufanum,  
Mediolani VIII. Idus Aprilis MCCCCLIX.

(a) V. Tirabosch. *Letterat. Ital.* tom. 7. par. 2.

(b) V. Siron. *de J. PP. Colleg.*, pag. 41.

(c) V. Crescent. *Anst.* pag. 211.

(d) Ex MSS. *Genealog.* in Archivo Belgiojof.

## EPISTOLA XXIII.

LUDOVICO BUCEPHALO (I) S. P. D.

ARGUM. *Pecuniam pro Sacris mittit, Selectum sibi in Eustorgiano Tem-  
plo tumuli locum ab aliis præcipi ne sinat, rogat. Illustres viros ibi  
tumulatos commemorat.*

*ANNUUS exactis completur mensibus orbis,  
Ex quo relliquias, dilectæque ossa Parentis  
Condidimus terra, mæstasque sacravimus aras.  
Jamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,  
Semper honoratum (sic Dii voluistis) habebo. (a)*

(a) *Æneid.* 5.

Licet enim verbis pene eisdem mihi id dicere de Elisabetha Carentana matre mea, quod Æneas apud Virgilium socios affatus, de Anchise patre suo commemorat. Itaque ad Sacra pro ea facienda, (2) & pro Maphæo Cicereio patre meo paululum argenti ad vos misi. Judas Machabæus (a) ad sacrificium pro mortuis faciendum Hierosolymam misit drachmarum duodecim millia: recte & meritò ille Imperator stipe viritim coacta; at ego de tenui pecunia mea drachmas viginti solum, largius tamen aliquando donaturus, si Deus opem mihi, & auxilium tulerit. Est enim in animo locum sepulturæ (3) mihi a vestro Collegio, rogatu tamen tuo, datum parietibus, & fornice munire, & monumento marmoreo, & pictura exornare, curareque, ut Sacra anniversaria honorificentius fieri possint. Sed, ut dixi, opus est mihi in hoc, ut etiam in cæteris omnibus, Dei auxilio; interim te, quem pro meritis in me tuis amo plurimum, & pro maximis, clarissimisque virtutibus colo, & observo vehementer, unum illud oro, ne desponsum jam, & destinatum in angulo isto locum sepulcro, ab alio quopiam occupari, & mihi præripi patiaris. Neque vero sum reprehendendus, quod ætate adhuc integra de sepulcro mihi, & meis faciendo cogitem; nam, si solliciti esse consuevimus de paranda, & exædificanda domo, quam vivi paucos annos possideamus, in eoque laudamur; quantò justiore de causa curam suscipere debemus ejus constituendæ, in qua tandiu nobis sit manendum, dum horribilis illius tubæ sono a mortuis excitemur, ut ad Deum judicem veniamus. Quare mihi & Horatius avarum quendam meritò sic increpuisse videtur:

*Tu secanda marmora  
Locas sub ipsum funus, & sepulcri  
Immemor, struis domos: (b)*

et ille præclare, & sapienter fecisse qui sibi moriens illud adjecit elogium:

QVEM SIBI V. P. GERVASIVS CACVRIVS (4)  
PATRICIVS MEDIOLANEN. TVMVLVM NACTVS EST  
VIII. IDVS IVLII MDXXXI.  
POST ANNVM ÆTATIS LXXIV.

quasi lætaretur præparasse se sibi adhuc viventi tumulum, ac non expectasse, dum posteritas, quod suum esset officium, sibi mortuo præstaret. Ac mihi quidem sane jucundum est, cum cogito, quoniam in Templo & mihi, & meis tumulus sit futurus, nempe in eo, quod antiquitate,

(a) Machab. 2. cap. 12.

(b) Horat. 2. Carm. 18.

antiquitate, & religione nulli eorum, quæ quidem in Italia sunt, cedit, ubi religiose adservantur (5) tot Sanctorum corpora, Eustorgii, Eugenii, Magni, & Petri Martyris, tot præterea conditi sunt Fratres vestri, (6) homines honore, ac nomine illustres, ubi Vicecomites, (7) Turriani, (8) Brippii, (9) Carcani, (10) Magii, (11) & Arluni (12) genere, & nobilitate nostrorum civium facillè primi, majorum suorum habent sepulcra, quò Vido Torrellus, (13) vir rerum gestarum gloria insignis, quò Georgius Merula (14) patrum nostrorum memoria ex doctrina nobilis, & clarus, Principibusque nostris carus, quò demum alii pene innumerales, qui in laude vixerunt, elati fuerunt. Habes, quæ sit mea de sepulcro sententia, & simul intelligis, eam esse meam in vestrum istud Collegium observantiam, ut me, meosque & vivos, & mortuos in vestra potestate esse cupiam. Ambrosio Barbavario (15) summo, & singulari viro salutem dic. Vale, VII. Kal. Januarii MDLVII.

(1) Nempe Codehovi, cujus familiæ appellationem dictione græca efferre maluit Epistolographus noster. Ludovicus Codebos ex Ordine Prædicatorum, & ex Conventu S. Eustorgii, varia gessit in Ordine suo munera, ac Pænitentiarii, ut vocant, officium exercuit in Templo majori. Ita ex MS. chronica Conventus S. Eustorgii, auctore P. Francisco a Valle ejusdem Conventus, quæ chronica ibidem servatur. Idem Ludovicus Codebos magister Cicereii fuit, ut in hujus vita; denique ipsius mentio est in inscriptione ejusdem Eustorgiani Templi, quam Allegrandia profert de *Sepulcr. Christian.*, pag. 82.

(2) Marcus etiam Maphæus Francisci Cicereii filius anniversarium Sacrum in Basilica S. Eustorgii fieri decrevit, ut ex ipsius testamento recepto a Joanne Baptista de Nobilibus, Filio Christophori 1597, 12 Novemb. ex Archivo S. Eustorgii.

(3) Cicereiani hujus sepulcri in Templo illo vestigia nunc nulla. In libris duntaxat Sacrarum, quos Templi hujusce conscripsere Gaspar Bugattus, & Paulus Sartius, inter familiarum sepulcra quæ memorant, nomina hæc leguntur: *Casarinis, Ciceris, vel Ciceronibus*; ac sepulcrum de Ciceris fuisse dicitur sub organo ad dexteram. Quo tamen in loco Cicereii nostri sepulcrum fuerit, nos docet ejusdem epistola in Cod. Belgiojof. italice scripta ad Ludovicum Codebovem, Novariæ fidei Quæsitorem, ac S. Eustorgii Priorem data, die S. Catharinæ sacra 1570, in qua hæc sunt: *Mia Madre ha fatto il deposito vicino alla Sagrestia.*

(4) Cacurii ii sunt, qui nunc Cazuli vocantur, testante Gaudenzio Merula de *Cisalp. Gall. antiq.* pag. 307., eundemque hac de re audire præstat, in MS. de *Famil. Codice* apud nos 136. *Cacurii, quorum majores & scriptis, & saxis insculptis celebres fuisse cognoscimus, hac etiam ætate Mediolani florent, sed, ignaris Tabellionibus omnia corrumpentibus, jam dudum & in l. mutato, Caculii dicti sunt; novissime, ne quid superesset quominus majorum suorum origines cognoscerent secundo e in 2 converso, Cazulii modo nominantur.*

(5) Monumenta omnia, ac inscriptiones Eustorgiani Templi accurate exhibuit in lib. de *Sepulchris Christianis*, Mediolani 1773 P. M. Joseph Allegrandia illustrationibus adjunctis, sublatisque mendis, quibus eadem inscriptiones a Puccinello antea vulgatæ plurimum scætant.

Vol. II.

I



(6) Inter quos extant Dominicus S. Petri Martyris socius, Melchior Cribellus Episcopus Tagastensis, Sebastianus Cattaneus Episcopus Chiemensis, qui una cum aliis ejusdem Conventus pietate, doctrina, ac dignitatibus præclaris viris in una ex aulis ejusdem depicti cernuntur cum elegantibus eorum elogiis, quæ P. Allegrandia adjecit, qui eorundem etiam acta collegit, suisque scriptis consignavit.

(7) Sepulti ibi fuere Bonacossa uxor Magni Matthæi Vicecomitis Mediolanensis Principis, horum filix Achilla, & Zacharina, fortasse idem Matthæus: pariter tumulati ibi sunt, alius Matthæi filius Stephanus, hujusce filius Matthæus, ac Beatrix Magni Jo. Galeatii primi Ducis soror, cui epigraphes apposita diffusior parata erat, quam exhibet Valerius. (a) Præterea alii permulti ex variis, iisque nobilibus Vicecomitum familiis ibi jacent, (b) quorum monumenta saltem plura supersunt adhuc, quæ videas apud Puccinellum, & Allegrandiam.

(8) In Templo eodem cum Vicecomitibus conditi sunt pariter Turriani, qui de Urbis nostræ imperio diu cum ipsis decertarunt. Martinus Turrianus Cassonis I. Filius sacellum ibi condidit, (c) ubi etiam voluit tumulari. Plerique tamen illustriorum ex hac gente sepultura affecti sunt in Cœmeterio Monasterii nostri Carævallis, seu Clarævallis. (d)

(9) Jacobi Stephani de Brippio sepulchralis extat epigraphæ, quam recitat Allegrandia, pag. 76.

(10) Archilei Carcani Philosophi, Medicique eximii, ibi visitur tumulus, & inscriptio, quam Allegrandia affert pag. 79. Scriptoribus Mediolanensibus is adnumeratur a Picinello, & Argelato, laudaturque etiam ab Joanne Alexandro Brambilla, (e) & Mazzuchellio in *Museo*, ubi ejus numisma. In eodem Templo extabat Ambrosii Carcani monumentum, quod est inter Schraderi *Monumenta* pag. 365. De illustri hac Mediolanensi Carcana Familia duo sunt apud nos MSS. Codices, nimirum 132. & 81., quos duo ex eodem Carcanorum genere, & agnomine elucubrarunt, illum Christophorus, hunc Joannes Baptista. Celebris est etiam apud nostrates Joannes Petrus Carcanus, ditissimus ille Eques, cujus eximiani plane munificentiam testantur perystilium Nosocomii magni, legatum pro exornanda fronte Metropolitanæ Templi, & alia. (f)

(11) Federici Magii, qui Brixix patriæ suæ Episcopus fuit, epitaphium ibi habetur, quod videre licet apud Allegrandiam, pag. 89.

(12) Antiquum in Eustorgiano Templo Arlunorum sepulcrum, & Sacellum est, olim S. Antonio Abbati, nunc S. Josepho Patriarchæ sacrum. Tumuli anti-quitatem probat Bernardinus Arlunus in vita Boniforti patris sui. (g) Licet in eo inscriptio legatur carminibus concepta, quæ est apud Allegrandiam pag. 73., nullius tamen Arluni nomen præfert. Verum, qui hanc attulerat, Jacobus Valerius, (h) Melchiori Arluno appositam fuisse adnotavit, quod & asserit Gaspar Bugattus in opere MS. de Eustorgiano Templo, Sacrario, & Cœmeteriis ejusdem, ubi illius mortem ad annum 1554 assignat. Melchior hicce, qui Boniforti fuit frater, *urbanitate, & facetiis nulli erat secundus*, ut in ejus vita scribit Bernardinus Arlunus, & *nonagenarius supra tertium annum vita functus est*.

Extra Arlunorum Sacellum duo visuntur marmorea gentilitia ipsorum insignia,

(a) Codice apud nos 304. pag. 90.

(b) V. Allegrandiam de *Sepulcr. Cbrist.*, & Julin. *Mem. di Mil. Continuazione* par. 1., & alibi.

(c) V. eundem Allegrandiam, pag. 104.

(d) V. Julin. Vol. 7., & 8.

(e) *Scor. Fisic. Med. Anar. Chirurg.* Tom. 2. par. 1.

(f) V. *Latuada Descriz. di Milano*, tom. 1.

(g) Codice Biblioth. nostræ 225.

(h) Codice 304.

quibus hæ, huncque in modum inscriptæ sunt litteræ M. E. A. R., quibus idem Melchior Arlunus designatus existimari non immerito potest.

Boniforti, cujus mentio, ut vidimus Vol. I. pag. 197, fit in monumento Basilicæ nostræ, Epitaphium nuper tantum agnovi in Templo Monialium S. Bernardini, illudque sic habet:

D. O. M.

HIC CHRISTIANE

CONQUIESCUNT BONIFORT'

ARLVNVS PRIMATVM MEDIOLANIQ;

PRINCIPVM MEDIC' PRAECLAS ASTRONOMVS

SAPIEN.S VIR PIVS ET ITEGER.S LXXII

ETATIS ANNVM FELICITER PRAETERGRESSVS

AGNES TANCIA CONIVX PVD.MA ET PROB.MA

INSIGNIS QVOQ; FILIOꝝ XI. CORONA

EX QVIB' QVINQ; EXIMIAM MAGISTERII

LAVREAM CONSECVTI ET DOCTRINA

ET MORIB' CANDIDISS. IS MVNDO

PRELVXERVNT. VNDE ISTORVM

SPIRITVS IAM CVM DEO

ET ANGELIS I CELO BEATOS

PERPETVO DELICIARI IVRE

CREDIMVS

MDXXXX.

(13) Strenuus bellator, ac Philippi Mariæ Vicecomitis copiarum ductor, de quo vide Petrum Candidum Decembrium in Vita Philippi Mariæ, Joannem Simonetam, ac Poggium Bracciolium, necnon Cl. Carolum Deninam. (a) Ingens Mausoleum Guidoni Torello erectum visitur in Eustorgiano Templo cum adjecta epigraphe, quam affert Allegrandia, pag. 97. Ibi etiam Petrum ejus filium, qui militari virtute & ipse excelluit, conditum fuisse innuit tum ipsa inscriptio, tum memorialis liber de tumulis illius Templi, auctore Gasparo Bugatto.

(14) Cujus ibi epitaphium, quod vide apud Allegrandiam pag. 90. In Precibus impressis Lucilii Terzagi ad Senatum, Cod. Biblioth. nostræ 260, sic legitur: *Ludovici Mariæ tertii Ducis tempore, Mauri appellati, conducti fuerunt ad publice docendum Georgius Merula Alexandrinus, & Philippus Beroaldus Bononiensis, ut ex eorum libris, & Triflani Chalchi historiae proemio. Et paullo infra: Georgius Merula græce, & latine. Philippus Beroaldus græce, & latine.* Dumque hic profitebatur Merula, frequenter ipsum audivit Bernardinus Arlunus, ut ipsemet scribit Historiarum Codice 257, de quo supra pag. 197. Vol. I.

Plura de Georgio Merula litteris tradidit Merula alter Gaudentius, in Codice nostro 136. *de Clar. Ital. Famil.*, ubi inter opera ab eo elucubrata interpretationem laudat Ovidianæ *Ibis* ab eo factam, quam in Catalogo operum ejusdem Vossius, (b) Zenus (c) & Argelatus (a) minime recensuerunt; neque etiam indicaverunt hi epistolam ejusdem ad Plinium, atque hujusce responsionem, quæ extant inter Platini epistolas Mediolani 1506. Vossius pariter, & Zenus Centurias a Georgio Merula conscriptas noverunt quidem, at prælo traditas eas fuisse neuter perhibuit. Nos tamen alibi vidimus (c) citatum Gaudentium has Oporino imprimendas dedisse inter Miscellanea Politiani.

(a) *Rivoluzioni d' Italia* lib. 27. cap. 4.

(b) *De Historic. Latin.*

(c) *Dissertat. Vossian.*

(d) *Scriptor. Esteri.*

(e) Vol. hoc pag. 44.

Brouchnerius (a) de Georgii Merulæ patria agens sibi ipsi non cohæret, cum modo Alexandriæ Statyellorum ortum asserat, modo Aquis Statyellis. Haud dubium tamen, quin Alexandriæ in lucem editus sit, quod diserte tradit Gaudentius Merula, Marinonus, & alii. Ex domo, ac progenie Georgii Merulæ fuit etiam Gaudentius, ut ex genealogica arbore constat hujus familiæ, quæ extat penes Egreg. Advocatum D. Joannem Merulam.

(15) Ambrosii Barbavarii Mediolanensis, ac Dominicani instituti celebre est nomen apud Picinellum, Argelatum, Mazzuchellium, & Auctores Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum. Alia tamen de eodem enuntiate hic libet ex Archivo desumpta Eustorgiani Cœnobii, ubi diu Barbavarius egit, ac ejusdem *filiatione*, ut inquirunt, potebatur. Ambrosius itaque Barbavarius in eo Cœnobio generalis studii suæ Provinciæ, Regens fuit, annis 1555, 1552, 1553. Mediolani fidei quæsitore anno 1555, dein sequenti anno Provincialis lectus, quod hiennio munus obiit. Patavii Theologiæ publicus Professor creatus anno 1560, 2 Decembris, stipendio florenorum 80; quod ipsi auctum ad 100, anno 1566, die 27 Septembris; Theologiam ibi docuit ad annum usque 1572. (Corrigendus proinde Mazzuchellius, qui anno 1562 Patavinam Cathedram auspiciatum fuisse Barbavarium inquit, ac Professoris munus decennio tantum ibi gessisse) Anno eodem Augustana Taurinorum petiit, ubi Theologi munere functus est Hieronymi a Ruvere urbis illius Archiepiscopi, a sacris confessionibus auditor fuit Sabaudicæ Ducis, ac litterarum institutor Principis Caroli. Eundem S. Caroli fuisse Theologum, asserunt Argelatus, & Mazzuchellius; verum id haud satis exploratum mihi est: intérie Tridentino Concilio, ibique ad Patres orationem habuit; anno 1573 Provincialis iterum renunciatur. Barbavarii tetraſticon \* præmissum est operi Philiberti Pingonii *Augusta Taurinorum*, Taurini 1577. In Bibliotheca SS. Joannis, & Pauli Venetiis apud Patres Ordin. Prædicatorum Codex habetur, n. 232, *Theologicarum Lectionum* Sixti Medices, ubi præcedit epistola nuncupatoria ad Joannem Ambrosium Barbavarium, & alia ejusdem ad eundem epistola, Cod. 129. (b) Epist. duæ Cicereii ad Barbavarium legendæ prostant in Cod. Belgiojofiano. Taurini obiit 1582; ibique in S. Dominici sepultus. Genuinam ipsius imaginem veteri depictam tabula in Bibliotheca spectare licet S. Eustorgii.

(a) *Diſſion. Geograph. Portot.*

(b) *N. Racc. d' Opusc. Filoſof. tom. 33.*

## EPISTOLA XXIV.

LUDOVICO PLATO HIERONYMI FILIO (I) S. P. D.

ARGUM. *Eucharistica, & officiosa epistola.*

**G**RATUM est, quod me uvis donaveris, gratius, quod scripseris, gratissimum omnium futurum, si ad nos unâ cum Fratre in tempore bene valens redieris.

(I) Ludovicus Platus Hieronymi Ludovico geniti, & nobilis Antoniz Vincemalæ filius, Comes fuit S. R. I., Mediol. Collegii Doctor Physicus, & Philosophus eximius. Tres Ludovici fratres dignitate, ac meritis illustres fuere Flaminius,

Domitius, & Hieronymus, qui dictus etiam Octavius. Vide Argelatum, Morigiam, & Codicem nostrum 252, qui genealogicum exhibet stemma gentis Platæ, cuique documenta quædam sæculi XIV. ipsam illustrantia inferuntur.

Flaminius Cardinalis fuit, cujus testamentum Cod. nostro servatur, n. 142. Duo sunt hendecasyllaba \* Argelato inobservata Francisci Clivelli, aliud ad Carolum Fannianum de Flaminio Plato Rotæ Auditore, aliud ad eundem Flaminium. Licet citatus Argelatus nihil recenseat typis commissi ab hocce Flaminio, ipse tamen carmen \* legere est præmissum secundæ ex duabus orationibus Archilei Carcani, Mediolani impressis 1582.

Domitius Platus militarem primum vitam secutus est, deinde Societati Jesu nomen dedit. Præter alia scripsit de rebus in re militari a se gestis in Republica Cretenfi, sub auspiciis Comitis Martinengi, præmisitque huic opusculo epistolam Flaminio fratri. Servatur apud nos manuscriptum hujusmodi, Cod. 57. ex autographo in Bibliotheca Cardinalis Flaminii invento depromptum.

Inter horumque Platorum Avos sæculi XV. floruit Platinus Platus, (a) cujus distichon in calce Codicis nostri membranacei Galvani Flammæ historiam complectentis, n. 87., cum in vulgatis aliis ejusdem carminibus non viderim, hic in lucem proferam.

Platini Plati ad M. Antonium Vicecomitem  
nomine Vercellini Vicecomitis Equitis aurati.

*Accipe care Nepos Anthea prementis in antro  
Herculis effigiem, quemve sequare Deum.*

Ab Platino Plato Theodorum ejus fratrem non sejungam, quem Argelatus inter Scriptores Mediolanenses unacum aliis fere omnibus hæcenus hujus familiæ laudatis connumerat. In *Epigrammatis* Platini Plati nonnulla \* sunt ad hunc Theodorum fratrem suum, atque in his unum \* de eodem jam vita functo.

In Ambrosiani Templi porticu sequens extat inscriptio:

. D . O . M .

ALOYSIÆ . LONGONE  
PHILIPPI . PLATI . CONIVGI  
HONESTISSIME . AC .  
PAUPERVM . BENIVOLÆ .  
MATRI . INDVLGENTISSIMÆ  
IVLIANVS . PLATVS .  
SIBIQ . AC . POSTERIS .  
PIVS . HOC . SPELÆVM .  
POSVIT . . M . D . XX .

Epigraphen hanc miror a Puccinello fuisse prætermittam, ubi alias recenset Basilicæ nostræ inscriptiones. Ad Philippum Platum simul, & alios viros doctos carmen manuscriptum est Angeli Decembrii in Ambrosiana Bibliotheca. (b) Julianum Platum in vivis degentem ex Benalio (c) noscimus. Suspiciari merito possumus Platos hosce Philippum, & Julianum eisdem fuisse, quos præfata laudat inscriptio.

(a) V. Stem. Famil. Cod. 252., & Argelat. in *Biblioth* pag. 1107. & 1109.

(b) V. eund. Argelat. pag. 548.

(c) *Relazione del Magistrato.*

## EPISTOLA XXV.

N. N.

ARGUM. *De Rhætia quidpiam quærenti respondet.*

QUOD quæris de tua Rhætia, illud est, quod habet Strabo in extremo fere quarto libro Geographiæ. Οἱ μὲν οὖν ῥαῖτοι μέχρι τῆς ἰταλίας καθήκουσι, τῆς ὑπὲρ οὐάρωνος, καὶ κώμου. Καὶ ὄγε ῥαιτικὸς οἶνος τῶν ἐν ταῖς ἰταλικαῖς ἐπαινουμένων οὐκ ἀπολείπεσθαι δοκῶν, ἐν ταῖς τούτων ὑπὲρ ῥαῖτος γίνεται. Porro Rhæti, inquit, ad eam usque Italiæ partem pertinent, quæ supra Veronam, & Comum est. Vinum vero Rhæticum, quod inter vina Italiæ laudata non postremum tenere locum videtur, in eorum jugis nascitur. Porro Bonaventura Castellionius (1) in *Antiquis Gallorum Insuorum sedibus*, pag. 126. *Vennones*, inquit, *populi Camunos sequuntur, quos Strabo lib. IV. Rhæticiæ populos vult esse apud Venustam vallem sitos*. Apud Strabonem tamen, quantum quidem mihi ipsi compertum est, nulla Venustæ vallis fit mentio.

(1) Claro genere Mediolani natus Bonaventura Castellionæus (de quo nonnihil dictum Vol. I. pag. 108, & 109) doctrina, & integritate vitæ præstantissimus, Canonicus primum fuit R. I. Capit. S. Mariæ Scalensis, tum Imper. Capit. Canonic. S. Ambrosii Præpositus; ei vita functo appositum fuit sepulcræle elogium sub porticu hujusce Templi versus Canonicales ædes, quod referunt Puccinellus, Argelatus, & alii. Præter eximium illud opus, quod in vulgus edidit *de antiquis Insuorum sedibus*, alia elucubravit ingenii sui monumenta, quorum aliqua manuscripta apud nos habentur, nempe historia idiographa, Cod. 82., decem priorum Mediolani Antistitum, a S. Barnaba usque ad S. Dionysium italico conscripta idiomate, ac similis Codex n. 162. non autographus, in quo tamen nonnulla præterea sunt, quæ alio in Codice desiderantur.

Inter plures e Castellionæa gente litteratos viros, qui in Bibliotheca Argelati enumerantur, Cardinales aliquot emicant Branda, Joannes, & Franciscus Abundius, nec non Summus Pontifex Cælestinus IV., omnium tamen celeberrimus fuit Cardinalis Branda Castellioneus, de quo fuse agit Cl. Tiraboschius, (a) qui dubiæ admodum fidei esse suspicatur, quæ communi plane consensu post Bernardinum Corium tradunt plerique ex nostris Scriptoribus, Ripamontius, Aresius, Argelatus, Saxius, &, ut cæteros mittam, Julinus; Brandam nimirum, cum Cœnobium, ac Basilicam S. Ambrosii commendatario nomine possideret, Ambrosianos ritus ibidem delere tentasse, Benedictinis proinde hinc abire jussis, accitisque horum loco Chartusianis, ejus tamen conatus in irritum cecidisse, sicut & illos, quibus id ipsum efficere tentavit in Metropolitano Templo, tum in æstivo S. Theclæ, vi sublato Ambrosianæ liturgiæ Codice. Quod autem incertæ fidei visum est Ti-

(a) *Letteras. Ital. Tom. 6. par. 1.*

rabofchia, falſum prorfus eſſe evincitur ex Cœnobii noſtri Tabulario, ubi tantum abeſt quod inter noſtros Commendatarios occurrat Branda, quin manifeſte ab his expungitur, cùm eo ipſo triennio, ab anno ſcilicet 1440 ad 1443, quo tempore laudati ſcriptores commendatam eidem fuiſſe Baſilicam noſtram affirmant; hoc nomine Blaſium Ghilinum obtinuiſſe eam liquet. Id primus animadvertit, aliisque rationum momentis confirmavit, nuperrimus Cifterciensis author in MS. opere, cui titulus: *Ricerche ſtorico-critico-diplomatiche intorno la Baſilica di S. Ambrogio di Milano, ove contro il Sormani ſtabilifconſi i veri diritti sì de' Monaci, che de' Canonici di eſſa.*

## EPISTOLA XXVI

N. N.

ARGUM. *Formulam gratias agendi perſcribit.*

SCRIBIS Filium tuum ob celebrationem Sacrorum, quæ nunc primùm facere cœpit, convivas honeſtiores aliquot homines domi hodie eſſe habiturum, gratiasque latine illis acturum: petiſque, ut tribus tantum verbis gratiarum actionem præſcribam, quam edifcat, quòd parum admodum memoria valeat. Feci, quod volebas: Quod gravati non fueritis, ornatiffimi viri, meam hanc novi ſacrificii celebritatem præſentia veſtra graviffima, lætiſſimoque conſpectu cohoneſtare, non quantas debeo, ſed quantas animus meus capere poteſt, vobis ago gratias.

## EPISTOLA XXVII.

CÆSARI CASTORIO S. P. D.

ARGUM. *Græcæ vocis interpretatio. Pro Cæſaris propinquo in eo, quod cupit, operam ſuam ſpondet.*

EQUIDEM non parum ſum miratus, quod tu, homo videlicet non vulgariter cruditus, a me verbi non admodum abſtruſi ſignificationem requiras, quaſi aut ea te lateat, aut ſi modo latet, tibi in iſto oppido, doctiffimis hominibus affluentibus deſint, a quibus eam melius, quàm a me poſſis edoceri. Sed video, quid egeris: voluiſti hac arte me ad reſcribendum pellicere, ego tamen nullo modo a reſcribendo potuiſſem deterreri præſertim ad te, quem ſemper amavi, & merito feci plurimi. Licet igitur & ejus vocabuli, de quo ad me ſcribis, vim, & multo majora tibi conſidam eſſe nota; tamen dicam, ne videar parum comis,

& urbanus in eo denegando, quod quivis tibi concederet. *Euphrasiam* interpretantur Grammatici Græci *gaudium*, quod ex honesta re quapiam capitur, eique nomini, utpote græco, ph. græcam literam adhibent. Tu tamen *Eufrasiam* scribere maluisti, imitatus arbitror sæculi Enniani homines, qui (ut ait Cicero in *Oratore* ad Brutum) *Fruges* & *Purum*, (1) non autem *Phryges* & *Pyrrhum* scribebant; quam postea scribendi rationem Justiniani Imp. tempora non semper improbarunt, quorum illa sunt in marmoribus vetustis inventa *Filumela* apud Alciatum *Antiq.* 104, *Neosito* 106, *Fizofimo* 111, & *Faedimus* (2) lib. 1. nostrorum veterum monumentor; sed hæc satis. Quod cupis sororis tuæ filium per me alicui ditiori magistrum dari, etsi in eo tam parum felix sum, ut superioribus diebus nihil tale unquam omni cura, & diligentia adhibita efficere potuerim in gratiam Francisca Camutii viri clarissimi, & de me itidem benemeriti; tamen omnem meam operam tibi spondeo, neque in hoc, neque in aliis, quæ quidem ego præstare possim, tibi defuturus. S. P. D. Hieronymo Camutio Medico nobilissimo, & Josepho Ossutio meo, & Francisco tuo, VII. Kal. Martii MDLVIII. Mediol.

(1) Verba Tullii hæc: *Purum semper Ennius nunquam Pyrrum. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipsius antiqui declarant libri.* Corruptum vero hunc de *Oratore* locum, existimat Petrus Victorius, *Variar. lection* lib. 14. cap. 3. & legendum esse: *Burum semper Ennius, & vi patefecerunt Phryges.*

(2) Monumentum Faedini 14. est lib. 1. in Cod. Cicereii apud nos 104, atque ita se habet.

D. M. QVAR. VALERIO GERMANO  
FAEDMVS GEN. OPTIMO AVE

Faedimus ex Caroli Stephani *Dictionary* Bisantius fuit elegiographus Poeta. Verum hic loci alius intelligitur. *Faedmus*, inquit Cicereius ibi, *nomen arbitramur esse cognomentum græcum Quarti Valerii filii, quasi dicas fortem & clarum detracta i vocali, fortassis ex loquendi consuetudine, quo etiam nomine Hectorem dignatus est Homerus δ. Iliados: χάρμασαν δ' ὑπὸ τε πρόμαχοι, καὶ φαίδιμος ἔκτωρ*, idest

*Recesseruntque Antesignani, & illustris Hector.*

## EPISTOLA XXVIII.

OCTAVIANO ARCIMBOLDO S. P. D.

ARGUM. *Epigramma emendat.*

LEGI, qua potui diligentia, tuum Epigramma, ut (quoniam ita vis & jubes) libere proferrem, quid de eo sentirem. Visum est mihi sententiam

tiam minime vulgarem, & te dignam complecti; sed non omnia mihi ejus verba probantur, non dico simplicia, sunt enim latina singula, sed conjuncta, qualia *grates doctrinæ, & pares grates, & grates auctas*. Quare ausus sum nescio quid in eo ex nostrorum Auctorum observatione immutare, ea tamen lege, ut, si quid in eo adhuc offenderis, illud concerpas potius, quàm in apertum proferri patiare.

*Quis bene promerito grates, quis credat alumnum*

*Doctori dignas posse referre satis?*

*Has tamen, Alba, tibi solvit Vincentius; idem*

*Reddit, fertque pius præmia digna tibi.*

*Ille quidem accepit queis vivere posset honeste,*

*A te doctrinæ maxima dona memor:*

*Sed, tibi nequando cum corpore scripta perirent,*

*Egregium donat, perpetuumque decus.*

## EPISTOLA XXIX.

ALPHONSO CAVEDIO (I) S. P. D.

ARGUM. *Non omnes Cavedii, sed unas tantum, quibus respondit, accepisse literas, studiumque ei, & obsequium suum desert.*

**S**YLVIVS Gambaloyta (2) lectissimus, idemque nobilissimus adolescens salutem mihi verbis tuis nunciavit, addiditque te mirari, quodd, cum jam quater ad me scripseris, nihil a me unquam literarum acceperis. Jucundum sane mihi fuit requiri abs te officium meum. Verum audi, si lubet. Ego te, Cavedi, facillè crediderim, quaternas ad me literas dedisse, idque pro tuo in me amore, qui te mei immemorem esse non patitur. Qua in te facis tu quidem, quod boni adolescentes solent; boni enim qui sunt, ut te aliquando docui ex Isocrate, (a) amicos æque absentis amant, ac præsentis, mali vero præsentium tantum meminerunt, & ajunt, *non sunt amici, amici qui vivunt procul.* (b) Ego unas tantum accepi datas Genuæ, quo tempore a nobis discedebas, plenas suavitatis, atque miræ cujusdam elegantis, quæ cum me forte sarcinas meas componentem, & in aliam domum immigrantem deprehendissent, non statim quidem, ut debebam, sed paucis post diebus respondi, easque literas Petro Pallavicino, mercatori cuidam ad vos

(a) *Parænesis ad Demonicum.*

(b) *In Jambicis Polyanthes Gruteri, sub vocabulo Amicitia.*  
Vol. II.



properanti, dedi. Sed, quantum intelligo, non satis recte; quia eas tibi reddere neglexit. Non potuissent facere, mihi crede, licet interdum sic opprimar negociis, ut vix possim respirare, quin ad te scriberem, quem jure, & meritò in filii loco dilexi, & plurimi semper feci; imo quanvis te mihi carum esse non ignores, tamen cupio sine ullo tuo incommodo tempus aliquod mihi dari, ubi amorem tibi meum ostendam, & tibi declarem, de mea in te benevolentia illa veteri nihil detractum esse, neque ei quicquam obfuisse ullum locorum, aut temporum intervallum. Quare te etiam, atque etiam oro, ut, si quid est, quod aut ego, aut meorum quisquam in tuam gratiam conari, aut efficere possimus, ne graveris id significare; nihil, ita me Deus amet, tam faciam libenter, quàm, quod Alphonso meo gratum fore intelligam. Ego hic, ut solebam cum aderas, in docendo desudo, qui labor eò mihi levior videtur, quòd non frustra suscipitur; sunt enim præter nobiles adolescentes cæteros mihi ad viginti, qui documenta jam aliqua diligentiae meæ dare possint. Quod te scire volui, ut qui nos vere, & ex animo amas, nostrarum rerum successu lætari possis. Hæc scripsi mane, cum statim essem Actii (3) Synceri civis tui extremum secundum librum in discipulorum nostrorum conventu interpretaturus. Frater meus S. P. D., ego verò etiam Ferrando fratri tuo. Vale, VII. Eidus Martii MDLVIII. Mediolano.

(1) Qui cum Actii Synceri civis in epistola dicatur, eadem cum illo Neapoli patria fuisse, perspicitur.

(2) Paulus Morigia (a) laudat Gambaloytam Sylvium, quem filium asserit Caroli Antonii, & Annæ Sannazarix, additque uxorem eum duxisse Fulviam Torriellam, ex qua, usquedum ea scriberet Morigia, tres filios, filiamque suscepit. Discipulum suum hunc appellat Cicereius, in Codice ipsius penes D. Joannem Recalcati.

In Basilica S. Nazarii in Brolio, fratri suo Paulo Emilio epitaphium posuit Sylvius Gambaloyta, quod etiamnum visitur, aliudque ibidem extat Caroli Antonii horum genitoris. Bina hæc monumenta asserunt Sironus (b), & Puccinellus. (c)

(3) Proprium, ac gentile ejus nomen fuit Jacobus Sannazarius, illudque Actii Synceri inditum ipsi est ex Jacobi Pontani Academia, cui Neapoli adlectus fuerat. Consule Joannem Antonium Vulpium in Sannazarii vita, quam præmisit editioni operum ipsius Patavii 1751, Mazzucchellium, Tiraboschium, & alios.

(a) Nobilità, e Progenie de' Sigg. 12. del Consigl. Genov. di Mil.

(b) De J. PP. Colleg.

(c) Mem. Ant.

## EPISTOLA XXX.

ANTONIO VICECOMITI BAPTISTÆ F. S. P. D.

ARGUM. *Mores, ac litteras Antonii laudat, nihilque esse, quod de reliqua ipsius conditione conqueri is queat, contendit.*

**E**GO te, Antoni, meritò semper feci plurimi, qui, ut alia taceam, & bonis esses moribus, & bonarum, atque honestarum rerum cupidissimus. Nam, bonis qui sunt moribus, licet habeant Deos faventes, & prospera utantur fortuna, nunquam tamen superbiunt; sed se ipsos norunt, neque se communi φιλαυτία (a) decipi patiuntur, & qui bonarum, atque honestarum rerum sunt cupidi, sæpius de virtute mentionem faciunt, & cætera faciliè contemnunt; quæ duo, cum semper in te fuisse animadverterim, tum vel maxime in iis literis, quas ad me proxime dedisti, enituere, in quibus animi tui imago, hoc est oratio tua tam bene expressa erat, ut, cum eas legerem, viderer te ipsum audire, & præsentem intueri. Quem enim mecum sermonem habes, bene longus est, & omni ex parte modestiam tuam ostendit. In admirandis vero iis, quæ semper adamasti, totus es, imo vero nimius. Nam licet ex meo Magistratu jam pridem excesseris; tamen non videor quicquam alienum ab officio meo facere, si te monuero. Præ nimia enim virtutis admiratione eò proveheris, ut te tui pœnitere dicas. Quod, quia tamen facis, ut longius abhorrere a Suffeno (1) illo Catulli videaris, laudo; sed tamen ei, qui te bene norit, nunquam querelam probabis tuam. Ut enim concedam, quod tibi cum summis Regibus est commune, deesse tibi aliquid, tamen tecum præclare non agi, minus eredere est. Nihil enim tibi ad bene, beateque vivendum deest. Tu patriam, tu parentes, tu amicos incolumeis habes, & ista ætate eam ingenii maturitatem præ te fers, ut non mirum sit, si Principibus hominibus maxime probaris. At cum ad Juris civilis prudentiam animum appulisses, & jam ad laborum tuorum metam properares, ne, quod cœperas, absolveres, impedivit parum commoda valetudo: hoc te male habet, scio: hoc te pungit; quasi vero eò minus in egregium virum possis evadere, & expectationi, quam non vulgarem sustines, non respondere. Quod pluribus ostenderem, nisi id verum esse ipse per te factis intelligeres. Tu vero, Antoni ornatissime, perge facere, ut cœpisti,

(a) Sui amore.

& omnia magna, digna ista tua familia, moribus, eruditione, tibi, ut spero & opto, contingant. Galeatium Brugoram, virum clarissimum, magnis ejus in me meritis, singulari semper observantia sum profectus. Is nunc (ut arbitror) est istic. Eum velim salutes ex me, si forte invisisti. Nescio an unquam videris Alphonsum Cavedium, qui istinc civis est nobilissimus, qui una tecum aliquandiu a me est institutus. Si commodum est, amabo te, ei quoque s. d. XIII. Kalend. MDLIX., Mediolani.

(1) Ineptissimus Poeta, qui in suis operibus alioqui mirabatur se plurimum. V. Catulli *Carm.* 22.

## Ε Π Ι Σ Τ Ο Λ Η Δ Δ Δ Ι.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΣ Ο ΚΙΚΕΡΗΙΟΣ Ν.

Πέμψον μοι τὸν ἱέρωνα περὶ τῶν ὀργάνων ὑδραυλικῶν, ἵνα τοῦτον ὀπτωμαι, εἴσοι ἀρίσχει. Ἐρῶ σο.

## E P I S T O L A XXXI.

FRANCISCUS CICEREIUS N.

ARGUM. *Librum petit.*

**M**ITTE mihi Jeronem *de organis hydraulicis*, ut illum videam, si tibi placet. Vale.

## E P I S T O L A XXXII.

CÆSAR CICEREIUS SIGISMUNDO FOLIANO (1) S. P. D.

ARGUM. *Multiplaci nomine sibi gratas Foliani litteras profitetur.*

**J**UCUNDUM sane nobis fuit, literas ejusmodi tuas proxime legere, ut non quicquam a te scriptum legere, sed te ipsum præsentem audire videremur, adeo apte, quæ de nobis cogitares, & diceres, quæque in præsentem ipse ageres, nobis repræsentabant. Sed respondendi, non laudandi nunc est locus. Accipimus excusationem, qua uteris, cur antea nihil scripseris. Non agnoscimus autem ista beneficia, quæ a nobis in te collata fuisse prædicas, nisi fortasse beneficiorum loco ponis, quodd

te valde amamus, quòdque, cum cætera omnia nobis nunquam suppetiverint, nunquam tamen nobis defuerit benefaciendi tibi voluntas, quod, etsi gratiarum actionem non promeretur, scito tamen, quia ita in nos ipse es affectus, & ipse ita vis, id nobis accidisse quàm gratissimum. Sed de tuo in nos amore, etsi te etiam tacente, eum non vulgarem esse nobis ipsi persuadebamus, non aspernati tamen sumus tuarum literarum testimonium. Illud vero mirum in modum nos delectavit, quòd post tuum discessum tibi contigerit animo esse tranquillo, & in studiis tuis acquiescere, hoc est, ut ego quidem existimo, beatum fieri; nam, cum a nobis discederes, etsi iis es moribus, & ea eruditione, ut dignus sis, qui Deos omnes habeas faventis, tamen, ut sunt res humanæ, præsertim hoc tempore, fieri poterat, ut pejore loco esses, quàm antea. Quare gratulamur tibi istam felicitatem, simulque te cohortamur, ut in ea te diu continere velis. Frater meus mandavit mihi, ut ita ad te scriberem, quasi & ipse una scriberet. Dum ipse otii aliquid possit impetrare a molestis istis curis, quibus nunc maxime premitur, tunc enim pollicetur, se ad te scripturum verbosissime. Tu nos amare perge, & vale, Kal. Julii MDLIX., Mediolano.

(1) Foliani epistola est ad Cæsarem Cicereium, aliaque ad Cæsarem, & Franciscum Cicereios simul in editione Epistol. Mediol., ut vidimus Vol. I. p. 11. Epistolæ ibidem aliæ duæ sunt ad Franciscum, quarum una legitur quoque in editione Epistolarum, & Orationum Foliani Veneta, pag. 193, hæcque alia est ejusdem ad Franciscum, pag. 94, scripta ex Academia Thægiana, ubi Eloquentiæ institutor erat Folianus; & pag. 114 Joanni Baptistæ, & Joanni Aloysio Trotti, in qua Cæsaris ipsius interitum amantissime dolet. Si cui sat otii foret, ut epistolas, orationesque Foliani omnes evolvere accurate velit, plura eruere hinc posset, quibus eruditi hujusce viri gesta illustrarentur. Ego sane eas cursim perlustrando quædam deprehendi ab iis prætermissa, qui Foliani vitam. & scripta fusiori licet stylo prosecuti sunt, veluti Aloysio Tatti, & Bartholomæo Quadrio; inter hæc animadvertere mihi licuit Folianum inscriptionibus concinnandis studium suum impendisse, ut in ejus Epistolis editionis Venetæ, pag. 84, Regio Lepidi eloquentiæ facultatem publice professum, ejusdemque majores ex hac ipsa urbe ortum duxisse, ut ex ipsius oratione, quæ est ad Rhegienses, tum ex nonnullis ipsius epistolis Regio Lepidi scriptis.

In Ambrosiana Bibliotheca Sigismundi Foliani Carmen habetur, quo Gregorii XIV. P. M. laudes prosequitur, Mediolani impressum anno 1590. in 4, ubi in fine libelli conscripta hæc leguntur: *Francisco Cicereo 2. Januarii 1591*, fortasse manu ipsius Foliani exarata, qui illud sui carminis exemplum Francisco Cicereo amico suo missum voluit. Porro libellus tum a Quadrio cognitus non fuit, (a) tum illud insuper nos docet, ad Pontificatum usque Gregorii XIV. vitam duxisse Folianum, quòd nescio an Quadrius, aut alii noverint; nam sane Quadrius, quæ ætate, annove Folianus obierit, nihil omnino innuit, alia vero quæ ab eo-

(a) *Differenz. sopra la Valtellina.*

dem enunciantur Foliani opera, tale impressionis tempus præ se ferunt, quo nondum Gregorius XIV. Pontifex fuerat.

Nonnulla Foliani Epigrammata in laudem Joannis Pauli Lomatii Mediolanensis præmissa extant quibusdam ejus operibus, nempe *della Forma delle Muse, Idea del Tempio della Pittura*, aliudque, libro cui titulus *Rabisch*. Carmen pariter Foliani præmittitur Historiæ Pauli Morigiæ. Aliud vero eidem Foliano dicavit Bernardinus Baldinus in *Lusibus* pag. 54.

## EPISTOLA XXXIII.

FRANC. CICEREIUS HIERONYMO CAMUTIO MEDICO S. P. D.

*ARGUM. Non parum indignatur, quod Jovius in sua Larii descriptione de Lugano lacu verbum non fecerit. Regionem hanc suam litteris se illustraturum spondet, modo amicorum opera, ac diligentia præsto sit; scitu digna esse, quæ de Luganensi lacu conscribi queunt. Monumenta aliqua ad hæc facientia sibi suppetere, licet alia adhuc exquirenda, ut hujusmodi descriptio uberior fiat.*

**E**T non respondere, cum literis amicorum appellaris, hominis lauti nimis; & tum demum scribere, cum illi silent, & vix opus est, hominis parum sani videri potest. Quorum utrumque, cum a me non semel factum fuerit; vererem equidem, ne & tu, & Cæsar Castorius, & Josephus Offutius utroque eo, quod proposui, crimine me condemnaretis, & superbum, & dementem appellaretis, nisi satis vos nossem, & modestiam vestram, & nisi intelligerem satis notas vobis esse molestas occupationes meas. A quibus cum nunc paulum otii impetrarim, tecum per literas colloqui, Hieronyme optime, constitui, & ita, ne eos duos, quos proxime nominavi, a nobis segregemus; unde autem scribendi occasionem sim nactus, audi prius, si placet. Legi nuper solertem, subtilemque hanc, quam tibi dono, Larii descriptionem a Paulo Jovio factam, (1) animadvertique in ejus extremo, locorum toto libello descriptorum picturam una tantum charta comprehensam, atque in ea adjectum esse vestrum istum lacum, tam in parvum & angustum locum conclusum, nihil ut majori cum contemptu exprimi potuerit. Quo quidem tempore in eam cogitationem veni, ut vehementer dolerem, & dicerem ipse mecum. Hem jam Benacus & Dulcini Secundi, (2) & Petri Bembi (3) carminibus celebratur. Jam Larius per doctorum hominum ora diffunditur; non desunt, quantum quidem de multis audio,

qui nobis Verbani descriptionem polliceantur. (4) De Lugano verò lacu ita filetur, ut vix quisquam meminerit, aut, si meminerit, quasi quandam lacunam lectoribus repræsentet. Enim vero vix ferre id possum, vix humane id patior pro meo in eam regionem amore; atque ex eo statui a te per literas quærere, a quo expectandum censeas, ut ista loca & amœna, & cujusvis commendatione digna, scriptis nobilitentur. Quodd si forte a me id expectandum esse dixeris, respondebo id, quod res est, me non eum esse, qui tantum me posse confidam: paratum quidem omnia facere, & conari, confecturum commentarios rerum omnium, ut, quæ a me fuerint instituta, de literatis istis hominibus, aliquis mox possit expolire; neque tamen prius id facere aggressurum, neque eam causam suscepturum, quàm tu mihi operam, ac diligentiam tuam, & amicorum omnium pollicere. Nam cerno jam animo, quàm multa commemorari possint scitu dignissima de situs ratione, vini, ac frugum ubertate & præstantia, pagorum frequentia, hominum ingeniis; de vestro autem oppido, imo verò egregia prætura, quàm multa illustrari poterunt? Et, quoniam quidam ista loca nuper adeo culta, & nulla esse vetustate existimant, non parvi est apud me C. Geminii Nigri (5) Sextumviri memoria, quam tu ex Gravesiano vico descripsisti, item Columellæ cujusdam antiqua sculptura, quæ ad Divi Martini (6) visitur in ipso ædiculæ vestibulo. Sunt item penes me duo numismata, alterum græcum argenteum ex imis radicibus castanearum Fontanæ erutum, alterum Romanum, quod mihi dedit Ossutius, inventum, dum jacerentur fundamenta ædis sacræ, in summo Monte Bremio constitutæ: utrumque vero vetustissimum. Audivi de Augustino Planta, Jacobo Ferrario socero suo, viro sane egregio, aliquando fuisse publica quædam monumenta, non ita pridem ab ipso Ferrario concessa Ægidio Thscudio (7) Helvetio, vel tempore Desyderii Longobardorum Regis exarata, in quibus multa de Sonnico, deque eo tractu memoriæ proderentur. Ac memini te ipsum, Hieronyme, mihi narrare Bironici, nisi fallor, ingentem esse fascem publicorum monumentorum ad rem Luganensem spectantium. Præterea erunt mihi in promptu libri aliquot, cum de rebus gestis Mediolanensium, tum Novocomensium; unde non pauca, quæ ad argumentum nostrum faciant, desumi poterunt. Sed ut eò redeam, unde digressus sum, si ipse mihi auctor es, ut describere aggrediar Luganum lacum, non prius aggrediar, quàm omnem tuam operam, & nobilium istorum virorum mihi pollicere, quam mereri vel hoc nomine videor, quod lacus ipse, cujus futura est descriptio, a Lugano ipso nomen habet, vel quodd in describendo vestro Lugano

diutius sum immoraturus. Est enim in animo a ripa inchoare, & primò omne sinistrum latus perlustrare, qua in re, cum pervenero ad istum sinum maximum, in cujus medio felici sydere Luganum positum insigni cultu quotidie magis, atque magis ornatur, pulcherrimisque ædificiis augetur, noli quærere, quandiu sim commoraturus, quàm multa sim dicturus fortasse non contemnenda. Inde digredienti mihi occurret Vallis, (8) villa tua, cum arce Scriptoribus aliquot celebrata, inde Castignola, inde pene infinita alia, (9) quæ nunc commemorandi non est locus. Ubi tandem Porliciam navim applicuero, ad dextrum latus me convertam, & statim occurret mihi Ostenum, ubi præter cæteros viros illustreis, Poeta non ignobilis Antonius Leucus mihi erit celebrandus. (a) Noli vero existimare in ea rupe, quæ a mergorum statione nomen habet, (b) montibusque caprinis describendis, locis alioqui sterilibus, si cum reliquis comparentur, verba mihi defutura, ut conjicias quid de Campiliono, (10) Bisuno, (11) Marrhugia, Generoso monte, & cæteris locis, pagisque hujusmodi dici possit. Atque ea tamen omnia præcedet disputatio quædam, universi lacus rationem explicans, in qua pertractanda & tu, & frater tuus Andreas, quos nulla causa latet naturæ obscuritate involuta, auxilio mihi esse poteritis. Verum, ut jam dixi, necesse est patere mihi vestra omnia, quibus nullum suscipiendum est iter, ut in rem præsentem veniatis. Igitur velim primùm vos ad me transmittere, si quid veterum monumentorum habetis, quod faciliè facere potestis, & quidem sine ullo sumptu, nam, simul ac ea legendo percurrero, & quæ mihi opus fuerint, ex eis excerpsero, remittentur ad vos. In primis laboro de monumentis illis, de quibus Augustinus Planta noster, & si quid aliud vos habetis rerum talium. Deinde cuperem vos rerum vestrarum memoriam excitare, & ea mihi, qua vos voletis lingua, breviter, quod leve vobis fuerit, præscribere, quæ vos ipsi scitis, quæque a senibus memoratu digna, & a majoribus audivistis. Quòd si tamen aliquid vobis oneris imponere videor, cogitare debetis non fieri præclarum facinus ullum sine labore aliquo. Mihi verò pro suscipiendò tanto labore, nihil aliud præmii posco, quàm ut possim istum lacum, istam præturam vestram satis per se honestam, honestiorem scribendo reddere. Quidquid autem scripsero, non meo judicio stabo, sed vestrum omnium judicium, & tuum præsertim limatum, & politum esse volam. Vale, vi. Kal. Septembr. MDLIX. Mediol.

(a) Antonius Candidus (græce *Leucus*) Decembrius sæculo xv. vitam agebat, (ex *Argel. Biblioth.* p. 2100.) quem tamen ipsum esse a Cicero memoratum, certo affirmare non ausim.

(b) Loci nomen in præfens *Sesse mergone* est.

(1) Eo anno revera 1559, quo hanc scripsit Cicereius epistolam, impressa Venetiis fuit, eademque extat in Grævii *Thef. Antiq.*, & in Scotti *Italia illustrata*. Post Paulum Jovium Larii descriptionem confecit etiam Sigismundus Boldonius Mediolanensis, cujus liber unacum Orationibus Patavii prodit 1617, & Lucae 1660, iterumque typis mandatus est Avenione 1776, cum variis aliis partim editis, partim primùm vulgatis ejusdem Boldoni opusculis, procurante Angelo Maria Durini Archiepiscopo Ancyrano, tunc Præside Prolegato Avenionensi, nunc S. R. E. Cardinali. Extat inter alia eodem in libro Boldoni liber 4. poematis italici, cui titulus *la Caduta dei Longobardi*, ubi multa item de Lacu Lario. MS. autographum in 4. Flavii Boldonii, Sigismundi fratris, *de Sui Inspectione*, est apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultiis.

(2) Libri hujus, quæ in nostra, & Ambrosiana Bibliotheca extat, titulus est: *Dulcini Secundi Sirmio*. Metricum opus est hendecasyllabis constans, agitque de Catulli Sirmione, de Catullo ipso, deque toto lacu Benaco, dicatus est Jacobo Antonio Turriano. Epistola præit ab Auctore scripta ad Paulum Hieronymum Francum Genuesem, ex Scala idibus Novembris, Mediol. 1502. Cremonensis fuit Dulcinus, & Canonicus Mediolani S. Mariæ Scalensis; laudatur a Francisco Arisio in *Cremona litterata*, & ab Argelato in *Scriptoribus exteris*. Neuter tamen Dulcini opus de Benaco memorant. Ejusdem Dulcini lucubratio quædam manuscripta; descriptionem perstringens Templi majoris Mediolani, legitur in Cod. nostro n. 304. Dulcinus author fuit secundæ editionis Bonifacii Simonettæ Ordinis nostri Abbatis, *de Christianæ fidei, ac Romanorum Pontificum persecutionibus*, Basileæ 1509, cui aliqua idem adjunxit.

(3) Carmen Petri Bembi *Benacus* Romæ editum fuit anno 1526. Jam quidem duo tantum de lacu Benaco scriptores, Cicereio nostro innotuerant Bembus, ac Dulcinus; verum biennio ante, quàm hanc ipse scriberet epistolam, de eodem Benaco carmen ediderat Georgius Jodocus Berganus, Veronæ apud Antonium Puthæolum, quod carmen in Bibliotheca nostra, & in Ambrosiana habetur. Codex autographus epistolarum Bembi, qui ad earum primam editionem adhibitus fuit, extat in Ambrosiana, aliaque exinde ejusdem ad Joannem Matthæum Bembum decerpta est, ac luci tradita, *Raccolta Milanese* 1756, fol. 10., vide etiam fol. 7. ejusdem.

De Bembis loquitur Gaudentius Merula in Codice, apud nos 136. *de Claris Italiæ Familiis*, ubi de Petro Bembo sic: *Quanta vero sit humanitate, & litterarum politia Petrus Bembus, cum Paulus III. ob singularem, & in sacris & in humanioribus litteris eruditionem Cardineo Galero insigniverit, ornatus, non Itali modo, sed & exteræ nationes non ignorant.*

Leonis X. epistola ad Federicum Gonzagam a Petro Bembo conscripta, quæ nec in *Bullario Pontificum*, nec unâ cum aliis junctim impressis Bembi operibus continetur, in Mantuanis Commentariis legitur Marii Æquicolæ, Mantuæ impressis, 1607. in fine operis.

(4) Forte is Paulus Morigia, qui vel tunc animo meditabatur Verbani lacus descriptionem, quam edidit postea Mediolani 1603. Porro significare ibi videtur Cicereius, nihil adhuc a quoquam ætate sua litteris mandatum fuisse de Verbano lacu, cum tamen hujus *Chorographia* Mediolanensibus typis jam prodierit 1490, auctore Dominico Maccaneo, cujus opus iterum excusum fuit 1699 commentariis auctum Statii Trughi Catalauni, sub cujus anagrammatico nomine latere voluit Lazarus Auguttinus Cotta.

*Vol. II.*

L



(5) Quæstor fuit cum C. Cæsare Cassio Augusto. (a) Cicereius in Codice Antiquor. Monument. apud Princip. Belgiojolum perhibet, non longe a Graveliano vico super ara in Fano Apostolorum Principi dicato lapidem litterarum cælatura insignem cum hac epigraphe inventum esse:

C. CEMINIO NIGRO VI VIR.

C. CEMINIUS C. F. NIGER

PATRI.

Pene similis habetur Inscriptio *Thesauri Antiq.* Muratorii, Tom. I. pag. 294.

(6) Locus hic S. Ambrosii Abbatis dominio subjacet, cum Campilionensis Territorii (de quo hic annotat. 10) pars sit. De hoc loco mentionem facit Robertus Rusca Ord. N. *Descrizione del Contado di Como, e Vescovado*, pag. 74.

(7) De Ægidio Thscudio Glaronensi, ejusque nonnullis vulgatis operibus cum laude meminerunt Conradus Gesnerus in *Bibliotheca*, Fortunatus Spercherus, *Rhætia* in dedicatoria epist., & Hallerus lib. *Conseils pour former une Bibliothèque historique de la Suisse*, Berne 1771. Hos Auctores de Thscudio loquentes mihi indicavit Bibliographicæ rei amantissimus, quique peculiarem hujus generis Bibliothecam sibi paravit, Canonicus D. Antonius Palatius.

(8) De hac arce sic scribit Ballarinus: (b) *il Castello della valle d' Inteluo è opera de' Camutti già Conti di detta Valle fabbricato negli anni 1260. Arx illa nunc dicitur Quadriorum*. Edito in loco media consistit inter duas valles, ac tota, quæ circumjacet, regio dicitur *Vallis*, quam quidem memorant Robertus Rusca Cisterciensis, (c) Aloysius Tatti, (d) & alii.

(9) In ea Luganensis lacus ora commemoratione præcipua dignum est Oppidum Miliagrinum, quod natalibus suis maxime nobilitarunt Eques Dominicus Fontana, aliique ejus fratres architectonica arte præstantissimi. Errarunt proinde Joannes Petrus Bellori, (e) & auctor libri *Abecedario Pittorico*, Milium Oppidum Dominici Fontanæ natalitium solum ad oram potius Comensis lacus, quam Luganensis statuentes. Hujus, & fratrum ipsius monumenta aliqua in Templo Parochiali illius oppidi, cum ibi forte diversaretur, P. Allegranza diligenter excripsit, mihi que nunc typis committenda tradidit. In eo itaque Templo a cornu epistolæ prope aram majorem sequens legitur inscriptio, cum Dominici effigie marmorea humerorum tenus:

*Dominicus Fontana Joannis apud Clementem VIII. Architecti frater, ex pago Miliagrino ob Romana obelisca, & admirabili arte translata & feliciter erecta a Sixto V. inter familiares adscriptus, equestri, & Palatini Comitis dignitate insignitus ab Senatu, P. Q. R. inter Patricios, & in ordinem Senatorium cooptatus, Gregorii etiam XIV., & Philippi II. & III. Catholicorum Regum in Neapolitano Regno Architectus, maximorum operum inventor, & effectus patrii soli memor hoc Templum ornari curavit, & sacellum extruxit anno D. 1603.*

In Sacello ejusdem Templi SS. Sebastiano, & Rocho sacro in pila quadam una cum stemmate, ubi duo fontes cum intermedio obelisco visuntur, sic legitur:

*DD. Sebastiano, & Rocho ædiculam, in qua singulis hebdomadae sacra fierent Dominicus Fontana Aurata militiæ Eques Nobilis Romanus, Comes Palatinus, Sixti V. Gregorii XIV. Pontificum, ac Philippi Regis in Regno Neapolitano Architectus P.*

Inscriptio alia in eodem Sacello a latere dextro una cum icone Joannis Fontanæ sic habetur:

(a) Glandorf. *Onomast.*

(b) *Croniche di Como* par. 3. pag. 306.

(c) *Descriz. di Campione, e luoghi circonvic.*

(d) *Annali di Como.*

(e) *Vite de' Pitt., ed. Archib.*

D. O. M.

D. D. *Sebastiano*, & *Rochus Joannes Fontana Patricius Romanus-Clementis VIII.*,  
cujus mandato in recup.<sup>o</sup> *Ferrariæ* 2000. *Vastatorum Dux* fuit, *Architectus unacum*  
*Dominico*, & *Marfilio Fratribus Sacellum hoc extruxerunt*, quod tandem A. D.  
1610. *ætatis suæ 70. propriis sumptibus, picturis exornandū fecit.*

Ex *Mazzucchelliano Museo Numismata duo Dominici Fontanæ explorata*  
sunt, quibus addo tertium, quod una cum duobus *Mazzucchellianis* possidet  
D. Jo. *Recalcati*, ex antica parte effigiem exhibet celeberrimi hujus *Architecti*,  
addita epigraphe: *Dominic. Fontana Civ. Rom. Com. Palat. & Eq. aur.*, ex pos-  
tica vero *Portum Neapolitanum* cum subjectis litteris: *Port. Neapol.*; tum per  
gyrum: *Philippi II. Reg. Architectus*. Quamvis ex numismatis hisce deprehendere  
liceat hominis imaginem, hanc tamen ad vivum magis, cum annum 58. nu-  
meraret, repræsentat tabula affabre picta, penes me, dono data ab humanissimo  
viro D. *Felice Dominico Blanco Luganensi*, & *Parocho Ecclesiæ S. Victoris*,  
& *XL. Martyrum, Mediolani.*

(10) *Campilionum*, seu *Campionum* non solum *Imperialis beneficii*, seu, ut  
ajunt, *Feudi titulo*, verum etiam *perampla in spiritualibus jurisdictione* possidet *Abbas*  
*Imperialis Monasterii nostri, S. Ambrosii*, cujus regimini nunc præest doctrina,  
ac pietate insigniter ornatus *Reverendus P. D. Carolus Emmanuel Besozzi*. Idem  
*Abbas par exercet jus in Civennam, & Limontam ad oram Larii lacus*; hæc  
porro jura antiquissima sunt, originemque trahunt a *concessionibus a Lothario fir-*  
*matis*, dehinc a *Carolo Crasso*, aliisque *Augustis*, quorum *autographa Diploma*  
in *Tabulario nostro* adhuc servantur. *Consuli de his queunt Puricellus, (a)*  
*Arefius, (b) Julinus, (c) & Robertus Rusca* in variis *italicis opusculis*, seu *de-*  
*scriptionibus Campilioni, Limontæ, & Civennæ vulgatis Bergomi, & Placentiæ.*

*Præstantes varia arte viros, ac præsertim sculptores, architectos, & pictores*  
*Campilionum protulit*. Hos inter *Henricus quidam Campilionensis Sculptor* ad  
*turrim*, ac *suggestum majoris Templi Mutinæ operam suam* adhibuit anno 1322,  
cujus artificis memoria, quæ adhuc ibi *insculpta* visitur, a *Tiraboschio* afferitur,  
(*Letter. Ital. pag. 524.*) quem *consule etiam tom. 9. pag. 295.* In *Basilica Mo-*  
*doctiensi S. Joanni Baptistæ sacra Matthæum quendam Campilionensem architectum*  
*egisse sæculo XIV. inscriptio* probat ibi existens, typisque *vulgata a Cl. Canonico*  
*Antonio Francisco Frisio. (d)* *Campilionenses artifices in Monasterii etiam nostri*  
*hujus constructione laborarunt, ut ex libro rationali hujus fabricæ anno 1498,*  
*pag. 144, & aliis.*

In *augusto Metropolitanæ Templi, hujus Urbis, ædificio, quod fieri cœptum*  
est anno 1386, statim ab initio operis *Architecti adfuere, aliique opifices ex*  
*territorio Campilionensi, interque alios Architectos adfuere Jacobus a Campilio-*  
*no, qui pariter ad Carthusiæ Papiensis ædificium adhibitus fuit. (e)* *Sola*  
*Campilionensis Bonorum familia diu artem suam sculptoriam ibi exercuit ab an. 1600*  
*usque ad 1730. Plura effecere ad Sacellum S. Mariæ ad Arborem, ipsammet*  
*Beatissimæ Virginis statuam, quæ exinde postmodum amota fuit, aliâ in ejus lo-*  
*cum suppositâ, duas statuas item colossæ magnitudinis, quæ ibi visuorur, Isaiam,*  
*atque Jeremiam Prophetas, deinde totum fornicem, ac toreumata circa aram*  
*ejusdem Sacelli. Ibidem Boni artifices duas mirandæ molis columnas unacum*

(a) *Monum. Ambros. Basil.*(b) *Serie Abbas. S. Ambrosii.*(c) *Memorie di Milano.*(d) *Mem. della Chiesa Monzese Dissert. 3. p. 61.*(e) *V. Julin. Continuaz. par. 2.*

impositis ornamentis elaborarunt, quæ intra Templum hinc inde ad portam maximam surgunt, & hæc mihi peritiores ejus loci incolæ significarunt.

Egregius etiam Pictor Eques Isidorus Blancus ex eodem loco prodiit, qui plura penicilli sui monumenta Mediolani reliquit, inter quæ recentere sufficiat testudinem Sacelli in Basilica Ambrosiana, quod Sanctis Aymo, & Veremundo Coriis sacrum est, ac tabulam in eleganti ædícula, quæ S. Remigii nomen præfert, in horto Cœnobii hujus. (a) Voluit etiam Blancus patriam suam picturis decorare, ubi in Templo S. Mariæ *di Guirli* non solum testudinem pinxit, verum etiam Presbyterii parietes, & tabulam Aræ maximæ. Nec omiserim Templum S. Mariæ *della Caravina* in Valle Solida, picturis ab ipso ornatum, sicuti etiam in oppido Vaprii aulam, sive pinacothecam in ædibus olim Comitum Montiorum, nunc Illustr. Marchion. Soncini. Alia Bianchi Pictoris opera vide in libro *Abecedario Pittorico*.

(11) Bifunum, quod cum alijs pluribus oppidis, & castris parebat olim Abbati S. Ambrosii, occurrit sæpe in pervetustis Tabularii nostri membranis, quod & *Bixunum*, vel *Blixunum*, vel *Biffonum* nominatur. In charta anni 864, 24 Januarii placitum continetur sub Ludovico II. habitum, quo prædia quædam in loco Blixuno adjudicantur Monasterio nostro. In alia anni 880, Kal. Aprilis, quæ legitur apud Puricellum, n. 130, & Aresium, pag. 23, Carolus Crassus plura loca eidem Monasterio donat, in quibus etiam Blixunum. Obertus Archiepiscopus Mediolani, ex charta anni 1148, ratum facit dominium, quod S. Ambrosii Abbas possidere dicitur in Cortem, scilicet villam de Biffono una cum Ecclesiâ S. Carpophori, & in alia loca. Plures præterea de Blixunq nominatos cerno in iisdem chartis, veluti *Petronis de Blixuno an. 775*, *Gellone de Blixuni 852*, *Oloni & Mauro de Biffoni anni 1022*, *Dominicus de loco Biffuni 1034*. &c.

(a) V. Turrium *Riverto di Milano* pag. 187, & 198.

## EPISTOLA XXXIV.

ANDRÆ MAGNIO (I) S. P. D.

ARGUM. *De mercede agit pro sua fratris ejus instituendi opera.*

**F**RATREM tuum ad me venientem libenter vidi, jussique sedentem pauculos dies observare, quæ alii dicerent, facerentque discipuli, ut & ipse nostris institutis assuefieret. At iste statim, quod mihi placuit, quæ alii recirarent, reddidit. Sed quod ad menstruam mercedem attinet, scito paucos quidem discipulos, sed electos a me recipi, atque eorum neminem minoris, quàm X (2) XI., & uno quincunce, hoc est centum quindecim assibus doceri, quod ipse de eorum Parentibus facillè scire poteris. Quare ego, qui fratrem tuum nullo pacto a me amittere velim, nisi forte ad discendas literas parum aptum cognovero, sic statuo, cum aut a me instituendum esse gratis, id quod jure amicitie nostræ fiet, si volueris, perlibenter, aut, quod ad merce-

dem attinet, eò numero, quo cæteri mihi futurum. Tu utrum malis delibera, & rescribe. Vale. Nonis Novembris.

(1) Ad Nicolaum Magnium, huic fortasse genere propinquum, Cicereii epistola italica est in Cod. Belgiojofiano.

(2) Nota hac denarium præsci exprimebant. Sic nonnullas hujusmodi notas in Verrinis Ciceronis licet invenire, & quidem in antiquissimæ scripturæ emendatis codicibus, uti observat Priscianus *de Nummis & Ponder.* tom. XI. *Antiquit. Roman.*

## LIBER UNDECIMUS. (a)

### EPISTOLA I.

ANTONIO MAGIO (I) S. P. D.

ARGUM. *Ignavam, desidemque plurimorum vivendi rationem arguit. Commendat Magii vitæ institutum. Faustinae Romanæ numisma interpretatur.*

**E**QUIDEM, Antoni, non possum non vehementer probare vitæ tuæ rationes. Sunt enim hac nostra tempestate inter nobilissimos homines plurimi, qui tum demum se, ut nobilitate, ingenuitateque præditum hominem decet, vixisse arbitrentur, si multos canes, aut accipitres aluerint ad venandum, equos ad currendum, multosque servos circum (2) pedes, habuerint, cum urbium vicos perambulent, preciosissimis vestibus ornati, si denique totos dies in lusu, atque alea consumpserint. Quod cum faciunt, næ isti non satis intelligunt, quodnam sit ingenui viri officium, neque vident illud nobilitatis maxime proprium putandum, ut cum otio abundant, eas sibi parent artes, quæ nobiles, quæ ingenuæ omnium bonorum judicio sunt semper habitæ. Quòd si minus per ignorantiam hoc vident, deberent saltem & te, & alios non ita multos tui similes sibi imitandos proponere, qui ita vivis, ut nullum diem te vixisse arbitreris, ut non aliquid ista ætate tua dignum didiceris. Habes enim certas horas, quibus audiendis doctissimis hominibus operam des; ad eosque nunquam accedis, nisi fueris prius longissimo studio præmunitus. Quo quidem tempore & dialecticorum nodos plusquam Gordianos, ac Mæandros orationis tortuosissimos dissolvis, atque explicas, & abditissima quæque naturæ mysteria animo

(a) Questionum epistolæ libro hoc continentur; sicque eas appellavit, signavitque Cicere ius in Codice.

percipis, altissimoque mentis thesauro recondis; & denique motus siderum omnium ita diligenter investigas, ut dicere meritò possimus, cælum ipsum nihil ambitu suo complecti, neque in se se habere, quod doctissimum animum tuum fugiat. Cùm verò & contemplando, & legendo, & scribendo, & audiendo defessus tandem fueris, quid te facere putemus? num vagari? num spaciari? nihil minus. Habent enim & hæc tempora sua studia, quibus conterantur. Aut enim umbratili pugna te exerces, & omne genus & armorum, & telorum non sine magno decore versas, ut, si quando opus fuerit, carissimam patriam tuam non solum consilio atque prudentia, sed etiam armis tueri possis. Certe Musicæ eam operam navas, adeo ut nullus cantus neque vocum, neque nervorum, neque tiliarum sit; cujus non sis peritus: quid ego inquam peritus? imo verò, in quo non ita suaviter te geras, ut Orpheum ipsum non superes, aut Zethum quennis, aut Amphionem Diræum (3) longo intervallo post te derelinquas; quo tempore fit magnus eorum ad te concursus, qui molestissimis curis animum oppressum habent, atque intelligunt nihil vitæ perniciosius posse accedere, quàm trititiæ teterrimam nebulam, quam vix te audito de cordibus pellunt, lætissimique domum ad gravissimas res gerendas revertuntur. O te felicem adolescentem; o te omnino beatum, qui ita sancte vitam institueris tuam! Satis videris institutum Apellis egregii pictoris, qui nullam unquam diem sine linea transigebat, omnibus vitæ tuæ rationibus probare. Satis item tibi placet dictum illud Theopraſti, (a) *sumptum scilicet esse pretiosissimum tempus* ipsum. Itaque nullam dici partem vacuum transmitti pateris a studiis nobilissimo adolescente dignissimis. Sed neque armorum, neque Musicæ exercitatio finem imponit quotidianis tuis laboribus. Sunt namque, sunt inquam, in quæ cogitationes tuas post hæc omnia transmittas, adeo nulla unquam te capit bene agendi satietas. Quicquid igitur tibi temporis superfuerit, id omne in historiis consumere consuevisti. Juvat enim istum egregium animum tuum per omnem rerum gestarum seriem vagari, tanquam diligentissimam apem quandam per omnem florum genus. Juvat, inquam, admodum ingenii tui præstantiam temporum omnium, locorum omnium, populorum, atque adeo gentium omnium societatem contemplari, & præclaras res omnes intelligere, & inde eorum exempla colligere, quos sequaris, quos imiteris, & quos contra fugias, & evites. Recte namque Cicero noster historiam veritatis lucem, & vitæ magistrā appellavit. (b) Neque contentus eo es, quod præclarissimorum

(a) V. Diog. Laert. in Vita Theopraſti Erefii.

(b) De Orat. lib. 2. *historia vero septs temporum, lux veritatis, magistra vitæ, nuncia vetustatis.*

virorum res gestas inspicias, intelligas, memoriæ mandes, nisi etiam eorundem effigies ingeniose a nominatissimis artificibus expressas habeas; ut non solum ex scriptis qui, quales, & quanti hi fuerint, penitus tibi innotescant. Comparasti igitur tibi, neque id sine magnis & laboribus, & sumptibus, acervum magnum numismatum, neque solum æreorum, sed etiam argenteorum, atque aureorum, in quibus tam egregie expressi sunt vultus cujusque, ut pro tacito mentis effigies illa esse possit indice. Tibi igitur sunt plurima Imperatorum Romanorum, Consulum, atque adeo etiam Regum ipsorum numismata. Quid quod & nonnullorum Græcorum Principum admixti sunt nummi? quorum agnoscendorum cum sis intelligentissimus, tua tamen modestia facit, ut hæc aliorum iudicio subjicias. Cum itaque præclara hæc numismata compararis, scribis eorum ad te quoddam pervenisse, in cuius altera facie muliebris vultus venustissimus se se offerat, Faustinae Romanæ (a) Principis ex inscriptione videris agnoscere. At Luna, quæ cornibus cavata duobus aliqua magnitudine, si nummi orbem consideremus, permixta aliquot stellulis, se se ex altera facie offert, nonnihil, ut scribis, tibi negotii faceffit, & aliquid difficultatis offert: qua in re fateris te nescire, quod id symboli sibi velit, neque arbitraris hoc emblemate frustra insignitum fuisse numisma. Qua quidem in re rogas sententiam meam, meque tanquam harum rerum gnævum honorarium iudicem statuis. Quare ratio ipsa postulare videtur, ut tibi, quod mihi tantum tribuas, præsertim immerito, gratias immortalis & agam, & habeam. Sed tamen unum illud velim ante omnia cogites, me non adeo ignarum esse rerum omnium, quin sciam & hoc, & alia multa tibi esse cognita, & perspecta, quæ ad hoc studiorum genus attineant. Non negaverim quidem, me aliquando hac cognitione detentum; sed non ita diu immorari potuisse, adeo ut ille longe fallatur, qui putet me in hoc tibi, aut anteponendum, aut saltem comparandum: quod, cum tu ipse facias, facis ideo, ut omnes agnoscant ingenuos mores tuos, quod ex Terentio didicisse videris; ille enim ita Simonem de filio bene instituto verba facientem inducit: (b)

*Nunquam præponens se illis, ita ut facillime*

*Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.*

Veniam igitur ad petitionem tuam nulla alia de causa, nisi ut tibi satisfecisse voluisse videar, atque intelligas, me verecundiam tuam agnoscere, qui malis, quæ tu optime noris, aliorum iudicio supponere, qui

(a) Numisma simile ap. Mediobarbum, & Gesnerum.

(b) *Andria* act. 1. sc. 1.

minus intelligunt, quàm ipse per te aliquid asserere. Luna igitur, ut hinc incipiam, licet post Solem videatur stellarum omnium maxima, imo aliquando Solem ipsum exsuperans; tamen, si Astrologis credimus, a stellulis illis firmamenti (ita nanque octavum cælum appellant) magnitudine superatur. Quinimo, si veritatem ipsam sequamur, ita rem se habere putandum est, ratione ipsa dictante. Nam quantò fuerit remotius quodlibet corpus, tantò videbitur, non autem erit propinquior minus, etiamsi sit longe illo majus. Luna igitur cum sit omnium stellarum infima, & terris proxima, nil mirum, si videatur alia amplitudine vincere. Poetæ porro, Pictores, & Fictores, & hoc genus omne hominum sequuntur potius in rebus exprimendis, quod apparet, & ita esse videtur, quàm quod revera ita est, & existit; volunt enim intelligi. Itaque doctissimus Maro noster ita de profunditate barathri scripsit, quod tamen fieri non potest: (a)

*Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,  
Quantus ad æthereum cæli suspectus olympum.*

Ita etiam Horatius loquitur, hoc ipsum, quode agimus, attingens: (b)

*Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno  
Inter minora sidera.*

Tribuni itaque ærarii videntur in cudendo eo nummo, super quo hæc disquirere tibi visum est, Principi fœminæ, cum altera parte nummi extare ejus effigiem voluerint pectore tenus expressam, altera vero ejusdem Principis tacite maximas laudes repræsentarent sub cornutæ lunæ, & circumfusarum stellarum imagine, ut intelligerent omnes, ad quos nummus ille forte pervenisset, non minori fulgore propter eximias virtutes, animi atque corporis mirabiles dotes splendescere principem illam fœminam, quàm luna inter cætera sidera consueverit. Ideo vero luna potissimum illi exprimitur, & obliqua, quodd fœminino sexui sit convenientior, quoddque hoc pacto a cæteris omnibus cœlestibus corporibus dignoscatur. Hæc sunt, Antoni nobilissime, quæ symbolum illud mihi indicare videatur, quibus & meliora, & præstantiora & te scire intelligo, & lætor; malui tamen hæc utcunque scribere, quàm nihil rescribere, quod rusticitatis fuisset indicium. Qua in re, licet nihil dignum tuis doctissimis auribus forte protulerim, non videor tamen ipse mihi omnem lusisse operam, propterea quodd inde commode arrepta occasione tuas excellentissimas laudes aliqua ex parte expresserim. Aliqua ex parte, inquam, expressi, quod omnes persequi longi sit voluminis, non  
epistolæ

(a) *Æneid.* 6. (b) *Epodon.* 25.

epistolæ cujusquam. Imo si quisquam fatis pro meritis te commendare vellet, ei opus esse arbitrarer non solum longissimo sermone, sed etiam longe alia oratione. Immutanda esset tota meæ orationis facies, pandenda omnia ejus vela, attollenda humilia, erigenda depressa, humique reptantia illustranda, quæ non satis convenienti splendore lucent, & denique grandiora reddenda omnia. Utcunque tamen te laudarim, videor illum fructum hujus suscepti laboris cepisse maximum, quod tanta lætitia animi in te commendando sim affectus, quanta unquam aliàs. Quare autem ita factum sit, lubet commemorare, quanvis finem hic scribendi facere constitueram. Cum enim in te summa esse omnia intuerer pro eo, quo te jandiu prosequor, amore, non potui non gaudere tam excellenti tuo bono, præsertim cum in spem venerim fore ut, cum adoleveris, in summo dignitatis gradu colloceris, & universæ Reipublicæ valde & prudentia, & consilio singulari profis, sisque familiæ tuæ columen, & patriæ præcipuum ornamentum; quæ ut, quemadmodum speramus, eveniant, unum tantum curandum est, quod non in hoc scribam, quod ad virtutem inflammatissimum, & ad gloriam incitatissimum hortari velim: scio enim egregium animum tuum fræno potius, quàm calcaribus indigere, sed ut clarius meum in te amorem testificer. Atque hoc illud est, ut scilicet pergas, te his laudatissimis studiis fatigare, quoad in virum evadas, & quidem in eum qui sit aliquando Rempublicam nostram administraturus. Vale.

(1) Qui ex LX. fuit Decurionibus Mediolani, Ludovico Ducali Consiliario, & Præside Magistr. Redit. Extraord. genitus. (a) Laudat Baldinus Antonium Magium lib. 6. *Philosoph. Aristotel.*, atque *Philosophorum fuisse præceptionibus*, ac *politiioribus literis imbutum*. Eiusdem Baldini Dittichon est ad Magium in *Lustibus* pag. 108, ipsiusque epitaphium pag. 85. Castellanus Magius Antonii (b) frater præceptorem Cicereium habuit. Ita ex *Monument. antiq.* ejusdem Cicereii in Archivo Belgiojofiano, pag. 40. Alia Cicereii epistola italica est ad Antonium Magium in Cod. epistolar. ejusdem Archivi.

(2) Aldus, & alii conjunctim; Naugerus, Gruterus, aliique divisim *circum pedes* scripsere, atque hi quidem rectius, quemadmodum meritò sentit Ægidius Forcellinus in *Lexico*.

(3) Zethus, & Amphion gemelli fratres musicæ peritissimi, in Horatianis carminibus celebres; vide Horatium 1. *Epist.* 18., & alibi.

(a) V. Siron. *de J. PP. Coll.*, & Morig. *Hist.* l. 4. c. 5.

(b) V. eundem Morig. *ibid.*



## EPISTOLA II.

HIERONYMO CARDANO S. P. D.

ARGUM. *Quomodo latine politius dici aliqua possint, ostendit.*

SCRIBIS, te emendare aggressum fuisse librum, quem de *Subtilitate* inscripsisti, in eoque expoliendo plus laboris infumere, quam unquam aliàs in instituendo, & perficiendo. Quod facile crediderim tibi homini in dies nova de eruditissimo pectore tuo depromenti. Hanc autem emendationem, atque recognitionem tuam ita ad vivum, quod ajunt, refecari dicis, ut vel in vocabulo uno hæreas, ut quoad ejus fieri potest, latinus reddatur. Huic rei fidem facit illud, quod a me petisti, ut scilicet per literas te admonerem, quomodo latinus, politiusve dici posse censerem, quam Mathematici appellant *demonstrationem ostensivam*. Ego vero, ut ingenue dicam, quod sentio, videor laborum meorum, si quos adhuc insumpsi, maximum cœpisse præmium, cum a tam docto, tamque insigni viro consular, & quidem de iis, quæ non ita vilia sint existimanda. Laudari porro sæpe bonum duxi, sed si laus ipsa a laudatissimo viro proficiscitur, optimum. Qua in re semper probavi Hectoris Næviani sententiam, quæ tibi, ut & alia omnia, ex Cicerone nota est (a). Equidem licet non intelligam, me posse tibi tanto viro satisfacere, quodd adhuc imbecilles sint vires meæ, tamen nihil honorificentius, mihi contingere posse arbitror, quam si ab uno Cardano, omnium quotquot vivunt, doctissimo de litteris consular. Veniam igitur quo vis, & tuis literis respondebo. Scribis enim, duplicem esse demonstrationem apud Mathematicos, & alteram quidem eorum more, *ostensivam* dici, alteram vero, quæ ducit ad *inconveniens*. De quarum altera, hoc est posteriore te nihil laborare dicis, quodd satis bene dici posse arbitraris. Neque tamen me impedis, quin si possim & ei locutioni aliquam medelam adjungam. Experiar igitur, an in utroque quicquam præstare possim; tu porro, mi Cardane, eo contentus esse debebis, quod aliquo modo hæc modificentur. Quis enim non ignorat, sensa non ita sæpe venisse in Latium, indeque sibi vesteis, & ornatum sumpsisse? In libris enim Philosophorum perstiterunt, a quibus (quod ait Cicero) non requiritur eloquentia. (1) *Demonstrationem* igitur, quam matheos periti *ostensivam* dicunt, his modis appellabimus, *qua quid convenien-*

(a) 17. *Epistol. Famil. 6.*

*ter ostendimus; rei convenientis, quæ ei, quod convenit, adhibetur; ex eo quod fieri potest; alteram vero, quæ duci ad inconveniens dicimur, ita aliquo modo meliorem reddemus, ex eo quod fieri nequit; ex absurdo, per quam quis urgetur incommodo. Quæ aliquot modis ideo efferre volui, primò, ut si tibi, quod maxime optarem, hæc omnia aliquo modo probarentur, haberes, unde idem diversis verbis diceres, deinde ut si non omnia, saltem in aliqua parte non improbarentur, haberesque quod petieras. De me, doctissime Cardane, ita existimes, velim, habere te quidem amicum exilium virium, sed qui te & vehementius amet, & magis veneretur, atque observet, habere neminem. Tuum igitur erit, me ipso uti, ut rebus tuis in ære tuo repositis, cur enim eo non utare, qui cum tibi gratificari aliqua in re se possentiat, malit tibi satisfacisse, quàm ab alio quopiam maximum quodque beneficium accepisse. Vale.*

(1) Cicero de Finibus: a Philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem.

## EPISTOLA III.

FRANCISCO MATRINIO S. P. D.

*ARGUM. Quantopere Matrinii conspectu, & alloquio delectatus fuerit, declarat; numismatis interpretationem aliquam tradit.*

CUM heri ad vesperam & docendi, & studendi laboribus satis defatigatus spaciarer, urbemque animi gratia forte fuisset egressus, optatissimus amicus tu primus mihi occurristi. O factum bene! beasti nanque me, quo tempore primum te a longe venientem prospexi. Non enim mihi te melior a Diis ipsis, quibus omne bonum acceptum ferre par, offerri poterat. Scates enim facetiis, scommatibus, salibus, urbanitate, quæ si animus curis affectus incidat, Dii boni, quantum voluptatis sentit! Reficiuntur nanque contusæ vires, & pristinum vigorem recipiunt, quod tui unius gratia, & beneficio in me factum fuisse heri & lætor, & tibi ingentes gratias ago. Cum itaque multis jocos nos oblectavissimus, fuissentque multa verba ultro, citroque facta, cunctatione quadam usus manum in sinum inferere visus es, quicquam extracturus. Expecto quid velis. Tandem cum hinc, atque illinc per tunicæ tuæ atque thoracis plicaturas educita manu chartulam quandam profers, in qua quadrato

M ij

emblemate a dextra erant hæ literæ a superiori in inferiorem locum recto ordine juxta emblematis item sinistrum latus dextrum inspicientium descendentes ΣΩΤΗΡΟΣ, (a) quarum e diametro hæ item eodem ordine repositæ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ, (b) ad infimum latus ejusdem emblematis in plano ΘΑΘΙΩΝ. (c) Quo facto, me certiores fecisti hanc ipsam chartulam descriptam vere ex numismate (1) ejusdem formæ, quod intra illas literas tria latera occupantes expressus esset homo nudus stans, qui dextra herbarum, aut certe florum manipulum teneret, altera facie sine ullis literis repræsentari hominis item effigiem, sed paulò ulterius, quàm post collum progredientem: quævisitque de me, quid hoc sibi vellet emblemata; ad quæ ego statim dixi, nummum esse Herculis in honorem eusum, qui conservator esset Thasiorum, sed velle libros consulere, ut aliquantò clarius hæc tibi potuissent innotescere. Quoniam igitur memoria tenebam, me aliquando nonnihil legisse apud Pausaniam hæc de re, ipsum statim consului, invenique ad extremum primi *Eliacocum* libri quædam in hunc sensum: *Cæterum Thasi, qui prima ab origine Phœnices sunt, cum Thasum sequuti Agenoris f. Tyro ad inquirendam Europen egressi, & ex alia Phœnicia una enavigassent, Herculem in Olympia consecrarunt, cujus basis, quemadmodum & simulacrum, est ænea, magnitudo ejus simulacri cubitorum decem est, clavam manu dextra tenet, sinistra arcum. Audivi item Thasi eundem ibi Herculem oppidanos colere, quem Tyrios: postea autem Græcorum jam concilii factos participes, & Herculi Amphitrionis f. divinos honores decrevisse*; ex quibus verbis satis declaratur numismatis inscriptio. Sed quòd velis ex me item intelligere quid imago stantis hominis, & dextera herbas quasdam, aut flores tenentis, (ita nanque tibi videtur) in altera numismatis facie expressi, & caput illud in altera apparens ad pectus usque expressum, ita habeas, me nihil tibi certi posse significare. Quod si volueris hæc item tibi patere, dabis operam, ut ipsum nummum inspiciendum mihi cures. Quod si feceris non solum pleniorum interpretationem nancisceris; sed etiam magnam apud me gratiam inibis. Delector enim, si qua re delector, his antiquitatis vestigiis; nam si licet ex inscriptione ipsa judicare, memoriam antiquissimam esse arbitror. Vale.

(a) Salvator. (b) Hercules. (c) Thasiorum.

(1) Numisma Herculis Thasi memorat Lylius Gregorius Gyraldus, (*de Historia Deorum, Syntagmate 10*) quod & visum dicit ab Joanne Reuclino. Varia Herculis Thasi numismata affert Gesnerus tom. 2. tab. 22, & 23, quin tamen inter ea hoc videtis, de quo agit Cicereus.

## EPISTOLA IV.

ANTONIO LUPIONI S. P. D.

ARGUM. *Lupionis eruditionem laudibus effert. De ratione pronunciandi diphthongos apud veteres.*

**A**RISTOTELES, Peripateticorum facile princeps, dicebat eum, qui sæpius in literis dubitaret, facile profecturum; neque mehercule injuria. Nam, qui omnia sibi perspecta, atque explorata esse putat, is aut in utranque (quod ajunt) aurem dormit, dum studet, aut divino est ingenio, qui statim omnia vel difficillima penetret, atque percipiat. Quinimo Socrates ille, a quo tanquam ab equo Trojano fluxerunt plurimæ Philosophorum sectæ, de omnibus fere dubitabat, præclareque intelligebat, humanum ingenium non minus dubitatione, quàm cote culter, acui solere. Quiescit enim mens, & remittitur, ubi putat se invenisse, quæ exquirebat; at contra intenduntur ejus vires, crescuntque in immensum, cum in dubio versaris. Quam quidem rationem præclare intelligis, mi Lupio, teque eo pacto ad summæ eruditionis culmen accingis. Neque solum in rebus gravioribus hac compendiosa ad discendum via uteris, sed etiam in humilioribus hac diligentia uteris, adeo ut nihil non rimatum, non tactum, non probe denique inspectum relinquant. Non est igitur Philosophus ullus in hac tam florenti civitate egregius; non prudens Jurisconsultus, non peritus Mathematicus, non insignis Medicus, non facundus Rhetor, non argutus Dialecticus, non Grammaticus denique ullus est diligens, qui hanc præclaram diligentiam tuam sæpissime non senserit. Ac mihi quidem videris, præceptum illud Isocratis ad Demonicum scribentis diligenter non solum intelligere, sed etiam observare, quando ita præcipit: (a) Μη κατόκει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τί χρησιμὸν ἐπαγγελλομένους; semper enim aut in doctissimorum virorum vestibulo, atque limine pendes, dum illos salutatum venis, aut eorundem lateri ita assides, ut nunquam ne latum quidem culmum recedas, nisi doctior factus fueris: idque dum illos aut educis, aut certe domum reducis. O beatum parentem tuum, cui semper in votis fuerit, habere filium discendi cupidum! quàm nanque feliciter huic suo voto satisfactum esse videt! Hujus igitur exquisitæ diligentiae tuæ vim vel hoc ipsum testari potest, quòd cum intelligeres,

(a) Ne te pigeat longam ire viam ad eos, qui se aliquid utile docturos profiterentur.

me nescio quam curam quibusdam grammaticis minutis aliquando adhibuisse; quæsiuisti, num putarem, vetustiores diphthongos gemina voce protulisse, necne: quem morem nostra ætas servat in eis enunciandis, num cum eo conveniret, quo veteres sæculo illo Ciceronis aureo, & omni ornamentorum genere excultissimo. Qua quidem in re, etsi possem meo te jure ad eos relegare, qui planissime ea de re scripserunt, adferam tamen aliquid in medium, ne tibi defuisse videar. Erasmus certe Rhoterodamus, (a) Jacobus Ceratinus, (b) Aldus Manutius, (c) & si qui sunt alii affirmant diphthongos omnes vetustioribus prolatas fuisse, sed ita ut duarum sonus confunderetur, & ex duabus vocalibus una tantum fieret syllaba; nec mehercule mirum, cum Andreas Alciatus vir nostræ ætatis doctissimus, in *Parergis* tradiderit, (d) si Cicero revivisceret, nosque nostro more loquentes audiret, futurum, ut neuter alterum intelligeret: tanta facta proferendi differentia. Imo integre pronunciari diphthongos cum nomen ipsum, tum ejus definitio a Grammaticis tradita manifeste declarat. Duo tamen sunt, quæ mihi dubitationis nescio quid hæc in re offerunt. Nam & Cicero, cum ad Papyrus Pætum scriberet, dicit (e) *siue* græcam dictionem idem sonare, quod latinum *bini*; quod si ita est, sequitur, ut diphthongus ei græca non aliter quàm *i* prolata fuerit. Porro auctor ille, qui lusit in Lampfacenorum Deum, innuere videtur æ nihil pluris habuisse, quàm *e* simplex. Leguntur enim apud ipsum duo illa carmina, quæ licet subobsœna sint, reponam tamen, cum quod institui, aliter probare non possim. Sunt igitur talia:

*Cum loquor, una mihi peccatur litera, nam T*

*P dico semper, blæsaque lingua mea est. (f)*

Nam turpe, atque detestabile verbum *pædico*, ad quod alludit Poeta, per æ scribitur, cum a *παῖς* (g) deducatur, quod cum aliter fieri nequeat, sequitur, cum non putasse exprimendas ambas vocales, quæ in illa syllaba inerant, alioquin tota epigrammatis argutia periret. Accedit eodem etiam, quod in marmoribus vetustioribus nonnunquam sunt obviæ syllabæ diphthongo nulla insignitæ, cum tamen oporteret, quanquam hoc excusari possit Sculptoris ignorantia. Habes meam de diphthongo sententiam, qua si copiosorem, atque etiam diligentior

(a) De vclis latini, græciq. sermon. pronunciat.

(b) De vclis græcar. litterar. pronunciat.

(c) Aldus senior De vitiosa vocal., & Diphthongo prolata.

(d) V. Alciati Præternisa. lib. 1. paragr. Sermo Latin.

(e) Epistola 22. Famil. lib. 9.

(f) Inter Catalecta Vester. Postar. in Priapum.

(g) Puer.

requiri, eos Scriptores adeas, quos supra nominavi; ex eis enim affatim percipere poteris, quæcumque ad hanc rem ipsam pertinent. Vale.

## EPISTOLA V.

N. N.

ARGUM. *De ejus, ad quem scribit, profectu in studiis bene sperat. Thuris ne usus Trojanis temporibus viguerit, inquirenti respondet.*

BONI discipuli, discendique cupidi semper illud a præstantibus viris habitum fuit, Magistrum observare, cum eo libentissime versari, eundem adire, & in rebus dubiis percunctari. Quæ omnia, cum a te diligentissime curentur, est, quod sperem futurum, ut spem, quantumvis maximam, quam & ego, & Parens tuus de tua egregia indole concepimus, non solum proficiendo æques, sed etiam propediem superes. Nihil hoc loco dicam de tua erga me observantia. Illud tantum attingam, quod ad institutum nostrum facit. Quæris igitur, quomodo hi duo scriptores inter se conveniant, Virgilius scilicet, & Homerus utriusque linguæ principes Poetarum, si modò credendum est, quod in *Naturæ Historia* apud Plinium legitur, quando ait, de unguentis verba faciens: (a) *Quis primus invenerit, non traditur, Iliacis temporibus thure supplicabatur, cedri tantum, & citri suorum fruticum in sacris fumo convolutum nidorem, verius, quàm odorem noverant, jam rosæ succo reperto.* Quæ verba, ut verum dicere videantur, facit illud, quod in tota vel *Iliade*; vel *Odyssæa*, atque adeo in Homericis hymnis omnibus nulla fiat thuris mentio. Attamen Virgilius Æneæ suo tempore thus in usu fuisse in sacrificiis indicat. Nam cum vel matrem Venerem repetentem Paphum suam (ut alia loca taceam) facit, vel Æneam ipsum Patri jam inter Deos relato sacrificantem, cum in somnis ab eo fuisset admonitus, inducit, ita loquitur: (b)

*Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit  
Læta suas, ubi Templum illi, centumque Sabæo  
Thure calent aræ, fertisque recentibus halant.*

*Hæc (c) memorans cinerem, & sopitos suscitât igneis,  
Pergameumque Larem, & canæ penetralia Vestæ*

*Farre pio, & plena supplex veneratur acerra:*

nihil enim aliud esse videtur plena acerra venerari, quàm supplicare thure. Hæc igitur sunt, quæ te in dubium trahunt, quæ si quis con-

(a) Lib. 23. cap. 1. (b) *Æneid.* lib. 1. (c) Eiusdem lib. 5.

sideret, non injuriâ te addubitare judicabit. Si tamen cogitare volueris, quid Poetis sit concessum, ut poema suum exornent, faciliè omnem dubitationem depones. An verò arbitraris heroico illo sæculo mores hominum tantopere exultos fuisse, quantopere fingit Virgilius? Fingit; dixi; quoniam multa de sui sæculi consuetudinibus desumpsit, quæ Æneæ suo exornando accomodaret; imo constans est opinio doctissimorum virorum, Poetam hunc ingeniosissimum poesi hac sua consuetudines, atque mores omnes, & historias plurimas involvere voluisse, quod idem fecit in complectendis omnibus Philosophorum omnium dogmatibus; quare in allusionibus frequentem eum esse intuemur. (1) Habes igitur paucis, quod requirebas, qua ego in re adhibuissem Auctorum pondera, rationumque momenta, nisi intellexissem, te mihi ipsi fidem magnam adhibere consuevisse. Tuum fuerit posthac percunctandi, quærendique, atque adeo dubitandi consuetudinem non intermittere; sic nanque fiet, ut attentius differenteis audias, & Auctorum sensa ex eorum verbis acutius assequare.

(1) Plinium cum Virgilio sic fere conciliat Everardus Feithius *Antiquitatum Homer.* lib. 4. cap. 10., in *Thesauro Græc. Antiq.* volum. 6. Quis primus fuerit thuris in sacrificiis usus, qua in re prisca illi inter se pugnare videntur, disseruit Joannes Potterus in *Archeologia Græca* lib. 2. cap. 4., in eodem *Antiquitatum Thes.* vol. 12.

## EPISTOLA VI.

N. N.

**ARGUM.** *Conviciis modeste respondet, suumque adsertum abs objectis suetur.*

CUM eo semper animo fuerim erga juvenes, qui se discendi cupidos declararent, ut & excitandos ad præclara studia, & adjuvandos si minus evehi illis per facultates liceret, te libenter vel nullo præmio ad meas lectiones admisi, fecique libenter, ut esset tibi locus inter honestissimorum hominum filios, qui meæ fidei sunt crediti; quod quidem factum tantum abest, ut mutem, ut quantò magis te in dies prodire doctiorem videam, eò etiam majori lætitia capiar. Sed certe non satis didicisse mihi videris, quanti tibi faciendus sit institutor, quem tibi nullis impensis, nulloque negotio paraveris. Cum enim aliquando dixissem Pistiam, (1) cum primus thoracem excogitasset, fabricatusque fuisset, inventum suum Socrati ostendisse, illumque respondisse bonum sibi

sibi inventum videri; cùmque rursus adjunxissem, hunc ipsum omnes, quas conficeret thoracas, eodem pretio vendere consuevisse sive magno, sive nullo fere ornatu fuissent; & quæsitum de hoc respondisse, quæ parvo apparatu essent, se se habiliores facere, insurgis tu quidem in me, & animo agis inimico. Neque coram (quod te meliores, urbanioresque facerent) in hoc te dubitare dicis, quærisque aliquid, sed per literas conviciorum refertas, adeo ut me mentiri clamites. Ego vero etsi facile potuissem has tuas nugas, imo ineptias mecum risu, & silentio diluere, malui tamen tibi par pari referre, non quidem conviciis, sed epistolæ epistolam adjungere, ut te de hoc admonerem, erroremque tuum agnosceres, qui nullo negotio cristas attollis, & re non satis percepta in me de te benemeritum (non dico exprobrandi causa) tam arroganter insurgis. Is enim semper fui, qui eum, quem semel in meam fidem admiserim, nunquam, nisi coactus, deseram. Vide igitur, quo pacto te gesseris, & ubi errorem tuum agnoveris, ad te ipsum redi, vel enim hoc unum te ad tacendum hortabatur, quod hujus rei Xenophontem scriptorem nobilissimum auctorem protuleram. Quare, si tibi quicquam ea in re improbatur, tibi non ego, sed Xenophon ipse erat impugnandus. Non faciam tamen, quod jure meo possum, neque te ad auctorem ipsum relegabo. Litem meo unius nomine deposcam, & cum in me inveharis, & me, & Xenophontem ipsum tabor. Quid ais igitur bone vir? Quod Pistias thoracem invenerit, minime verum esse, & eum vel temporibus ipsis Trojani belli in usu fuisse? Audio: quo pacto id tandem probas? quibusve auctoribus hanc tuam opinionem fulcis? Homerus, inquis, plurimis in locis Græcos χαλκοχιτώνας, & εὐκνήμιδας (a) appellat, nominatim autem in primo *Iliadis*, quando ait:

Ἀτρεΐδαί τε, καὶ ἄλλοι εὐκνήμιδες Ἀχαιοὶ. (b)

& in ejusdem tertio in eo versu:

Τρώων δ' ἰπποδάμῳ, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνῳ. (c)

non enim, inquis, Homerus εὐκνήμιδας (d) Græcos unquam appellasset, nisi partem corporis, quod pectus est, maxime muniendam armis texissent: bene hæcenus colligis; itaque adjungis, ecquod per Deos immortalibus munimen est hoc, nisi sit thorax? Ergo Heroes thoraca habuisse constat. Videbimus posthac. Nunc vide num alium auctorem Homero addas, nam & Hercules olim, ut in fabulis traditur, Jo-

(a) Tunicam æream habentes, & bene ocreatos.

(b) Atreidaeque, & alii bene ocreati Achivi.

(c) Trojanorumque bellicolorum, & Achivorum æream tunicam habentium.

(d) Bene ocreatos.



laum (a) ad fulciendum cœlum sibi socium ascivit. Virgilium, inquis, addo, qui passim de Heroibus loquens, thoracis mentionem facit, sed nominatim in his versibus: (b)

..... tum magnam corripit hastam,  
Et jacet: illa volans clypei transverberat æra  
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.

Audio, sed quid tandem colligis ex his duobus locis? thoraca scilicet fuisse heroicis temporibus non recte colligis. Audi tandem, & apud te sis, ne diutius erroribus involvare. Cum enim uterque, ut tu vis, & ego facile concedo, loquatur de thorace, prius videndum tibi fuerit, quid eo nomine Auctores intelligant; significat nanque, cum de iis, quæ corpori extrinsecus adhibemus, loquimur, omne pectoris munimentum, sive id contra frigus comparetur, & sit tamen sive ferreum, & telorum vi objiciatur. Quod munimentum corporis ex unica ferri lamina heroicis temporibus esset, nemo est vel mediocri ingenio, qui nesciat, sed Xenophon loricam intelligit, quod munimentum ex pluribus laminulis confectum se se omni corporis motui facile accomodat. Hic, hic, inquis, te volebam. Nam, ut alios interim prætermittam, duobus locis loricæ mentionem iniicit, eamque Trojanis attribuit, & primum quidem cum Naumachiæ victores promissis muneribus donat, ubi sunt hæc carmina:

Lævibus huic hamis confertum, auroque trilicem  
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse. (c)

Deinde cum Pallas a Turno interficitur, cum & ibi inquit:

Loricæque moras, & pectus perforat ingens. (d)

Quod cum ita sit, nunc tandem ita te teneo, ut nullo pacto effugere possis. Te quæso amice, ne tam facile te victorem putes. Meministi ne, cum aliquando eodem fere in dubio versarere de thure, quod item fuisse negabas Trojanorum tempestate, citaresque Virgilium, qui sui Æneæ sacrificiis illud adhibuisset; me dixisse Virgilium consuevisse in Æneidem suam transferre multa de suæ ætatis moribus, & aliorum populorum ritibus? Quod si adhuc non credis, vide saltem Trojanorum ne, an Hetruscorum illa consuetudinem sapiant. (e)

Interea Æneas urbem designat aratro,  
Sortiturque domos, hoc Ilium, & hæc loca Troiæ  
Esse jubet.....

post quæ statim & illud est:

(a) Iolaus multorum laborum Hercules comes. V. Pausan. 8.

(b) Æneid. lib. 2.

(c) Eiusdem 5. (d) Eiusdem x. (e) Eiusdem 5.

*Indicitque forum, & Patribus dat jura vocatis.*

cum tamen hujus generis Patres ante Romulum nusquam dicti fuissent. Non sequitur igitur, ut thorax, cujusmodi dicit Xenophon Pistiam invenisse, fuerit in usu Trojanis, quanvis Virgilii verba fuisse indicent. Ad quæ quid habes bone vir, quod contradicas? Nihil ad hæc respondes? Taces, & sententiæ meæ subscribere videris: quò tandem abiit tanta arrogantia? Modò nanque videbare me victum, prostratum, deditum, vinctum denique vel post te in triumphum ducere. Nunc vero vix audes hiscere, credo jam te audaciæ pœnitet, & errorem agnoscis tuum. Quod si se aliter haberet, plura adjungerem, quò melius sententiam hanc tuam præsertim falsam impugnarem. Sed credo te his satis, superque contentum fore, ex quibus discas in posterum quàm circumspèctum te esse oporteat & in rebus asserendis, & majoribus criminandis. Ego, si te posthac novero aliis moribus imbutum, hac tandem exuta insolentia, te eo loco diligam, quo hæctenus, pergamque te erudiendi, & provehendi studiosus esse. Quod si aliter eveniet, te tuis moribus immorari sinam, neque tibi amplius ullum mecum esse commercium patiar. Vale.

(1) Xenophontis locus, qui est *de Dictis, & Factis Socratis* lib. 3., id tantum conficere mihi videtur, thoracis usum habuisse Pistiam, non autem primum ejus fuisse inventorem. Quapropter moleste fero huic Cicerei sententiæ me subscribere haud posse. Sane Homerus de Trojano, quod Pistiam præcessit, bello agens, innuit perspicue thoracem tum temporis in usu fuisse, cùm Agamemnonis, puta, thoracem describit, *Iliadis* nempe II. in principio. Videantur quoque *Græcæ Antiquitates* Gronovii tom. VI. pag. 3826, & 3827, ubi alia veterum laudantur testimonia, in quibus de vero thorace pluribus laminis contexto fit mentio. Accedit antiquissima illa Ethrusca gemma Heroes duos e Græcia exhibens in Joannis Winkelmanni opere, *Storia delle Arti del Disegno*, pag. 111. Mediolani 1779.

## EPISTOLA VII.

N. N.

*ARGUM. Scriptorum veterum loca quædam expendit.*

QUANQUAM id, quod in præsentia agemus, levius quibusdam videri potest, quàm aut tibi sit quicquam de eo quærendum, aut mihi respondendum, nullis tamen ego verbis parcam, ut tibi in eo, quod petis, satisfaciam. Et primum quidem id ea ratione præstabo, quod nihil esse putem, quod tuam in gratiam non sit efficiendum. Sunt

N ij

enim ejus generis mores tui, ut omnes ad te amandum alliciant. Deinde illa etiam ratio me hortatur, ut in re vel minima tibi ne desim; quod sæpe expertus sum lapillos etiam minutissimos, si calceamentis nostris injiciantur, maximam nobis parare molestiam. Quod si in corpore fieri intelligimus, cur ita in animum idem cadere non sentimus? Imo molestiores multò sunt scrupuli in animum injecti, quàm in quanvis corporis partem; pungunt enim, ac mordent vehementius, quæ animum lædunt, quàm quæ corpus. Notum enim est, levem quandam dubitationem a Piscatoribus Homero præstantissimo vati objectam, tantum illi negotii facessisse, ut præ nimia molestia perierit.<sup>(a)</sup> Non patiar itaque te diutius in hoc hæsitare, nam, ut jam diximus, res est levis, & plana per sese. Nam videris nescire, quam ratione Virgilius Poetarum præstantissimus dixerit de nostro ferrato navium: (a)

*Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.*

cujus generis duo adjungis, quorum alterum ejusdem Poetæ tale est: (b)

*Æratæque micant peltæ, micat æneus ensis.*

alterum vero Horatii in *Odis* hoc modo; (c)

*Illi robur, & æs triplex circa pectus erat,  
Qui fragilem truci commisit pelago ratem.*

Ubi utrobique ferro potius opus esse videtur; nam neque enses ex ære fiunt, neque pectus æneis laminis, sed ferreis armatur, (2) quemadmodum neque navium rostra ære fulciuntur, sed ferro; quæ exempla licet passim in vetustissimis tibi occurrere possunt, adjungam tamen & illud Horatii alterum item in *Odis*; (d)

*Neque discedit ærata iriremi,*

*Et post equitem sedet atra cura.*

Sed advertite, qua id ratione factum sit. Græci nanque τὸν χαλκὸν (e) ponunt & pro ære, & pro ferro, dicuntque, quo & nos utimur, ορείχαλκον (f) æs illud colore clariori, & χαλκὸν appellant numulum quendam æreum. Homerus verò, quod & faciunt alii, illic,

... αὐτὰρ ὁ, δοῦρε δὶὼ κεκορυθμένα χαλκῷ.

Πάλλων. (g)

quod Virgilius ita eleganter expressit: (h)

*Bina manu lato crispans hastilia ferro,*

item in eo versu sæpius repetito;

(a) *Æneid.* 1.

(b) *Ibidem* 6.

(c) *Carm.* 3.

(d) 3. *Carm.* 1

(e) æs.

(f) orichalcum.

(g) *Ibid.* 3. sed hic hastilia duo acuminata ære vibrans.

(h) *Æneid.* 2.

Τρώων δ' ἰπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων. (a)

Quibus in locis pro alio metallo χαλκὸν positum, quàm pro ferro nemo sanæ mentis dixerit; nam & jaculis ferreæ cuspides præfiguntur, & ferro armantur corpora, non ære, quam Græcorum consuetudinem nostros Poetas imitatos fuisse clarum est. (3) Habes itaque quod volebas. Quare restat ut unum te rogem, ne labori ulli parcas, aut diligentia nostræ, ubi videris nos tibi aliqua ratione prodesse posse. Quod si te facere cognovero, tum demum & nos, & nostra a te vehementer diligi intellexero. Vale.

(a) Trojanorumque bellicosorum, & Achivorum tunicam habentium.

(1) Ita Plutarchus cum nonnullis aliis Homeri mortem describit. Verùm aliter gravissimi alii Historici, veluti Herodotus, & Suidas non ex animi ægritudine eum putant fuisse extinctum, sed morbo.

(2) In Codicis margine eodem Cicereti calamo exarata ibi hæc leguntur: *Fuere tamen ex ære arma, quibus muniebatur prima classis a Servio instituta. V. Livium Dec. 1. lib. 1.*

(3) Volsiana hæc est sententia *Lexico Etymologico*, verbo *æs*; attamen pro æreis revera armis olim obtinentibus pugnant Proclus Hesiodi vetus commentator. Vide Hesiodi *Opera*, & *Dies*, D. Bernardum de Montfaucon, (*Diario Italico* cap. 5.) Flaminium Vaccam apud eundem cap. 12, aliosque, quorum auctoritatem, rationesque, quas proferunt vix despiciere me posse intelligo. Vide etiam *Tesoro delle antichità sacre, e profane* Lamperti Cajetani Ponsampieri, tom. 2. pag. 612.

## EPISTOLA VIII.

N. N.

ARGUM. *De prisco latine loquendi usu.*

QUÆRIS num putem Italos omneis olim latine locutos fuisse. (1) Ego rursus de te quæro, quantum hoc ipsum olim producas, extendasque. Nam T. Livius *Decade* 1. lib. 1. pag. 10. in medio (2) de bello, quod Tullus Hostilius in Fidenates, & Veientes gessit, verba faciens, ita scribit: *Terror ad hosteis transit, & audiverant clara voce dictum, & magna pars Fidenatum, ut qui coloni additi Romanis essent, latine sciebant.* Unumquenque igitur Italiæ populum propriam linguam habuisse putandum est; sed quæ, si conferretur cum altera, non admodum dissimilem. Quod etiam est ex Ennio intelligere, quem solitum dicere legimus, se tria corda habere, quod scilicet trilinguis esset, & osce, latine, græceque sciret; inde facilè crediderim, quandiu Reges Romæ viguere latinam linguam aliis Italiæ populis ignotam, si γενικῶς (a)

(a) Generaliter.

loquamur, cæpisse autem aliquibus innotescere; at vero novisse omnes & tanquam communem esse cæpisse, quo tempore primum Punicum gestum est, & tota subacta Italia, cum antea cum finitimis colluctatum fuisset a Romanis, hoc est post c.v. annos ferme 10L. Hæc si tibi aliquo modo satisfaciunt, mihi id gratum fuerit, sin minus, fac sciam. Nam si opus esse intellexero, negocia, vel gravissima quæque seponam, ad teque veniam, ut diutius his de rebus suaviter colloquamur.

(1) Ea omnia, quæ ad priscum spectant latine, seu loquendi, seu scribendi usum, fatis docte, ac luculenter exponit Gabriel Barrius Francicanus tribus in libris, volumine unico *de Lingua latina*, Romæ editis 1571.

(2) Titi Livii editio, in qua dicto folio, in medio legitur adlatum a Cicereio testimonium, ea est quæ prodit Venetiis in fol. anno 1521. mense Febr. ex officina Aldi, & Andreæ Toceri. Ad Livianam hanc conficiendam editionem studium suum, operamque contulit Joannes Malatesta Cassinensis Monachus, ut ex verbis præfationis liquet. Sic enim Franciscus Asulanus in ea lectorem affatur: *hunc autem laborem nostra causa suscepit Joannes Malatesta Mantuanus Monachus, homo, & doctrina, & ingenio, & industria excellens &c.* Livianus hujus impressionis liber in Bibliotheca extat Abbatis Masnagi, quæ ex rarioribus libris constat, ac præsertim ex insigni collectione Aldinæ typographiæ, quorum numerus editiones superat, quæ in catalogis celebrioribus referuntur.

## EPISTOLA IX.

ALEXANDRO TAEGIO S. P. D.

**ARGUM.** *Inscriptionem mittit.*

**A**CCIPE inscriptionem, quam a me petieras ea facellum tuum Novariæ exornaturus. Amici Taegii, (1) & filiorum tantum fuit parandum, fovendorumque amicorum studium, ut domus ejus amicorum familia cæperit appellari. Hujus autem nepos ex filio Alexander Canonicus, cum intelligeret hominum amicitias caducas, cælestium vero sempiternas esse, non neglectis interim mortalibus amicis, quibus domum in hac urbe a se comparatam, semper æque, ac sibi, patere voluit, tutelarem sibi, & familiæ suæ divum Amicum elegit, eique facellum hoc dicavit, & festum diem maxima cum dignitate, ac religione quotannis iv. Idus Octobris celebrandum primus instituit, quod illo die Divus Amicus in eo bello, quod Carolus M. gessit adversus Desyderium Longobardorum Regem, pro Christiana fide fortiter pugnans, apud Mortariam oppidum cecidit. Quæ cum lapidi mandabitur, ne attesse graveris, & fabro singula præscribere; alioquin, quos ille com-

miserit errores imperitus, Lectores aut tuæ negligentiae, aut meæ imperitiæ parum æqui facile adscripturi sunt.

(1) Amicus Taegius Mediolani claro genere ortus Eques, & Comes, Ducalique Secretarius, atque Orator extitit; sic enim eum exhibet lapis, quem ipsemet Tymotheo patruo suo apponi curavit in Templo S. Barnabæ. (a) Vistur nunc etiam hujusmodi sepulchrale monumentum unacum effigie marmorea Tymothei in exteriori parte parietis Templi, Collegium versus PP. Barnabitarum. De Amico Taegio vide etiam *Museum Mazzuchellianum*. Amicus Paulum genuit Taegium Juris Consultum, ad quem Lancini Curtii Epigramma pag. 170. legitur; ac Præfatio Francisci Taegii ad eundem est in opere, *Lectura in libellum B. Thomæ de Fallaciis*. Paulus filium habuit Comitem Joannem Ambrosium Taegium, Taegiani Collegii institutorem. Filius alius laudati Amici Taegii, famæ celebritate illustris, fuit Ambrosius Taegius Ord. Prædicator; qui illius Chronicon contexuit, quod sex voluminibus comprehensum servatur in Conventu S. Mariæ Gratiarum. In litteratis Mediolanensibus apud Argelatum, & Picinellum, præter hunc Ambrosium, enumeratur etiam Taegius Franciscus Ambrosii, cujus modo meminimus, (b) patruelis, & Bartholomæus Amici Taegii (c) nepos, quem in Theatro suo Litterarum recenset etiam Ghilinus, part. 2.

Ambrosii Taegii Chronistæ nullum impressum opus enunciant tum Echard, & Quetif in *Bibliotheca Ord. Prædicator.*, tum Argelatus in *Biblioth. Mediol.*, duos tamen libros ab eo editos ex erudito didici Commentario de Scriptoribus, virisque illustribus Conventus S. Mariæ Gratiarum, quem confecit, mihi que legendum humanissime præbuit P. Vincentius Montius ejusdem Ord. & Conventus Theologiæ Magister, ac Bibliothecæ Curator. Libri autem sunt hi: *Instituzione Cristiana necessaria a tutti i fedeli Cattolici ec. Mediolani 1580 in 4*; *Rosario della Sacratissima M. V. ec. Bononice 1579 in 12*.

In Historia Conventus S. Mariæ Gratiarum, quæ MS. ibidem servatur, auctore F. Georgio Rovagnatino, mentio fit hujus Ambrosii Taegii, itemque duorum ejusdem fratrum Michaelis, & Philippi, qui Prædicatorii item Ordinis, ejusdemque Conventus fuere. Georgius Rovagnatinus is est, quem Ravennatinum appellat Jacobus Echard in *Bibliotheca Prædicator.*, & Argelatus in nostra Mediolanensium; verum utrique falsò ipsius posuere nomen: nam, ut recte ostendit in laudato MS. suo P. Montius, Rovagnatinum agnomine eum vocat Ambrosius Taegius synchronus auctor, ac ipsemet hoc suum exprimit nomen in ea, quam edidit *Suppositio-num Collectula*. Lapsum alium quoque Argelati, & Echard, ubi de Rovagnatino, emendat P. Montius, cujus verbis utar. *Tres illos Georgios Mediolanenses, quorum meminit in Bibliotheca Scriptorum ordinis Echardus prædictus, unum, eundemque esse Fratrem Georgium nostrum Rovagnatinum. Nam prior, quem laudat a Leandro Alberto memoratum Logicam suam portantem, ipse est Rovagnatinus noster, qui opusculum, Logice suppositio-num Collectula, inscriptum edidit circa annum 1505; (d) alter vero, quem autorem facit vita B. Jacobi de Sexto, haud ipse quoque separari potest a postremo, nempe ab eodem F. Georgio Rovagnatino præfato, qui, ut apud Ambrosium Taegium secunda parte Monumentorum Ordinis manifeste constat, eandem B. Jacobi vitam scripsit.*

(a) V. Argelatum, & Sironum.

(b) *Biblioth. Argelat.*

(c) Ita ex dedicatione operis Bartholomæi Taegii *Dialogo la Villa*.

(d) Cujus exemplar extat in *Biblioth. S. M. Gratiar.*

## EPISTOLA X.

N. N,

ARGUM. *Inscriptionem pariter mittit.*

**P**RÆSCRIBIS quid a me latine dici velis, ut honestius marmori inscribi possit, & diutius vivere. Ego in eo quod potui, id curavi. Tu quicquid id est, boni consule. *Apolloniæ Virginis caput ex Jazygibus Metanastis Mediolanum, non sine Dei O. P. M. numine deportatum, & in hoc religiosissimum Nazariû sanum a Francisco Calderino homine præstanti fide, pietateque singulari, magno cum honore allatum, vitæ integritate insignis Franciscus Cusanus Nazariû Sacerdos hîc honorifice asservari voluit, III. Kal. Augusti anno MDLII.* Sed quòd pro *Transylvania Jasygas Metanastas* reposuerim, ne mirere, ita enim quos modo *Transylvanos* nominamus, appellatos veteribus comperio. Quod si forte minus probabis, utere arbitrato tuo. (1) Vale.

(1) Mutatis revera paullulum verbis apposita ibi fuit inscriptio, quæ adhuc spectatur ad lætus sinistrum aræ majoris. Lege eam si lubet apud Servilianum Latuadam, tom. 2. *Descrizione di Milano.*

## EPISTOLA XI.

FRANCISCO CRASSO ANNONÆ PRÆSIDI S. P. D.

ARGUM. *Pallas effingenda quo modo sit, docet.*

**Q**UERIS de me, quibus coloribus Pallas sit exprimenda, ut ejus imagine impluvium exornes tuum. Ego vero tanti viri voluntati parere, quantum datur, sum paratus; sed verbis quod petis, ego; quod cupis, pictor coloribus assequetur, atque illis quidem fere alienis omnibus, idest Albrici Philosophi *de Deorum imaginibus*, quæ fere sunt ejusmodi: *Minervam sapientiæ Deam, quam alio nomine Palladem nominamus, Poetæ fingunt ætate quidem, atque habitu virginali, sed facie non admodum pulchra, & pallore suffusa, oculis cæcis, ac fulgentibus, cæterum aspectu ipso venerabilem, & gravem, lorica indutam, gladio accinctam, cristata galea munitam, dextra manu hastam, sinistra crystallinum scutum, Gargonis ore anguibus crinita insignitum tinentem.*

*nentem. Huic item addunt pallium fulvo, purpureo, & cæruleo colore distinctum, & ad pedes hominis obruncati caput adjiciunt; appingunt item noctuam ipsi. Deæ sacram, oleæ arbori itidem sacre infidentem. Sic fere Albricus. Nos te Reipublicæ, & nobis valere cupimus.*

## EPISTOLA XII.

BARTHOLOMÆO PACANIO (I) S. P. D.

ARGUM. *Denarii cœlaturam explicat.*

**D**ENARIUM nuper signatum offers, cujus altera facies tibi sit perspicua, habet enim & Principis faciem, & nomen, a quo cusus; altera non item: eam ideo tibi clariorem reddi per me vis. Hercules Nemei leonis pelle ornatus, clavæque innixus, asperrimum ac arduum maxime collem indicat, additque græce de via ad ejus cacumen:

ΡΑΔΙΑ Δ' ΕΠΕΙΤΑ ΧΑΛΕΠΗΠΕΡ ΕΟΥΣΑ.

*Facilis mox, quæ fuit difficilis, quod ex illo Hesiodi est desumptum: (a)*

Ράδια δ' ἔπειτα πέλει χαλεπήπερ εὔσα.

Habes quæ petis. Vale.

(a) Ex ejus carmine *Opera*, & *Dies* vers. 290.

(1) Nihil de hoc novissem, nisi Cicereius ipse mihi indicasset in *Cod. Antiq. Monument.* apud Princip. Belgiojosium. Ibi enim eum commendat, virum esse, dicens, qui non vulgarem, sed solidam eruditionem cum morum integritate, & atque elegantia conjunxerit, eundemque, inquit, Roma ex ædibus Cardinalis Vallii nonnulla sibi antiquitatis monumenta misisse, ac Mediolani instituendo præpositum fuisse Joanni Baptistæ Borromæo Camilli filio, Verbanensium Principi, ac S. Caroli patrueli.

## EPISTOLA XIII.

N. N.

ARGUM. *De carminibus judicium suum exprimit.*

**Q**UERIS quid sibi velint hæc carmina impolitiora, neque fatis ad normam facta?

*Hoc Chiochæ Aloysii requiescunt ossa sepulchro,  
Qui fastiditus mores orbis vita recessit*

*Vol. II.*

O



*At spē mutatae culpæ, nam rursus in auras  
Venit is æthereas, iterum spē falsus abivit.*

In quibus omnia mihi essent facillima, nisi dictio illa versu ultimo iterum scrupulum injiceret. Quomodo enim iste rursus periisse se dicit? Nisi forte se de Pythagoræ grege profiteretur, qui se & nasci, & mori sæpius posse existimaret. Ad quod si quid ipse forte melius excogitasti, impertias te rogo; alioquin (dicam quod sentio) ridendum epigramma censeo. Si enim hominis est Christiani, Christum non sapit; si Philosophi, docti nihil sonat. Vale.

## EPISTOLA XIV.

N. N.

*ARGUM. Inscriptionem tumulo apponendam perscribit.*

**C**UM Joannes Firmus Comarchus Trivukius (1) expoliendo Parentum, & suo epitaphio te, utpote omnis antiquitatis doctissimum adhibuisset, negotium hoc ipsum, quodcumque est, ad me deferendum censuisti, tanquam ad eum, qui (ut tu vis) in hoc scribendi genere multum profecerit. Ego vero licet intelligam, me parum posse tum in hoc, tum in aliis, tamen parebo libenter istius voluntati tuæ, paratus ea omnia semper facere, quæ tibi aliquo modo grata esse intelligam, & ita subjiciam mei epitaphii schema, ut tamen tuum magis probem. (2)

V. F.

NE AB ALIIS EXPECTARET QVOD  
IPSE SIBI PRAESTARE POSSET  
IOAN. FIRMVS TRIVVLTIVS  
GEORGII (3) F. SACELLVM HOC ET SEPVLCHRVM  
QVO IAM PARENTES SVOS INFERRI  
PIE VOLVIT VT IVXTA IPSOS MOX SITVS  
VNACVM VXORE CATHARINA LANDA  
M. ANTONII F.  
PLACIDE GONQVIESCAT.  
MDXLVII. V. EID. FEBR.

(1) Trivultius Joannes Firmus hujus nominis secundus, Comes Cæsareus, ac Reg. Eques, Senatorque Mediolani, qui naturæ debitum persolvit anno 1556. V. Morigiam *Hist.* lib. 1. cap. 30, & alios.

(2) Visitur hæc inscriptio in oppido S. Floriani, atque in Æde eidem S. Flo-

riano sacra. Est autem oppidum istud Comitatus Laudensis, atque Dynastia Illustr. Familiae Marchion. Pallavicinorum Trivultiorum.

(3) Qui primus hujus nominis fuit, Praefectus, & ductor equitum Ludovici XII. Galliarum Regis, ac mortalitatem explevit anno 1512, sepultusque in tumulo dicti Templi S. Floriani. (2) Georgius hic nepos extitit Jo. Jacobi Magni Trivultii, cujus varia numismata habentur. Duo ex his, de quorum synceritate aliqui dubitant, sincera revera esse, ac genuina recte probat D. Carolus ex Marchionibus Trivultiis, cujus rationes mihi liceat in medium proferre, meisque Lectoribus eruditionis studiosis palam facere. Numismata haec, quae una cum aliis Magni Trivultii in Mazzuchelliano visuntur, illud ejus factum memorant, cum Ludovicum M. Sfortiam Mediolani Ducem apud Novariam devicit, ac cepit; factumque hujusmodi anno adsignant 1499. Fallacia idcirco visa nonnullis sunt bina haec numismata, aut ab aliquo indocto cusa; eò quod Ludovicum Maurum Novariae captum die 10 Aprilis 1500 historiae tradant. (b) Verum nulla erit temporis repugnantia, si existimetur (quod facile fieri potuit) numismata ista, aut in Gallia cusa, aut in Italia ab aliquo natione Gallo, cum in Gallia Marecallus is fuerit, magnanque ibi nominis celebritatem obtinuerit. Enimvero in Galliae Regno per plura saecula initium suum annus auspicabatur ab die solempni Paschatis Resurrectionis Domini. Numismata itaque veritati congruere possunt; annus enim 1500 exordium in Gallia habuit a Paschate Resurrectionis, quod anno illo fuit die 19 Aprilis. Haec vero ratio computandi civilis anni in Gallia persistit ad annum usque 1564, qui ex praescripto Caroli IX., die prima Januarii numerari coepit. (c)

(a) V. Sanfovinum *Famigl. Illustri d' Ital.*, pag. 56.

(b) Joannes Andreas de Prato *De rebus Mediolanensibus sui temporis*, Codice apud laudatum D. Carolum Trivultium, & Muratorius *Annali d' Ital:* a ad ann. 1500.

(c) V. Chambers *Dictionario*, verbo *Anno*, pag. 229., & *Art de verifier les dates*.

## EPISTOLA XV.

N. N.

ARGUM. *Inscriptionem mittit.*

INSCRIPTIONEM illam, quam ipse ex ingenio tuo deprompsisti, non possum non probare: est enim apposite inventa ad id exprimendum, quod cupis. Quare cogitabam nihil de eo, quod ipse scripsisses, immutandum, nisi veritus fuisset, ne si nihil de meo accessisset, putasses meam tibi subtrahi operam, & quaecumque est, denegari auxilium. Sic igitur seorsim a tua meam reposui, ut utram malles, probares.

*Templum hoc (a) Divo Nicolao dicatum angustum, & vetustate pene collapsum erat. Sed cum ad XIV. Kalend. April. MDLV. Sanctissimae Virginis effigies in summo pariete hic expressa, pueris aliquot visa esset, & in terram descendere, & delapsum filiolum in suum ip-*

(a) Templum hoc illud est, quod in Oppido Corbettæ existit, ubi inscriptio ipsa a Cicero elucubrata adhuc legenda prolat.

O ij

*sus gremium retrahere, idque admirandum facinus innotuisset; tantus huc religiosorum hominum factus est concursus, totque inde amissam valetudinem recipientium congesta sunt dona, ut de illis non solum instauratum, sed etiam amplificatum fuerit.*

## LIBER DUODECIMUS.

### EPISTOLA I. (a)

FRANCISCO PYRROGALLO S. P. D.

*ARGUM. Officose ad Pyrrogallum respondet, qui de nuptiis sibi fuerat gratulatus.*

**S**I is essem, quem ipse me esse existimas, esset profecto, quod lætareis, & Diis ipsis gratias ageres immortalibus, quod ego Darcie fororis tuæ maritus factus fuero; sed cum tam longe absim ab eo, quem tu describis, quàm qui longissime, patere, amabo te, mi Francisce, æquo animo, cum forori tuæ contigisse, quem Dii ipsi voluerunt, non cum quidem divitem, fortunatum, sapientem, sed fidelem certe, & innocentem, & bonorum virorum amantissimum, quique ita ipsam amet, ut ejus fides, & mores postulant. Uxori quidem meæ forori tuæ, parentibusque tuis, quod vere facere possum, libenter gratulor, nec minus etiam nobis, quod te eum, quem necesse erat diligere, qualiscumque esses, talem habemus, ut libenter quo \* que diligamus. Cujus quidem rei fidem facit epistola a te non minus ornate, quàm amice ad me scripta: nam quale quisque ingenium habeat, indicio est oratio. Fidem facit etiam illud, ut cætera omittam, quod Vinerarchis istis uteris familiaribus, & quotidianis convivoribus, quorum ego ingenium, studia, & mores & amare & laudare mirum in modum soleo, ut adolescentium præstantissimorum, quibus nihil dulce est; nisi quod honestum, quodque laudabile, & gloriosum aliquando sibi futurum putent. Itaque non injuria parentes tui magnam de te spem conceperunt, quem futurum sperant, ut non solum æques aliquando, verum etiam (quæ tua virtutis est indoles) incredibili celeritate longe superes. Pluribus ad te scriberem in præfenti,

(a) Principium epistolæ ex Codice nostro usque ad asteriscum. Quod sequitur, tum omnes aliæ hujus libri epistolæ ex Codice desumptæ sunt Princip. Belgiojosi.

nisi recorderer, prope adesse, cum, intermissis studiis tuis, ad nos redibis; quo tempore & una esse, & colloqui sæpius inter nos poterimus. Salutem tibi dicit soror tua Dareia, & frater meus. Tu vicissim Vinearchas meo nomine salutabis. Vale. Kalend. Quintilis, MDLX. Mediolano.

## EPISTOLA II.

NICOLAO VICECOMITI S. P. D.

ARGUM. *Præfecturam adeptam gratulatur.*

PRIMUM tibi, ut debeo, gratulor; quod, simul ac patria procul ætatem agere decrevisti, homo peradolescens cepisti laborum, virtutisque tuæ fructum non parvum, ut isti antiquissimæ urbi, atque nobilissimæ præfectus fueris. (1) Nam etsi mihi nunquam dubium fuit, quin, quæ tui est generis, ac familiæ claritas, ingenium, mores, studia, eruditio, ad maximos quosque honores perventurus esses: tamen incredibili læritia sum affectus, cum id mihi nunciatum est. Deinde Deum precor, ut istum honorem tibi fortunet, & is sit cursus rerum tuarum, & exitus, quem mereris; ut per aureos honorum, atque dignitatum gradus evehctus, is aliquando sis, quem tua virtus, & paternum, atque maternum genus tuum regium postulant. Quod verò tanto locorum intervallo sejunctus, nova dignitate auctus, tantis districtus negotiis, mei memor fueris; dum tuam in me benevolentiam esse, ipse tua sponte amantissimis literis tuis mihi declaras: haud id quidem mihi leve est, aut parvi momenti. Sed non parum doleo, non esse virium mearum, quàm id mihi gratum, jucundumque fuerit, re ipsa declarare. Ego vero, quod licet, eas tibi gratias ago, quas possum, quasque capit animus meus. Nam, si mihi, quas debeo, quasque ipse mereris, agendæ sint, longissima opus sit oratione; & ea, quæ tibi ob gravissimas occupationes tuas aut intempestiva, aut loquax videretur. Vale, XIII. Kal. Septembr. MDLX., Mediolano.

(1) Præfecturas varias gessit in Pontificio dominio, in Foro Cornelii, Faventia, Fani, & alibi. (a) Cum de præfectura hinc loquatur Cicereius, ad quam *peradolescens* admotus est Nicolaus, de prima Foro-corneliensi locum hunc facile intellexerim, atque Forum Cornelii proinde hanc scriptam epistolam.

(a) V. Sison. de J. PP. Coll. pag. 126.

## EPISTOLA III.

FRANCISCO PYRROGALLO S. P. D.

ARGUM. *Filium sibi natum nunciat, salutare præbet consilium.*

**R**ESCRIPSISSEM tibi, cum primum accepi literas tuas amantissimas; idque libenter fecissem, nisi maluissem expectare, dum te de eo, quod peperisset soror tua, admonerem; quam, quo modo uterum gestaret, statim te certiozem facere. Gaudeo autem ita nobiscum Deorum beneficio actum esse, ut cum nuncius tibi sit afferendus, apportem optatissimum, & ejusmodi ut ejus & participem fieri, pro tuo in nos amore maxime cupias. Heri igitur hora diei octava fere filiolo me auctum scito, salva sorore tua, uxore mea, qui Deos quaeso, ut sit superstes, si modo bonus, & pretii alicujus futurus est. Sed de hoc fatis. Licet non usque adeo imperitus sim, Francisce, qui nesciam, eos esse mores tuos, ea studia, ut nullius cohortatione indigeas; teque ita esse per te incitatum ad ea, quæ præclara sunt, ut frustra quisquam te inflammare conetur: tamen parendum est ei, qui jubet, & potest imperare, rem præsertim tam honestam. Itaque te Pater tuus per me monet, ut, si hactenus ab omni rixa, contentione, turbis, & iis omnibus, quæ te non solum possent a studiis tuis abstrahere, sed etiam perdere, remotus fuisti, in posterum sis remotissimus; edoctus incommodo aliorum, atque adeo infortunio summæ spei juvenis Cajati: qui nunc nuper istic, unde jam jam rude donatus, domum magno cum honore ad Parentes, & ad suos erat remittendus, vulneribus confossus est. Puerpera, & Frater meus tibi s. d. Vale, III. Eidus Mart. MDLXI., Mediolano.

## EPISTOLA IV. (a)

OCTAVIANO FERRARIO (1) S. P. D.

ARGUM. *Canobii encomium se prius conscribere proposuisse, dein abjicisse consilium, nunc autem exequi in animo habere.*

**N**ARRO tibi: quo primum tempore ad ea explicanda, quæ de moribus præclare ab Aristotele scripta sunt, a Paulo Canobio, (2) qui

(a) Epistola hæc in duplici Codice apud Principem Belgiojosum, & autographa utrobique legitur, quarum altera conjunctum habet Cicereii sigillum, ex quo depromptum illud quod expressum vides in fronte utriusque Voluminis hujus libri.

te merito semper fecit plurimum, in hanc urbem patriam tuam vocatus es: ita lætatus, ut me continere non potuerim, quin arrepto inde argumento, nescio quid scribere statim aggrederer, quo laudes Canobii ipsius præsertim complecti me posse confidebam, & universæ civitati nostræ gratulari. Erat autem in animo ita de eo dicere; ut bonum sapientemque senem veris laudibus ornarem, ut nihil falsi affingerem. Non enim tunc probabam, neque nunc item probo, quod quidam solent, qui in eo, quem laudant, nihil vitii audent affirmare; quod est ipsis bonum, atque commodum confingunt; illi ea sæpe tribuunt, quorum nunquam affinem fuisse certò sciunt; in eo exæquant omnia, summa dicunt esse omnia; cum postremò hominem exprimunt, quem nemo vidit unquam; ut manifestò appareat, illos non qualis quisquam sit, aut fuerit; sed qualis esse debuerit, describere voluisse, quæ cum legas, *Rempublicam* Platonis, aut Ciceronis *Oratorem*, aut tale quicquam legere te putes. Recte nanque Plato, & Cicero, qui de hoc, vel illo scribere non instituerunt; sed quodnam putarent eorum, quæ tractarent, optimum genus esse docuerunt. Sed ego licet multa de te, quem Canobii beneficio docentem audiremus, nihil interim meæ erga te benevolentia, & observantia concedens, dicere; & parumper a proposito digrediens, Bartholomæum Capran, (3) & L. Hannibalem (4) bonarum literarum fautores, & ornamenta civitatis, comprehendere decrevissem: tamen, quia totus eram in laudando Canobio, quicquid id fuisset quod effecissem, Canobium inscribere cogitabam. Verum ubi scribendo paullulum sum progressus, ingenii mei imbecillitatem agnoscere cœpi; &, quod sublatum ex altera tantum parte onus, constantissime me ferre posse confidebam, ubi totum humeris incubuit, quàmque grave esset, sensi, abjeci; ne majori cum dedecore, si progredi voluissem, ei succumberem. Qua in re evenit mihi contra, quàm dicit Hesiodus (a) iis accidere, qui se se in virtutis viam dant. Quod enim primo aspectu quodam modo facile videbatur incipienti (hujusmodi enim præclarorum virorum encomia a nobis, qui vulgò putamur dicendi quidam magistri, expectari solent) id experiendi visum est difficillimum. Itaque jam tum quæ ea de re institueram, abjeci; de illis repetendis nihil magis, quàm Augustus olim de Ajace (b) suo, qui in spongiam incubuisset, cogitans. Sed vide, obsecro te, Octaviane, quid faciat amor, qui, ut vere ait ille, animi arbitrio sumitur, non ponitur. Superioribus diebus in manus meas venit ea testamenti pars, qua Canobius statuit, quæ velit ad scholam a se in-

(a) Hesiodi locus, is quem affert Cicereius epistola 12. lib. xi.

(b) V. Macrobius *Saturnal.* lib. 1. cap. 4. de *Josis Augusti*.

stitutam pertinere, quam cum non prius quam heri perlegissem; & optimi viri in patriam caritatem, & in Cives suos singularem, & incredibilem amorem, liberalitatemque essem admiratus; invasit me rursus, & tenere cœpit mirum laudandi Canobii desiderium. Quare constitui aliquid per ocium aliunde conquirere, quo possim tam præstantis, tamque benefici hominis imaginem conformare, & legentium oculis subjicere. Et licet ejus formam animi me feliciter sperare effecturum non possim, quam M. Agratus (5) tuus corporis effigiem expressit; omni tamen ope, & opera enitar in ea re, & quod poterò, præstabo. Nam duas ex eo labore meo commoditates me percepturum spero; primum enim animo meo, qui ejus rei desiderio flagrat, morem gesserò: deinde ea ratione excitabo homines meliori natos ingenio, & multò me eruditiores; ut idem ipsi argumentum, qua erunt in scribendo felicitate, tractare cupiant, quibus in meo libello permissum esse velim, ut addant, detrahant, commutent, transferant: & si visum fuerit, encomium illud meum aliud faciant, dum Paullum Canobium ex litterati hominis libello multò melius, quam ex pictoris cujusquam tabula, aut alius egregii artificis opere liceat, agnoscere. Hæc malui tibi nunc scribere, quàm coram narrare. Licet enim desiderio incensus, doctissimos sermones quòtidie requiram tuos; tamen pudor meus non nisi raro me ad te domum salutatum, & auditum venire patitur. Neque tamen ignarus sum, meas salutationes, licet raras, gravissimis studiis tuis aliquo esse impedimento: quod incommodum ne nunc quoque absens tibi feram, cavi; & eum, què ad te misi, hodie non nisi pranso tibi, & jam dormitanti hanc reddere epistolam jussi, quam ubi vix semel legens, cur non scindi velim, & eodem abjici, quo libellos parum venustos nuper tibi donatos, nulla causa est. Gabrieli Flaminio, (2) juveni studio, atque doctrina præstanti, s. d. Vale. Eidibus Maji.

(2) Gabrielis, duùmque aliorum Flaminiorum carmina Patavii impressa sunt 1743, una cum Gabrielis vita.

(1) Epistolæ aliquæ ad Octavianum Ferrarium extant Pauli Manutii, Aldi junioris, Hieronymi Bossii, Sigismundi Foliani, Julii Pogiani, & epistola, \* ac dytichon \* Christiani Lazari. Eiusdem Numisma habetur in Museis Septaliano, & Mazzuchelliano, itemque apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultiiis.

Inter dictas Pogiani epistolæ, quas illustrationibus adjectis vulgavit Hieronymus Lago-Marsinius 1758, quatuor sunt epistolæ Octaviani Ferrarii ad Julium Pogianum tunc primum editæ, in quibus duo nunciari animadvertit Lago-Marsinius, quæ antea aut minime prorsus, aut parum explorata erant; primum quo anno Hieronymus Ferrarius Octaviani pater decesserit, nempe anno 1567, de Octaviano Ferrario alterum, quem Medicæ artis peritum non satis constituisse putat Lago-Marsinius ex ea dicendi ratione, qua usus est Argelatus, quòd Octavianus  
*Medicinam*

*Medicinam etiam calluisse dicitur.* De hac tamen re nec dubitare debuisset Argelatus, nec Lago-Marsinius idem dubium adoptare, si vel solum inspexissent Octaviani Ferrarii opus *de Origine Romanorum*, in quo & Philosophi, & Medici titulo insignitur. Quamvis oscitantia potius typographi, quam Argelati tribuere malim lapsum illum, quem laudatus Lago-Marsinius ipsi impingit in assignandis Octaviani Ferrarii annis, qui, cum obierit anno 1586 ætatis suæ 68, non potuit in lucem edi anno 1508, ut in ejus *Bibliotheca* legitur.

Alius vero est error ejusdem Argelati, cum eam ipsam Orationem, quam refert a Francisco Cicereo 13 Novembris 1587 habitam in funere Octaviani Ferrarii, quam nos infra exhibemus, alibi dicit ab Octaviano Ferrario eodem die, & anno fuisse recitatam in funere Cicereii, addens illam in Bibliotheca Marchionum Vicecomitum servari, hanc in Ambrosiana.

(2) In litteratis Mediolanensibus est apud Argelatum, isque fuit, qui Canobianum e suo nomine dictum Mediolani Gymnasium condidit anno 1554. (a) Nunc Canobianæ Scholæ Braydensibus adjunctæ sunt, quod Sanctione effectum Mariæ Theresiæ Augustæ, anno 1774.

Paulus Canobius dominium obtinuit post Gabrielem Fontanam anno 1539. Sacelli S. Pauli in S. Mariæ Gratiarum, (b) quo in Sacello eximia imago S. Paulum sedentem repræsentans visitur, a Gaudentio Ferrario (c) picta anno 1543, ut ad ipsammet tabulam signatum est. Obiit Canobius anno 1557. Vide Argelatum.

(3) Insigne testimonium nobilitati, ac virtuti hujus dedit Paulus Manutius lib. 3. epist. 19, de eodemque loquitur lib. xi. epist. 3. & 4; pariter Capram laudat Julius Pogianus in nonnullis epistolis, Argelatus in *Bibliotheca*, ac Thuanus in *Historia* T. 3. P. 2, ubi perhibet Octavianum Ferrarium Bibliothecam suam eidem legasse. Tres italicæ Aldi Manutii ad eum sunt epistolæ, ac latina una. \* (d) Duas M. Maphæus Francisci Cicereii filius ad eum dedit epistolas infra afferendas, duasque item italicas idem Franciscus, extantes in autographo Cod. epistol. apud Princip. Belgioiosum; in alio autem ejusdem Codice oratio continetur Francisci Cicereii autographa de vita, & moribus Bartholomæi Capræ, quam huc evulgamus.

Præfationem scripsit idem Capra in librum Octaviani Ferrarii *de Origine Romanorum*, editum primò Ticini anno 1589, recusumque in *Thefauro Antiq. Rom.* tom. 1.; ex ea proinde satis superque intelligimus, quis fuerit Præfationis illius auctor, quin opus sit cum Argelato ad Curtium id afferentem (e) provocare. Bartholomæi Capræ elogium in Templo S. Petri in Glaxiate visitur, legique potest apud Argelatum, (f) & Picinellum. (g) Bartholomæus Capra alter ex hac familia fuit Archiepiscopus Mediolanensis, ad quem Maphæi Vegii Præfatio \* ex Papiæ Idivus Martii 1433. legitur in Codice pergameno Ambrosianæ 4.

(4) Nempe Cruceium. Litteris tum græcis, tum latinis multum is excelluit, ut erudita ejus opera ostendunt. Laudatur a Morerio, Morigia, Ghilino, Crescentio, & aliis. Orationem in ejus funere habuit Franciscus Cicereius, sicut ipse testatur in oratione de vita, & moribus Bartholomæi Capræ. Annibalis Cruceii in laudem Juliani Gofelini Epigramma \* ante hujus opus de Ferdinando Gonzaga legitur, duæque ad ipsum Jovitæ Raptii \* habentur inter *Epistol. Claror.*

(a) V. eundem Argelatum, atque etiam Sison. pag. 59. (b) Ex monumentis Conventus.

(c) De quo Vasari, Lomatus, *Abeced. Pittor.*, & Authores operis *Piemontesi Illustri* T. 1. pag. xxxiv. Torino 1781

(d) De Tibiis inter *Quæsitæ per epistol.*

(e) De *Scrittori Medici Milanesi.* (f) In *Bibliotheca.* (g) *Mem. antiche* pag. 109.



*Viror.* Venetiis 1568. Ad eundem quoque epistolæ duæ sunt autographæ Francisci Cicereii italico idiomate exaratae in Cod. Belgiojofiano. In libro quodam Bibliothecæ nostræ Baptistæ Fulgofii *de Diætiis, factisque memorabilibus*, Mediolani 1509 folio primo scriptum quoddam carmen Annibalis Cruceii est, quod, quoniam in iis Poetarum collectionibus, in quibus aliqua sunt Cruceii Carmina, nequaquam deprehendi, juverit propterea hic typis committere.

*Epitaphium Jacobi Majeti ab Annibale Cruccio.*

*Hospes abi, non hac tegitur Majetus in urna,  
Illius at tantum nomina scripta vide.*

*Quid sic? esse nefas tam parvo marmore nescis  
Condi hominem, qualem ferre nec astra queunt?*

Mediolani Cruceius ex pestilentia obiit anno 1577, terræque mandatus in Templo S. M. Coronatæ cum elogio, quod legitur apud Argelatum, & Picinellum.

Multa in variis hujusce urbis Templis Crucejorum monumenta visuntur, & aliqua etiam in Templo nostro, quæ typis consignata sunt. (a)

(5) Sculptor eximius, ex loco Agrati, qui laudatur a Georgio Vasari, (b) & Latuada, (c) quemque Ferrerium cognomento fuisse intelligo ex schedis D. Jo. Baptistæ Montii Ratiocinatoris Excniæ Borromæorum Familiæ. Duo Agrati opera in Templo maximo hujus urbis mihi comperta sunt, anaglyphum Cœnam Domini exhibens, (d) & egregia S. Bartholomæi statua, cui hæc subjiciuntur verba:

*- Non me Praxiteles, sed Marc' fecit Agrat'.*

(a) V. Puccinellum *Memorie antiche di Milano.*

(b) *Vite & Architetti, Pittori, Scultori*, parte 3. vol. 2. pag. 21.

(c) *Descrizione di Milano* tom. 1. pag. 112.

(d) De quo Vasari dicto loco.

## EPISTOLA V.

OCTAVIANO FERRARIO S. P. D.

*ARGUM. Consilium petit, suosque literarios labores fufe exponit.*

**V**IDE quàm mihi persuaserim me tibi esse familiarem, quantamque spem in te reposuerim: qui non solum quæ feci, & facio omnia, apud te expromere, sed etiam consilium petere, & opem a te expectare audeam; neque verear, ne aut parvam dignitatis tuæ rationem habere, aut audacior tibi esse videar. Facit hoc humanitas tua, quæ tanta est, quæque me tibi sic obstrinxit; ut ea mihi licere facere, mæque a reprehensione temeritatis abfuturum, neque ullam repulsam esse laturum putem. Cum primùm sapere cœpi, tum mea ipsius voluntate, tum Parentum meorum cohortatione literis me totum tradidi: cœpique cum animo ipse meo cogitare, præclare mecum actum iri, si tantum aliquando profecissem; ut quæ ipse didicissem, ea possem ad communem asferre fructum, atque in aspectum, lucemque proferre. Quare bonis,

& eruditus usus Magistris, ita latinis, græcisque literis sum institutus; ut sine vitio, quæ vellem & enunciarem, & scriberem. Ineunte vero adolescentia, diffusus ingenio meo, ut adjumenta doctrinæ quærerem, aliquot annos sum peregrinatus. Quo quidem tempore, cum rem universam in partem tribuere, latentem explicare, quidque quo posito sequeretur, videre, mea confirmare, aliena refellere, & quibus ad ipsum uterer, in promptu habere didicissem; gradumque feci ad dicendi doctrinam, qua fretus, orationem meam copiosorem, atque ornatorem efficerem. In qua diutius quamvis me continere decrevissem, tamen, dum per ætatem licebat, & fiebat Magistrorum copia; ad alia, quæ mihi magno usui futura confidebam, animum transtuli. Legeram mathematicis ita mentem erigi, & ingenium acui; ut non solum alibi sæpe sint opportuna, sed etiam, ut (quod Ammonius Hermiæ filius ex Plotino (a) tradit) ab humanis ad Divina illorum ope conscendamus. Itaque aliquot annos deditus fui studio numerorum, mensuræ, & siderum. Et quoniam meum erat consilium ad eas artes, quibus ætas puerilis informari solet, redire; atque in illis, si modò daretur, cum aliquo aliorum commodo consensescere: putavi ea, quæ dixi, magno mihi quidem adjumento fore, at omnium tamen maximo physica. Magistros igitur nactus egregios, aliquid temporis in iis etiam libris tribui; quibus Aristoteles omnem naturæ obscuritatem, rerum causas, rationesque explicuit. Cum autem hunc cursum, qua potuissem ratione, confecissem; etsi, qui aliorum docendo curam susciperet, gravem nimis personam sustinere intelligebam; tamen non dubitavi ea, quæ ego didicissem, bona fide aliis communicare; ne aut laborem defugisse, aut frustra hæc percepisse, aut mei tantum commodi viderer habere rationem; quod licet laboris, & molestiæ plenissimum sit, tamen, quia mihi ex sententia successit; adhuc placet, & placebit, ut spero, in futurum. Habent enim hoc (ut probe nosti) artifices non omnino mali, ut operibus suis lætentur mirandum in modum. Neque vero exiguus est eorum cum civium, tum hospitem numerus, qui meo labore, meaque diligentia tales jam evaserunt, aut brevi sunt evasuri; ut non modico usui, atque ornamento patriæ suæ sint futuri. Quæ res me jam undecim annos in docendo ita continuit; ut docendi labori scribendi exercitationem addiderim prope quotidianam. Recenserem hoc loco quæ hæcenus a me vel scripta, vel instituta sunt; nisi & pudore deterrerer, & abuti viderer patientia tua. Quid enim commemorem quos veteres scriptores interpretationibus, annotationibus, & animadversioni-

(a) Plotin. *Ennead.* 2. lib. 9.

bus aliquo pacto juverim? Quas lapidum, aut etiam antiquorum numerorum notas explicatione mea illustraverim? Quæ ad rectam scribendi rationem pertinentia inde collegerim; & cum doctorum usu, ac consuetudine contulerim? Quid proferam epistolarum libros? Quid orationes, declamationes, atque ejus generis scriptiones plurimas? Quæ omnia quatuordecim voluminibus a me sunt expressa. Nam id ipsum quid aliud est facere, quàm si quis Irus coram Cræso Lydorum Rege ditissimo, suas jactet opes, immo suam ostendet inopiam? Neque vero sum ego tam rerum mearum amans, tantusque admirator, qui hæc magni faciam, aut putem palmaria; neque tam gloriosus, qui, licet aliquid fortasse non imperite scripserim, talium librorum editione nomen meum celebrari posse sperem. Id tantum volebam ostendere, Deorum immortalium beneficio eos semper mihi contigisse Discipulos, quorum ingenio, atque eruditione studia mea excitarentur; quosque ita mihi attentos facerem latina, eaque dilucida, & illustri explanatione, quasi mihi non in privato loco, sed in nobili aliquo gymnasio essent erudiendi. Quæ mea diligentia, & diuturna exercitatio cum non potuerit non nota esse quamplurimis; non defuerunt nobiles homines, qui hoc tempore oblata occasione me non modo excitant, sed etiam quasi increpantes ignaviam meam, impellere ad petendum sunt conati; & mihi ad id omne suum studium, operam, diligentiam polliceri non destiterunt: affirmantes ea me jam dedisse eruditionis documenta; ut si is sum, qui esse debeo, patriæ studiosus, & juvandi cupidus, publice docendi curam debeam suscipere. Quibus repugnare, non satis commodum visum est, ne illi me ignaviæ, aut timoris arguerent; neve ego, quod offerebant, aspernari viderer: sed cogitandum, & amplius deliberandum ea de re mihi esse respondi; arbitratus tutissimum fore, si te interim consularem prudentissimum, sapientissimumque virum, & bonorum, atque adeo innocentium hominum amantissimum. Aliquot causæ sunt, Octaviane, quæ me ad petendum impellant. Primum enim illud, ne mihi ipse desim, me movere non desinit, quod insitum, vel potius innatum est omnibus, ut enitatur quisque, quantum possit, & efficiat, ut honestiore sit loco, & aliquo in numero: deinde tam opportuna ingenio, diligentia, exercitationi, ætati que meæ, in præsentem se mihi offert occasio; ut, si eam amisero, nunquam tam idoneam me habiturum sperare possim. Postremò videtur patria mea tam de me benemerita, non expectare solum, sed etiam postulare, ut Mediolanensis ego tot a se beneficiis affectus, sibi usui, & commodo esse coner. Ad idem me cohortatur etiam, & quodam modo impellit exemplum Pa-

tris mei, qui apud Mongutium Incinæ plebis oppidum, cujus erat fabricum Præfectus, pro Francisco Sfortia (1) Principe nostro, proque nostra hac eadem patria mortem oppetere non dubitavit. Erit enim (ut omnes facile intelligere possunt) Patriæ non parum honorificum, Senatuum non aliunde quærere, accersere, expectare eos homines, quibus negotium detur, ut veteres bonarum artium Scriptores interpretentur, sed & proferre quos ediderit sætus, ut, cum ipsa una de florentissimis, potentissimisque urbibus concessu & sit, & habeatur, sitque reliquarum rerum omnium abundantissima; hac una laude, quæ certe non est postrema, carere ne videatur. Nam, quod ad me ipsum attinet, scientiæ, atque eruditionis laudem multis facile concedens, hoc de me polliceri habeo, labore, diligentia, explicandi facilitate cessurum esse nemini; quod certe non auderem promittere, nisi undecim annorum continuorum magnus labor, in Mediolanensi juventute instituenda consumptus, fatis mihi animorum adderet; & quid præstare possim manifesto indicaret. Nam præter eam docendi rationem, quæ mihi cum aliis communis est, & declamandi consuetudinem, quæ semper apud me viguit; illud unum me semper spectasse fateor, ut quæcumque exempla ex præstantissimis Scriptoribus & græcis, & latinis, unde mihi essent prius præscribendo, dictandoque in eum ordinem redigerem, qui esset facillimus, & ad discendum aptissimus, & denique ejusmodi, ut inde auditores mei non intelligerent tantum, quæ ad eum locum, qui tum esset in manibus, pertinerent: sed etiam certam quandam sibi rationem, & viam pararent; quam sequuti ex omni auctorum genere, quodcumque sibi legendum proposuissent, fructus quos vellent caperent, quosque expectarent, uberrimos, quod quale, & ejusmodi sit, volo tibi, si lubet, commemorare, Octaviane, ut appareat non mirum esse, quod hæcenus tot, tamque multi ingenui adolescentes meo labore, meaque diligentia ad graviora studia gradum fecerunt, & egregia quædam suæ virtutis documenta statim dare non dubitarunt; neque omnino absurdum, quod quidam alicujus pretii homines, me majori aliqua cura dignum judicent.

Jam primum illud omnibus est in confesso, & controversia caret, veterum libros, & eos præsertim, qui ab ordinis nostri hominibus passim teruntur, omni scientiæ genere esse abundantissimos; idque fere ex singulis eorum versibus, si quis diligenter attendat, manifestum esse. Ex quo fit, ut qui pro eo ac deberet, eos interpretando explanare contenderet, eum omnia tenere, omnia scire peropus esset. Cujusmodi interpretes si habendi essent; non ad me eundem, sed ad te esset,

Octaviane: qui de omnibus iis, quæ homines scire possunt, atque intelligere; distincte, copiose, & ornate potes disputare. Sed quoniam tui similes, si qui sunt, majora in studiis onera sustinere & possunt, & solent; tuque, ut latinis literis philosophiam illustres, contendis, idque non parva cum laude jam consequeris: fit, ut hoc explicandi munus, quod omnium liberalium artium peritissimum hominem apposceret, ad nostri ordinis homines pertinere existimetur. De quibus igitur non modo differere, & dicere cum omnium audientium admiratione, sed etiam aliorum controversias tanquam honorarius arbiter judicare soles; ea nunc ego leviter attingere, & digito (ut fieri solet) ad fontem intenso commonstrare audeo. Nam tria sunt (ut in *Topicis* tradit Aristoteles) enunciatorum genera; unum logicum, alterum civile, & tertium physicum. Ad ea omnem liberalem, & dignam homine nobili doctrinam referendam esse, qui non concedat, modo aliquid intelligat, est, ut arbitror, nemo. Itaque mihi quotiescumque alicujus auctoris valde boni versus aliquot enodandos propono, (propono autem fere quotidie) statim animum ad ea tria, quæ modo nominavi, refero; & verba singula, quàm possum diligentissime expendo, id ubi factum est, comperio aliquid, quod aut in causis rerum explicandis versetur; & pro eo, qui innatus est omnibus, cognitionis amore, & scientiæ, non solum acuere, sed etiam alere ingenium possit, aut quod pertineat ad mores cujusque emendandos, rem familiarem administrandam, rationem, atque prudentiam reipub. gerendæ; atque hujusmodi aliquid frequenter quidem; non tamen tam sæpe, quàm sæpe se offert aliquid exquisitius, in quo loquendi consuetudo a Grammaticorum legibus abhorreat, quodque ab ipsis non sit animadversum, aut quod differendi artificium quoddam egregium indicet; unde liceat intelligere, quanti totius philosophiæ, atque adeo omnis intelligentiæ instrumentum ei, qui de bonis literis spem aliquam habet, sit jure faciendum. Quod si postremo, quæ rimor, sunt ad dicendum referenda, exulto, quasi in meo regno constitutus: dum omnes locos ejus artis evolvo, omnem ornatum explico, recenscoque omneis verborum immutationes, quos appellant τροπον (a), & sententiarum, orationisque formas, quæ vocant σχήματα. (b) Neque vero hoc a me paulo audacius fit immeritò: quippe qui doctrinæ dicendi omnia, quæ aut leviter attingi, aut degustavi, aut didici, subjecta esse velim; quòd in hac mihi decrevi diutius esse commorandum, atque consensendum; qua de causa nunc quoque post tot eruditos viros, *Partitioni Oratoriæ* a Cicerone factæ,

(a) Tropos. (b) Schemata.

non contemnendam explanationem sum aggressus adhibere. Sed dum omneis undique flosculos ea, qua dixi, ratione carpo, atque delibo; sic una cum Lucretio sæpe soleo:

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant; (a)*

*Omnia nos iidem depascimur aurea dicta,*

*Aurea, perpetua semper dignissima vita.*

Quæ omnia præscribere, seu dictare discipulis meis ita soleo; ut statim planum fiat, quæ ad quod caput singula sint referenda; mox gressus ad ea explicanda, quæ ejus diei sunt, de iisdem rebus illustrioribus, quæ a nobis notatæ fuerint, in contrarias parteis, quantum quidem tenuis mea facultas fert, disputo; neque quidquam omitto, quod ad auditorum meorum eam, quam dixi, utilitatem, quodque ad eorundem orationem locupletandam pertinere posse videatur.

Hæc ego longius prosequi volui: neque veritus sum, ne aut molestus tibi essem, -aut mihi diceres, quorsum hæc ad me? an, quod tantopere expetis, ad quod a multis invitari, & quodam modo te impelli dicis, ad quod te aptum longa exercitatione, & accurata quadam docendi ratione ostendis: id est ejusmodi, ut illud a me expectare aut possis, aut debeas? Nunquam enim te existimaturum credidi me temere scribere hæc, neque cui scribam, satis videre. Ego ad te, Ferrari humanissime, hoc potissimum tempore & literas dare non dubitavi, & spem, consilium, atque auxilium expetere: & spem quidem non injuria. Nam nisi aliquid præsidii mihi in eo collocatum esse putem; quem cum primùm cognovi, præcipue, atque insigniter diligere, & colere cœpi: in quo spem habeam ullam? an vero expectem; ut, qui vel me non noverit, vel oderit; vel non possit, mihi auxilium, & opem ferat? Consilii porro, & auxilii ea ratio est; ut si tibi is non videor, quem pro tua sapientia tanto oneri parem putes; & quiescere jubes, & repugnare multorum votis, & de me \* judicio: quæcumque hæc hactenus de eruditione, labore, diligentiaque mea dicta sunt, omnia indicta esse velim; neque ullo me tuo, aut alius boni viri auxilio dignum putem. Sin, quod spero, cum me esse existimas, qui aliquid in commune conferre possim; te oratum velim, ne me hoc tempore deferas, sed mihi, ut soles, favcas: & rogatus quid de me sentias, tantum diligentia, labori, industriaque tribuas; quantum satis futurum putes mihi ad id, quod cupio, immo vero, quod multi cupiunt, impetrandum: simulque tibi adjungas Franciscum Petrejum Nigrum, (a) & L. Annibalem Crucejum tuos; quos ego, utpote qui sunt viri

(a) Lib. 3. versu 11.

omni laude præstantes, jandiu magni facio, &, ut debeo, observo; idque nonnullis meis scriptis jam ante sex annos testatus sum; satis enim notum est, quantum vos tres possitis, quantum vobis ab omnibus credatur, quanta sit vestra apud Civitatis principes, bonosque omnes auctoritas. Vos, si mihi favere non gravabimini, quod de Platone Antimachus (a) olim dixit, eritis mihi instar omnium. Id si fiet, quidquid hoc honoris est, virtute ego, non fautoribus, ambivisse dicar. Quod si per vos mihi, quod volo, paravero: tantum habeo de me vobis polliceri, tantumque confido, non eruditioni quidem meæ, quæ tamen non est omnino contempnenda, sed labori, industriæ, longæ exercitationi, ut sperem fore, ut nemo unquam bonus vos de hoc facto reprehendat, aut vos ipsos unquam hujus facti pœniteat: immo vero, ut nobis fortunantibus Superis, quod agemus, vehementer gaudeatis; & vestri vos in me beneficii, & judicii fructum capiat maximum. Sed ad te unum redeo, Ferrari, quem etiam atque etiam juvat orare, ut mihi sis auxilio; neque vereare fidem tuam in eo, quod potes, pro me obligare. Spondeo enim eam me liberaturum; atque, ita esse animatum, ut animam sim potius amissurus, quàm non diligenter, quod erit officii, atque adeo muneris mei, præstaturus: conaturum porro aliquid perpetuo in tuam, tuorumque amicorum gratiam moliri; & rationem initurum, quemadmodum tibi, tuisque alicui usui esse possim. Erat ad manus mihi in hoc longior, & ornatior parata oratio; sed deterruit me gravitas tua, admonitusque sum a rhetoribus Magistris meis; non tantum quid, sed quomodo, & apud quem dicam, mihi esse videndum. Itaque abstinui omni insigni ornatu, removi pigmenta, fucumque; & tui, a quo mihi petendum esset, rationem habui. Quæ igitur breviter, simpliciterque dixi, ea in bonam partem accipias rogo; memorque sis, me, quantuscumque sum, tuum esse perpetuo futurum. Vale.

Quod vero ad eam philosophiæ partem attinet, quæ est de vita, & moribus, utinam tam mihi non defuissent, qui eam me docerent; quàm eos recte judicare semper existimavi, qui illam, præcipuam omnis sapientiæ partem esse statuunt. Legi tamen, diligenterque cognovi, quæ a summis viris de ea sunt scripta; non ignarus, inde viam monstrari, qua ad summam felicitatem pervenitur.

(a) V. Cic. de Clar. Orator.

(1) Nempe Francisco II., cujus facta ad Mongutium vide apud Galeatium Capellam, de Bello Mussiaco pag. 59. Nonnulla hujus Ducis monumienta possidet D. Carolus ex Marchionibus Trivultiis, ejus scilicet Evangeliarium pergamenum Romani ritus in 4, elegantissimis ornatum picturis, cum emblematis, atque insignibus

gnibus Ducalibus, necnon insignibus Christiannæ uxoris e Danicæ Regibus; præterea Ducis ipsius sigillam in corneola, tum candelabrum figulinum, vulgò *di majolica*, & escarias ex eadem materia patinas, in quibus Ducis insignia mira arte depicta conspiciuntur. In Archivo Belgiojof. epistolæ plures italicæ autographæ sunt Francisci II. ad Angelam Sfortiam Estensem, ad Ducem Ferrariæ, atque alios; itemque ejusdem Diplomata, & concessiones, quæ ad varias spectant familias.

Quoniam autem Sfortianis Principibus præsertim acceptas referimus bonas artes, exeunte sæculo XV. in hanc urbem inductas, magnaque cum admiratione tum florentes, rem plane gratam patriæ antiquitatis studiosis me facturum puto, si tanti hujus boni Auctores intento veluti digito legentibus designem: horum scilicet Principum imagines sive cælatas, sive depictas adhuc in hac urbe extantes, præsertim cum affabre admodum effictæ nos sæculi illius felicitatis commoneant, & egregiorum Artificum nobis monumenta suppeditent immortalitate dignissima. Francisci itaque I. expressa habetur marmore effigies, ceterorumque Sfortiadum usque ad Ludovicum Mariam in ædibus aliàs Marlianis, nunc Regii juris prope S. Andree. Duæ ejusdem Francisci extant marmoreæ effigies in Nosophocomio majori, quod ipse extruxit, alia item supra januam Cœnobii Monachorum S. Damiani, aliaque pulchre expressa apud D. Carolum Trivultium. Cernuntur insuper Franciscus, & Blanca Maria (a) uxor in via Bossiorum, & in ædibus Illustr. Marchion. de Castilionæis. Nec omittendum numisma illud, quod in Ambrosiana Bibliotheca servatur, in quo Franciscus Sfortia non Ducalibus, sed militaribus tantum insignibus, ac indumentis exhibetur cum epigraphe: *Franciscus Sfortia Vicecomes Marchio, & Comes, ac Cremonæ Dominus*; in averfa parte equinum caput, ac infra gladius cum duobus voluminibus. Præterea Blanca Maria picta visitur in Basilica S. Eustorgii in fornice ad Sacellum S. Martini, quam indicavit P. Allegrandia (b).

Galeatium Mariam Francisci filium eleganter pictum conspexi in Codice, quem Ambros. Bibliotheca servat, sign. H 33 in 8, Francisci Lucani Parmensis *de Regimine Principum*, duobus libris distincto, eidemque Galeatio nuncupato. Pariter in alio Codice, cujus possessor prædictus D. Carolus Trivultius, pergamenò 1461 Raphaelis Vicomercati, *Horoscopus* continetur Galeatii Mariæ, ibidemque ejusdem adolescentis, cum nondum Mediolani Dux esset, pulchra imago exhibetur; tum in parva tabella ejusdem D. Caroli, altera effigies visitur Galeatii, aliaque Bonæ Sabaudiensis uxoris, quæ utraque excellenti pictura emicant.

Joannis Galeatii, Galeatii Mariæ filii marmorea effigies habetur prope januam Bibliothecæ Monasterii nostri; alia vero, quæ eundem juniorem repræsentat, in Sacello Sacrarii extat S. M. Gratiarum e latere Evangelii, & latere Epistolæ marmorea alia effigies Ludovici Mariæ ejus patru. Pariter Jo. Galeatius pictus cernitur flexis genibus ante Bñam Virginem ad aram majorem S. Satyri (c), una cum muliere, quæ videtur Bona ejus mater. Ducem eundem pictum possident Comites Julini, itemque D. Carolus Trivultius, apud quem est etiam elegans effigies Isabellæ Arragoniæ ejus uxoris, eà plane ratione expressæ, qua descripta legitur apud Jovium in *Elogiis* sic: *nunc pallidi oris, & aratri cultus habitum ferebat Elisabetha Arragonia, Joanne Galeatio Sfortia conjuge orbata*. Porro ejusdem Isabellæ viduæ speciem præferens numisma habetur in Ambrosiana Bi-

(a) In raro libro, qui apud nos est, Philippi Bergomatis Ordinis S. Augustini *De Claris, selsisque Mulieribus* Ferrariæ 1497, tum aliarum quarundam genuinæ habentur imagines, tum etiam Blanca Mariæ. (b) *De Sepulchris Chribilianis* pag. 105.

(c) Quod Templum posteriori ætate vocari coeptum est, S. Mariæ apud S. Satyrum.



bibliotheca, ubi & aliud numisma est Bonæ Sfortiæ Joannis Galeatii filiz (a), cum hac epigraphe: *Bonæ Sfortiæ Regina Poloniæ 1546*, quæ Bona in saphiro miræ magnitudinis, & raritatis item cernitur in eadem Bibliotheca.

Ludovicus Maria dictus Maurus anaglypho opere e marmore visitur ad scalas Monasterii nostri ab eo extructi, atque in saphiro D. Caroli Trivultii. Denique perquam elegans ejusdem effigies cum ducali veste, ac emblematis Sfortiadum, & Vicecomitum ornata (Leonardi Vincii opus non immeritò habendum) extabat apud olim Illustrem Blancam Mariam Sfortiam Vicecomitem Marchionissam Caravagii, demortuam Idib. Septembr. an. 1779 (b); nunc apud Illustr. ejus Hæredes: Beatrix ejus uxor in Ambrosiana conspicitur Leonardi Vincii manu diligentissime efficta, itemque in concha marina egregie sculpta apud D. Carolum Trivultium.

Maximilianus visitur in pergameno Codice Elementorum Litterarum, qui eidem puero usui fuit, habeturque nunc apud D. Carolum Trivultium. Ibi porro semel iterumque puerili ætate expressus cernitur: primo lacertas captans in aggeribus Castri Jovis, adstante Comite Sicco Borella ejus Curatore, dein obsequia sua significans Imp. Maximiliano I., præsentè Comite Brunoro de Petra altero ejus Curatore, quæ picturæ Leonardi Vincii elegantem pingendi artem omnino redolent.

Francisci II. adhuc infantis effigies una cum Maximiliano fratre, Ludovico ac Beatrice genitoribus præclare depicta cernitur in Sacello SS. IV. Doctorum in S. Ambrosii ad Nemus. Idem Franciscus tenella etiam ætate, itemque Maximilianus frater puerulus depicti cum eorum genitoribus in pariete spectantur Cœnaculi Conventus S. M. Gratiarum, quos quidem ibi effinxisse ferunt Leonardum Vincium (c). Eundem Franciscum virili ætate numisma ostendit, quod in Bibliothecæ Ambrosianæ perfronsigni Museo extat, ubi aliud quoque est Christiænæ uxoris.

Si quis vero totam Sfortianæ familiæ seriem simul inspicere optaverit, intueri hanc licebit in conclavi pervetustæ domus ex adverso latere Templi S. M. Gratiarum, olim Atellanæ familiæ, (quæ ab Atella Campaniæ urbe ad nos migravit (d)), ut ejus ibi sæpe repetita insignia probant, ex qua per Barbaram Atellanam familiæ illius postremam, (quam Sitonus *nobilissimam feminam* vocat (e)) nuptam Jurisconsulto Collegiato Comiti Cæsari Tabernæ (f) in jus Illustr. Comitum de Tabernis devenit. Hanc modo incolit, & emphyteutico jure possidet Secretarius D. Joannes Andreas Planca. Ibi vero eleganter picti cernuntur Jacobus Mutius Attendulus, seu Magnus Sfortia, Franciscus I. cum Blanca Maria, Galeatius Maria cum Bona Sabaudienfi, Jo. Galeatius cum Isabella Arragonia, Ludovicus cum Beatrice Estensi, Ascanius Cardinalis, Maximilianus, Blanca Maria Maximiliani I. Imperatoris uxor, ac demum Franciscus II. Haud dubium quin aliquis ex Atellanis picturas illas Sfortiadum fieri mandaverit, ex quibus nonnullos ea ætate Sfortiadum Aulæ addictos scimus, nempe Jacobum, & Vincentium fratres, Scipionem, & Carolum Jacobi filios, ut ex duobus Atellanorum Monumentis constat, quæ sunt in S. M. Gratiarum, atque post Sitonum (g) edita sunt a P. Allegrancia (h); itemque ex Diplomate, quod in Archivo ejusdem Conventus habetur, ubi Jacob. Atellanus Neapolitanus nobilis dicitur, & Camerarius Ludovici M. Eas autem picturas effectas crediderim, quo tempore Franciscus II. junior foret, ibi enim cum parva ad mentum lanugine apparet, cum aliunde ejusdem provectioris ætatis numismata, cujusmodi aurea, & ænea vide apud D. Carolum Trivultium, proluxa cum barba eum exhibeant; nec tum plane

(a) Catharinæ item eorum filiz numisma æneum maximi moduli est penes D. Carolum Trivultium. Ex una parte effigies Catharinæ cum hac Epigraphe: *Catharina Sf. de Riario Forlivi, Imoleque Com.* Ex aliâ biga cum Victoria, & hisce verbis: *Victoriam. Fama. Sequetur.*

(b) V. Epigraphen sepulcralem in Templo S. Sophiæ. (c) Lomatius *Tratt. della pitt.* p. 733.

(d) V. Marinon. *de Familiis.* (e) *De J. P. Coll.* pag. 225.

(f) Idem Sitonus pag. 194. (g) Idem pag. 190. (h) *De Sepulcr. Christ.* pag. 115.

conjugium cum Christierna inierat, cujus imago ibi desideratur. Illud autem contraxit anno 1534 die tertia Maji, non autem mense Aprili, ut Muratorius (a) scribit. Vide *Memorie Fossane* MS. apud D. Carolum Trivultium, Ghilinum *Annali d' Alessandria*, & Tatti *Annali di Como*, Decade 3.

Inter Sfortiadum ficta ibi simulacra cernere est etiam effigiem Bernardi Bellincioni Florentini Poetæ, qui a Ludovico M. Mediolanum accitus fuerat, isque (quod peculiari animadversione dignum est) coronam e lauro in capite gestat adiunctis litteris D. B. scilicet Divus, vel Dominus Bellincionus. Hinc sublatum puto dubium illud, quod adversus Scriptores aliquos Julium Nigrum, (b) Saxium, (c) Mazzucchellium, (d) & Quadrium, (e) habuit Tiraboschius, (f) a quibus memoriæ proditum est Bellincionum a Ludovico M. Mediolani lauro redimitum fuisse.

Non est vero, quodd dictis Sfortiadum imaginibus eas adjungam quæ spectantur apud Jovium, (g) & Campium, (h) aut etiam memorem varia alia eorum numismata, quæ aliis in libris afferuntur, nam ejusmodi jam satis explorata non persequor.

Illud tamen postremo de Sfortiis adnotare libet, eorum primum Jacobum Attendulum fuisse, qui Sfortia appellari cœpit, nomine hocce per Albericum VII. cognomento Magnum ex Illustri Belgiojosa Domo ei imposito. Vide annotationem 26 ad *Carmen Panegiricum* de eodem Alberico, quod nuperime Mediolani prodiiit auctore Cl. Henrico Barelli e Congregatione S. Pauli.

Jacobi Attenduli vitam italicè scriptam per Marcum a Cotignola ejusdem concivem, ac ætate æqualem possidemus Codice 35. chartaceo, & in alio pergameno n. 80. italicam vitam Francisci I. auctore Candido Decembrio.

(2) Qui Cremonensis ortu, carmen edidit *de Britannicis nuptiis* libris tribus constans, Mediolani cum 1559, quod opus tum nostra, tum Ambrosiana adservat Bibliotheca. Doctum hunc virum ignotum fuisse arbitror Francisco Arisio, cum in *Cremona sua Literata* ejusdem non meminerit. Hunc tamen magni fecit Franciscus Cicereus, nam in fine suorum *Veterum Mediolani Monument.*, Cod. apud nos 104, quosdam doctissimos sui temporis viros recensens, quibus opus istud dicatum vellet, in his Franciscum Petrejum Nigrum nominat, & Annibalem Cruccejum; hinc vero intelliges, ad quæ referantur, quæ ibi statim post in epistola Cicereus innuit.

- (a) *Annali d' Italia* ad annum 1534. (b) *Scrittori Fiorent.* (c) *Histor. Typogr.* pag. 255.  
 (d) *Scrittori d' Italia* tom. 2. par. 2. (e) *Litterat. Ital.* tom. 6. par. 2. (f) *In Elogiis*.  
 (g) *Histor.*, e *Rag. d'ogni Poesia*. (h) *Storia delli Duchii, e Duchesse di Milano*.

## EPISTOLA VI.

M. ANTONIO CAIMO S. P. D.

ARGUM. *De opere suo inscriptionum, quod mittere rogatus fuerat, demisse sentit.*

ANTONIUS Maria Venustus, homo eruditus, & elegans nuper narravit mihi, se, cum intelligit tibi aliquid otii esse a maximis occupationibus, quibus fere distineris, domum ad te salutandi causa venire:

Q ij

& incredibilem esse humanitatem tuam, amorem autem in literatos homines prope singularem; solere præterea te libenter de literis longos habere sermones: item multa alia de te, quæ & omnibus sunt notissima, & ego verissima esse scio. Idem adjecit, cupere te legere eam explanationem, quam ego post Alciatum adhibui vetustis inscriptionibus, quæ aliquot locis se offerunt in urbis nostræ lapidibus; meque tuo ipsius nomine cohortatus est, ut non solum eam ad te mitterem, sed etiam ego mox ad te venirem. Utrumque cupio, equidem, & obsequar tibi viro ornatissimo, cui non parere nefas esse ducerem. Sed tamen pauca quædam de me, deque meo libello ad te præmittere libuit. Scio opera Venusti esse factum, ut & me ipsum, & quæ a me scripta sunt, cupias cognoscere. Sed, quod ad me attinet, cave ei in animum inducas credere, discipulo meo, & discipulo magistri amatissimo, & eidem homini adolescenti, de me aliquid prædicanti. Nosti enim optime juvenum mores: vehementes in utramque partem nimis aut laudatione sunt nimia, aut vituperatione. De judicio verò, quod facit quisquam de eo, quem vehementer amat, nihil amplius dico, quàm, quod ipse pro tua sapientia intelligis: qui nunc versaris in gravissimis plurimorum controversiis dijudicandis; quique multos annos, qua ratione recte judicare possent, alios docuisti. Discipuli porro plerique omnes eum, quo usi fuerint magistro, magnum quemdam virum esse solent existimare. Quamobrem rectius possis, si modo velis, mihi de me ipso scribenti credere, ne forte Homerum me putes, qui Cherilo (a) sum paulo melior.

Ego bonam ætatis meæ partem contrivi in his artibus primum quidem discendis, deinde etiam aliis tradendis, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. Inde mihi comparata eruditio mediocris, aut fortasse etiam ne mediocris quidem. In me nihil admirabile; illud quidem mirum, quod, cum non minus laboris in literis consumpserim, quàm alius ad ætatem, qua ego sum nunc, quisquam; tam parum profecerim, atque ne id quidem tibi homini sapientissimo mirum videri possit: cui statim veniat in mentem, artem, nisi egregium ingenium consequuta sit, nihil præclarum edere; & fieri quidem posse, ut quis dicendi præcepta diligenter teneat omnia; nesciat autem, quod est difficillimum, ex arte dicere, aut scribere.

De libello meo tantum habeo tibi polliceri, esse in eo descriptionem diligenter factam aliquot antiquorum lapidum, ita ut ne literula quidem sit illis addita, aut detracta; neque in illis immutatum,

(a) Chætilus malus Poeta, Horatius 2. *epist.* 1.

aut translatum quidquam uspiam. In unius cujusque autem epigrammatis explicatione mea, si quid mendorum est (puto autem esse non parum) si quid vulgare, leve, & contemnendum; id totum est meum: si quid est contra, quod docti homines probent; id acceptum ferendum iis. Scriptoribus, ex quorum fontibus me, quæ dico, passim hausisse profiteor. In summa nihil magnificum, aut te ipso dignum expecta. Nam ejus generis scripta solent esse de singulis literis, & syllabis, & ejusmodi leviores disputatiunculas continere.

Illud quidem non dubitarim dicere, antequam scribendi finem faciam. Cum forte evenerit, ut hoc tempore tibi tanto viro aliquid mearum scriptionum exhibere quodammodo coactus fuerim: maluissem ego aliquid earum mittere, in quibus, paulo videlicet maturiore iudicio adhibito, minus peccatum est a nobis; & argumenta sunt, quæ te magis possent delectare, si modo, ut jam pridem a me sunt institutæ, & inchoatæ, ita essent absolutæ, & perfectæ. Sed qualescunque sunt, quas nunc ad te dedi, tam libenter dedi; quam vehementer me tibi addictum, deditum, & obstrictum esse cupio. Vale, VII. Kal. Septembris.

## EPISTOLA VII.

JACOBO PARRAVICINO MEDICO S. P. D.

ARGUM. *De Filii ejus ingenio ac moribus certiolem facit.*

**A**GITUR jam octavus hic mensis, postquam Bartholomæum filium tuum in disciplinam nobis tradidisti; atque interim aliquoties pecuniam pro ejus alimentis, & institutione misisti: addidisti insuper munera; quæ per se quidem grata, gratiora tamen ornatis versibus tuis fiebant. Ego vero interea loci ne verbum quidem unum ad te: cum quod non sinebant occupationes; tum quia, quod ego cupivissem ad te scribere, id non tam cito sciri potuit, ac nisi prius perspectis filii moribus. Bartholomæus tuus, immo vero jam noster, acri est ingenio, & prompta memoria, & studiose discit; adeo, ut jam possit aliqua dare documenta eruditionis suæ: daturus aliquando, ut speramus, majora. Unum tantum in eo desideres; ut ne sit tam promptus, ut præceptis interdum videatur fervore quodam animi, ut ait Menelaus apud Homerum; (a) quod si id in juvenibus, quanto magis in pueris, & pueris *εὐφλεκταίους*

(a) *Iliad.* lib. 3.

ὄντι τὴν γνώμην, (a) quod genus hominum, ut tu me quidem ipso melius nosti, ἐν τῷ ξητεῖν, καὶ βουλευέσθαι ὅν τὸν πολλὸν χρόνον διατρίβει. (b) Sed huic malo ætas medebitur facile. Nos hic Benedicto Castello tuo acceptum tulimus, quantum pecuniæ ille nobis tuo nomine jam adnumeravit. Ab eo, cum voles, ea de re poteris edoceri. Vale, & me ama. Mediolano, x. Kal. Sextileis, ΜΙΩΛΧΙΥ.

(a) Mente ingeniosissimis.

(b) In querendo, & consilio capiendo non multum temporis impendit.

## E P I S T O L A VIII.

GASPARI TURRIANO (I) S. P. D.

ARGV M. *Officiosa epistola in similis acceptæ responsionem.*

NON ita multis mihi opus esse puto, quibus tibi declarem, tuas mihi literas gratas, jucundasque fuisse. Id enim tibi satis compertum esse confido, licet nihil scriberem. Tantum dico, nihil quidem a te proficisci posse, quod non mihi gratum accidat: sed tamen nihil æque jucundum, ac literas, cujusmodi nuper misisti, plenas singularis amoris, ac summæ cujusdam benevolentiae. Nam scribis te mihi plurimum debere; quod usus me magistro, non parum profeceris. Id ego tibi non concedo, Gaspar humanissime; neque minus quisquam probo adolescenti, ac modesto debet; qui ipsius eruditionem illustrat, dum magnos progressus bonis in literis facit; quàm contra discipulus idem magistro; a quo, uti par erat, liberaliter est institutus. Quod si probas, ut debes; nihil mihi de bene subducta ratione apud te reliquum erit. Sin, quæ tua est humanitas, adhuc te mihi quidquam debere putas; existimabo cumulate a te mihi satisfactum esse; si spem, quam olim de te puero concitasti, æqualis. Mihi verò, & cæteris, qui te novimus optime, non est dubium, quin superes. Cujus rei fidem faciunt vel ea, quæ literis tuis per occasionem inspersisti, cum ex Philosophorum dogmatis, tum ex tuorum Jurisconsultorum scitis sumpta. Genus hoc mearum literarum aliqua cohortatione terminandum esset. Verum, neque tibi satis opus est ea, videlicet per te concitato; neque tamen tibi desunt cohortationes vehementiores iis, quæ a me scribi possint. Subdunt tibi calcaria & generis tui antiqua nobilitas, & parentis optimi, atque ornatissimi viri voluntas, & incredibile desiderium, & denique honores amplissimi, ad quos ut generosum adolescentem decet,

semper adspirasti. Ludovico, & Octavio (2) Platis Hieronymi filii adolescentibus tui simillimis s. d. Vale. Kal. Martii, MDLXV., Mediol.

(1) Qui Juris Cons. ac Philosophiæ, & politioribus litteris deditus fuit. V. Baldin. in *Aristorelica Philosophia* versibus descripta in præfatione lib. 6. Extr. Baldini pariter ad eundem carmen in *Lufibus* pag. 51, aliudque in ejus obitu pag. 74.

(1) Duos extitisse novi Octavios Platos, alterum, cujus epistolas ad Majoragium MSS. servari apud Gudium annotat Morhofius; (a) alterum, qui Societati Jesu nomen dedit Hieronymi nomine assumpto, quique opus edidit *de Bono status religiosi*, & nonnulla alia. Octavius ille, cui a Turriano salutem dici jubet Cicereius, cum anno 1565 adolescens foret, esse plane non potuit, qui epistolas dederat ad Majoragium, tum ab decem jam annis vita functum, sed Jesuita, cujus in conscribendis Epistolis peritiam commendant Argelatus, (b) & Nathanael Soutvellius, (c) adeo ut P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis in latinis conscribendis litteris ad Provincias exteras eo uti voluerit.

(a) *Polybistor*. lib. 1. pag. 316. (b) In *Bibliotheca Mediolanensi*. (c) In *Biblioth. PP. Soc. Jesu*.

## EPISTOLA IX. (a)

PETRUS GEORGIUS VICECOMES (1) MANTUANI REGULI  
APUD SENATUM MEDIOLANENSEM LEGATUS  
AD PIUM IV. PONTIF. MAXIM.

ARGUM. *Gratiarum actio.*

ETSI Vicecomitum nobilissima, & antiquiss. gens, B. P., plane intellegebat, se summis honoribus ornatam, amplissimis magistratibus perfunctam, rerum denique multos annos potitam fuisse, ut tuæ B. æque atque aliis est notum: tamen ea incessit omnibus lætitiis; ubi audivit Carolum Vicecomitem (2) Episcopum Vigintimillianum, nova dignitate auctum, & in amplissimum ordinem (3) a te fuisse cooptatum, adeo ut jam sibi videatur ad excelsum honoris gradum evecta, atque in antiquam dignitatem restituta. Et fieri quidem potest, ut aliquod ejusdem Episcopi meritum Tuæ S. animum ad id faciendum impulerit. Sed tamen cum incredibilis providentia sit, & benignitas tua; iidem Vicecomites in ea sunt sententia, ut omnes existiment, te hac in re illud potissimum spectasse; ut gratificando, atque suam dignitatem amplificando, omnes tibi obligatos in perpetuum faceres. Quam quidem in

(a) Cicereius scripsit Petri Georgii Vicecomitis mandato, ut in Codice.

partem cum tantum beneficium accipiant, neque possint pro meritis ullam S. T. referre gratiam: existimarunt suarum esse partium, ut, quod possent, gratias agerent. Quod ut commodius fieri posset, ii, quorum nomina infra sunt scripta, quibusque universum Vicecomitum genus hoc negotium dedit, delegerunt Guidum, (4) & Coriolanum (5) Vicecomites, qui Tuam S. adeuntes, hoc officium præstarent. Erit autem Tuæ S. istis duobus eam fidem habere, quæ omnibus Vicecomitibus habenda esset. Nos vero ab universa gente Vicecomitum electi singuli, atque omnes cum omni humilitate Tuæ B. pedes deosculamur, & illi omnia prospere evenire cupimus; id Deum Opt. Max. etiam atque etiam precamur.

(1) Alphonfi ex Condominis Summæ filius, Præfectus rerum capitalium, Ducalis Senator Mediolani, & Legatus Gulielmi Gonzagæ Mantuani Ducis, itemque inter Scriptores Mediolanenses ab Argelato relatus. V. hujus *Biblioth. & Possivin. Gonzagam* lib. 7.

(2) Qui ab Cæsare ex Condominis Albizati genitus, Episcopus, & Cardinalis fuit, & inter Scriptores nostros ab Argelato laudatus. Ad Carolum Vicecomitem Lucæ Contilis italicæ quinque epistolæ \* leguntur. Ejusdem numisma est in *Museo Septaliano*, & *Mazzuchelliano*.

(3) Nempe S. R. E. Cardinalium, quibus adlectus fuit Carolus Vicecomes anno 1565, (a) quo proinde anno hæc scripta intelligitur epistola.

(4) Georgii fratrem (b) ex Quæstoribus Reddit. Extraord. Conditus jacet in S. Eustorgii cum adjecta inscriptione, quæ legitur apud Allegantiam, (c) & Puccinellium. (d)

(5) Qui ab Joanne Baptista Francisci Cicereii hero genitus, Aceli Arcis præfecturam gessit. (e) Multæ Coriolani epistolæ ad S. Carolum autographæ in Ambrosiana servantur.

(a) V. Ughellium *Italia Sac.* tom. 4.

(b) Ita ex Cod. nostro n. 144. de Geneal. Vicecomit. auctore Blanchino.

(c) *De Sepulcr. Cbrist.* pag. 100. (d) *Mem. antic.* pag. 93.

(e) Ita ex dicto Codice Blanchini, & Morigia *Conf. de* lx. cap. 5.

## EPISTOLA X.

FRANCISCUS CICEREIUS COLUMBANO BALLETO S. P. D.

ARGUM. *Officium suum restatur, laudes de se minuit.*

AD XI. Kal. Decembris tuæ mihi redditæ fuerunt literæ; quo quidem tempore totus eram in explicanda ratione confirmandi ex M. Tullii libris de *Inventione*, & illustranda Isocratis *Helena*: edque occupatus eram magis, quod nuper id facere fueram aggressus; quemadmodum,

& tu,

& tu, qui publice itidem doces, nosti optime. Ubi vero primum mihi ex interpretandi labore paulisper requiescere licuit per vacationes, quæ ob Saturnalia conceduntur; statim existimavi mihi faciendum esse ut tibi responderem, & cum homine amico per literas colloquerer. Nam, licet nunquam te viderim, (cupivi autem videre sæpe) ne dum alloquutus fuerim: multa tamen faciunt, ut tibi amicus sim; vel quod audivi de multis te virum bonum, atque innocentem esse, vel quod tenemur ambo iisdem studiis, vel quod quædam a te eleganter scripta, quæ mihi attulerat Platus meus proxima superiore ætate, legi non sine voluptate maxima. Quæ cum ita sint, non vereor, ne cum post mensem integrum, aut eò plus etiam, veniam ad rescribendum, existimes me præclaram aliquam, & magnificam, multisque lucubrationibus commentatam epistolam ad te daturum: debet enim esse simplex eorum, qui inter se amant, oratio; satis ornata est, si sine vitio dilucide idipsum exprimit, cujus gratia est instituta. Sed, ne teneam te pluribus, quàm par est, venio ad tuas literas, quæ mihi jucundæ fuerunt. Nam, quod in iis me summis laudibus ornas, sive oneras potius, mihi gratum est: idque nulla alia de causa, nisi quod me amas. Video, quod Cataneus, & Magnetus, lectissimi juvenes, tibi de me narrarint; & quantum illis credideris, intelligo. Non illos, sed te, quem æquius fuit ætate plus sapere, demiror. Ignosce autem mihi, Columbane humanissime, si vix dum jam in amicitiam tuam receptus, audeo te reprehendere. Te potissimum juvenum mores nosse oportuit, quippe qui jam pene infinitos institueras, laudant, ac vituperant vehementius multò, quàm fuit æquum. Omitto reliquos: discipuli in suum magistrum non male animati eum apud omnes faciunt Deum; vel ob eam rem modo quam dixi, vel quia ejus laudes etiam ad se aliqua ex parte putant pertinere. Hoc tu parum animadvertens, Cataneo, & Magneto eam fidem habuisti, quam duobus testibus incorruptis, quamque duobus historicis, non autem laudatoribus haberes. Hinc te admirari præstantis ingenii mei magnitudinem scribis: hinc me nostris omnibus bonarum literarum doctoribus anteferre non dubitas: hinc denique me pulchrum, ac beatum putas. Facis tu quidem amantè, sed ego non ita stultus sum; qui, qui sim, nesciam, quàmque parum ingenio valeam, & viribus sum infirmis. Quicumque tamen, & quantumcumque sum, mi Columbane, me tuum esse in animum inducas velim, quam quidem rem re ipsa veram esse experire, si volueris mea uti opera in iis, quæ aut tibi, aut alicui tuorum usui fore existimes. Vale; & me, quod facis, ama. Mediol., VIII. Kal. Januarii MDLXVI.

*Vol. II.*

R



## EPISTOLA XI.

CAROLO SIGONIO (I) S. P. D.

*ARGUM. Cultum, & observantiam suam exhibet.*

**E**x quo tempore multa, quæ tu magna cum laude edidisti, meas quoque in manus pervenerunt: non solum tacitus ipse de te bene existimare, & te colere, & amare cœpi; sed etiam discipulos meos in meam sententiam adduxi. Illis enim tua scripta, satis per se grata, mea commendatione gratiora, uti debui, reddere nunquam destiti. Cum igitur tuo merito te amarem plurimum, ardebam incredibili cupiditate, ut quo animo in te essem, tibi literis declararem; si modò aliquando ad id agendum occasionem habuissem. Hoc tamen interim ne significarem quidem cuiquam: cum ecce M. Antonius Venustus sine ullo labore meo id ipse effecit; quod ego maxime, ut fieret, exoptabam. Dii Venusto igitur benefaciant; quandoquidem una cum literis tuis, humanitatis plenis, mihi magnam voluptatem attulit. Ego enim amicitiam tuam, humanissime Sigoni, tanti facio, quanti hominis debeo, politionis humanitatis, & doctrinæ illustri laude celebrati. Quanti autem ea mihi sit, ipse plane intelliges, si modò rebus meis ita uti volueris, ut debes hominis tui jandiu studiosissimi, & amantiissimi; quod ut facias, te etiam atque etiam oro. Vale. Mediolano, XII. Kal. Aprilis, anno MDLXVII.

(1) Sigonium Ghilinus, Crassus, Morerius, Tiraboschius, (a) innumerique commendant. Baldinus quoque in ejus laudem dystichon effecit. (b) Celebratissimi hujus viri plures sunt epistolæ italicæ autographæ in Ambrosiana ad Onuphrium Panviniū, & ad alios, quæ primum in lucem sunt traditæ T. VI. *Opera* Sigonii editionis postremæ Mediolanensis. Ibidem est ejusdem opusculum *de Equuleo*, (c) ac pariter epistola latina Andreæ Patritii ad eundem; aliaque latina Pauli Sfondrati ad Sigonium in Archivo habetur Belgiojofiano.

(a) *Letteras. Ital., & Scrittori Modenesi.*

(b) *In Lusibus pag. 111.*

(c) *Quod impressum in Sigonii de Judiciis lib. 2. cap. 17.*

## EPISTOLA XII.

SEBASTIANO REGULO (a) S. P. D.

ARGUM. *Gaudet de inita cum eo amicitia, quam plurimi facit.*

QUI dixit, orationem animi cuiusque esse imaginem; cum ego recte sensitse, cum aliàs sæpe, tum maxime nunc intellexi. Audieram te hominem non minus integritate, & innocentia, quam eruditione, atque doctrina esse singulari: & credebam; tam multos testes habebam ejus rei locupletissimos. Nunc ut magis id credam, faciunt tuæ ad me literæ; humanitatis plenissimæ, in quibus, tamquam in speculo, istius animi tui effigiem intueor; dum eæ, quale ingenium habeas, mihi sunt indicio. Quare debeo plurimum multis quidem de causis M. Antonio Venusto, sed præsertim hoc nomine: quod me tibi præstanti viro conciliarit, & effecerit, ut per literas colloqueremur, amicitia inter nos contractæ testes. Erit autem tuum, Regule humanissime, tuum in me amorem, quem literis declaras, re ipsa testatorem facere; facies autem, si rebus nostris, qualescumque sunt, ita tibi utendum esse censueris, ut tuis. Vale; meque, ut cœpisti, amare perge. Mediolano, XII. Kal. Aprilis, MDLXVII.

(a) De quo Tiraboschi *Litterat. Ital.* tom. 7. par. 3.

## EPISTOLA XIII.

ALDO MANUTIO (1) PAULI F. S. P. D.

ARGUM. *Pro litteris ad Patrem ejus mittendis.*

ADOLESCENS, jam non minus re, & maturitate, quam spe, & expectatione laudate, te vehementer oro, ut hæc literas, cum erit commodum, cum tuis jungas; quod diligentius ad patrem tuum (2) perferantur. Erit id mihi tam gratum, quam, quod est gratissimum. Vale. Mediolani, anno circiōLXIX. Kal. Septembr.

(1) Francisci Cicereii epistolæ 5. autographæ italicæ ad Aldum Manutium in Codice sunt Belgiojofiano. Epitaphium patruo suo Manutio Manutio Aidus Venetiis posuit, quod desumptum ex folio impresso in Ambrosiana, Miscell. L. 168, sic habet:

R ij

## FRANCISCI CICEREEI

D. O. M.  
 MANVTIO MANVTIO  
 ALDI F.  
 EA PRVDENTIA  
 IIS MORIBVS  
 VT PATERNÆ LAVDIS HÆREDITATEM  
 EGREGIE TVERETVR  
 ALDVS MANVTIVS  
 PAVLLI FRATRIS FILIVS  
 EX TESTAMENTO HÆRES  
 CVM LACRYMIS P.  
 VIX. ANN. LXII. M. . . . D. . . .  
 OB. AN. SAL. CDLXIIIX. PR. ID. NOV.  
 H. M. H. N. S.  
 H. M. D. M. A.

(2) Paulus Aldi pater Romæ eo anno 1569, quo hæc scripta epistola, degebat, Venetiis autem Aldus filius. V. Apostolum Zenum, *Storia intorno ai Manuzj.*

## EPISTOLA XIV.

N. N.

ARGV. *In obsequii sui testimonium.*

**D**UÆ causæ sunt, lectissime juvenis, quæ, ut ad te scribam, faciunt in hoc tempore: earum altera, ut, dum aliquid literarum ad te do, ingenii, atque eruditionis meæ, quantulacumque est (quod ipse quidem videris velle) specimen aliquod tibi præbeam; altera, ut me non minus ad operam meam tibi fideliter præstandam, quam tu ipse cupis, paratum esse existimes. Sed, quemadmodum ingenio, atque eruditione parum me valere sentio; ita non eam operam, quam tua virtus suo quodam jure deposcit, me tibi navare posse intelligo. Quod nisi tua mihi humanitas, atque clementia in præsentia sit præsidio; quæ non virium mearum imbecillitatem, sed propensam animi in te mei voluntatem spectet: futurum certe est, ut neque a me datum ingenii documentum, neque quam tibi polliceor operam, utrumque videlicet longe tuis meritis inferius, fatis probes. Plura scribam, cum plus ocii nactus ero, cumque animi non pendebo. Vale. Ex diversorio. Kal. Decembr, MDLXXI,

## EPISTOLA XV.

JOANNI BAPTISTÆ ARCIMBOLDIO (I) S. P. D.

*ARGUM. Magnis, variisque laudibus celebrat.*

CUM Bacchanalibus ad Patrem, (2) Patrumque (3) tuum, splendidissimos, atque ornatissimos viros, salutandi causa venissem, & uti soleo, qui valeres, ab eis quaesivissem; illi non gravate, & te bene valere responderunt; & literas bene longas latine scriptas, quas pridie ejus diei a te missas se accepisse dicerent, mihi legendas dederunt. Legi perlibenter, ut consuevi, quae a te scribuntur, omnia: ex eis intellexi, te Patruo multis verbis tuorum studiorum rationem reddere. Quod mihi sane jucundum accidit; non illud quidem novum, aut certe inexpectatum visum est: sed multo jucundius tamen fuit, quod epistola tua non minus erat elegans, quam longa; quodque apparebat, te illud unum conari, ut eloquentiam cum juris civilis prudentia conjungeres. Licet autem Parentes tuos, quid facturus essem, tunc nihil monuerim; statim tamen, cum primum daretur, ad te scribere constitui. Gratulor igitur tibi, ut debeo; laetorque tua virtute, Joan. Baptistae, praestantis animi juvenis. Istuc res est, istuc hominis perfecti, planeque sapientis; cum, ut praclare eloqui mentis cogitata possis, oratoriam vim, quasi ministram, & comitem sapientiae esse velis. Idem istuc factitarunt majores tui. Istuc unum maxime proprium Arcimboldiae gentis, maxime proprium familiae vestrae semper fuit. Id quod vel in primis tu verissimum esse facile concesseris: quippe cui non tam nomen, quam virtus Nicolai, (4) Joannis, (5) Vidi Antonii, (6) Joan. Angeli, & aliorum multorum Heroum nullo modo ignota est; cui ante oculos versatur non minor eloquentia, quam quaeris alia liberalis doctrina parentis tui, & patruorum tuorum Octaviani magni illius jurisconsulti, & longiore vita digni, & Antonelli viri illustris, & Senatoris sapientissimi. In quorum hominum mores, studia, dicta, facta, omnemque denique vitam eam, tamquam in speculum, quotidie inspicias, atque inde exemplum sumas tibi: aperte vides tuam familiam vetustissimam, atque nobilissimam & stetit, & stare adhuc non tam amplis fortunis, quam magnarum, & praestantissimarum rerum cognitione, & scientia, cui eloquendi deserviat elegancia. Intellexit enim, quod tu quoque intelligis optime, omnium magnarum artium

tractationem, atque explicationem ab eloquentia expolitionem, & ab-  
 solutionem quandam mutuari: adeo ut, si, qui optime sciat, non  
 optime loquatur; plerumque fiat, ut idipsum, quod sciat, nescire vi-  
 deatur. Quo fit, ut nullo pacto dubitem: quin, quod semper sibi  
 adscivit vestra domus, in eo tibi, qui majorum gloriæ respondere stu-  
 des, esse elaborandum putes. Quod si forte tibi libet domesticis exem-  
 plis, quæ omnium plurimum movent, aliena adjungere; habes, qui  
 virtutis suæ præstantia ad eloquentiæ studium te invitent, tuos fere  
 æqualeis, eisdem certe studiis, quibus es tu, deditos, juvenes lectis-  
 simos Petrum Franciscum Bulgarum, (a) Gasparem Turrianum, Ja-  
 cobum Ricardium, (7) Aloysium Tertium, (8) Franciscum Basilica-  
 petrinatem, (9) Herculem Vincemalam, (10) Julium Cæsarem Carca-  
 num, (b) Alphonsum Rainoldum (11) meum: cujus elegantissimis  
 literis Saturnalibus ad me datis, latine respondere ita ut volebam,  
 mihi molestis occupationibus implicato, non licuisse equidem doleo.  
 Rursus ad eloquentiæ studium te invitat ingenium excellens tuum, me-  
 moria prope singularis, patientia laboris incredibilis, mores moderate  
 temperati. Memini enim, cum olim tum instituto parentum tuorum,  
 tum tua ipsius voluntate ad me bene mane quotidie adires, ita jam  
 paratus ad illa, quæ a me mox partim ex græcis, partim ex latinis  
 Scriptoribus essent publice explicanda; ut ea omnia non intelligeres  
 modo, verum etiam memoriæ jam mandasses. Memini item probe,  
 quàm diligenter attenderes, quæ explicarentur, omnia; & ad tuum  
 prope quotidianum scribendi usum, exercitationemque quæcumque ad  
 recte loquendum, differendum, dicendumque pertinentia traderentur,  
 traduceres; quàm præterea studiose in disputando, declamandoque apud  
 me te exerceret. Delectat me harum rerum commemoratio; neque vero  
 me pigebit unquam, in te instituendo aliquanto plus laboris, & operæ  
 consumpsisse, quam in quoquam alio: ita tute de me ita merebantur  
 Parentes tui. Quo rudimento posito, quibusque eruditionis tuæ jactis  
 fundamentis, profectus es Ticinum, ad summosque Doctores, tanquam  
 ad mercaturam bonarum artium. Mitto cæteros, ne sim longior: gra-  
 tia, & amplitudine Parentum tuorum, addo etiam meritis tuis, factum  
 est, ut Gratianus (12) te familiari, & quotidiano convivore uteretur;  
 ut videlicet domi haberes, unde disceres, quæ summa sunt. Cum  
 Gratianum dico, tum hominem dico: de quo quis facilè dubitet, ma-

(a) Cujus carmina sunt in collectione *Poetarum Italarum* Toscano editore tom. 1.

(b) Ferdinandi filium, ac fratrem Jo. Jacobi, & Jo. Baptistæ. Ita ex Cod. nostro 81. *Memoria della Famiglia Carcana*.

jōri ne cum laude istic publice jus civile, & pontificium interprete-  
 tur; an majori cum admiratione, quando est opus, vela pandat ora-  
 tiōnis. Adeo & orator est bonus, & eximius legum interpret. Hunc  
 tu doctorem ex sententia nactus, & tantis opibus præterea præditus;  
 brevi jurisconsultus fies ejusmodi, ut possis ornamento vel ipsi juri esse  
 maxime. Inde propediem eō venies, ubi sunt curricula singularis in-  
 dustriæ, in quibus majorum tuorum, quos tu admiraris, amplissimo-  
 rum, & clarissimorum virorum adhuc extant impressa vestigia; ubi  
 maximo theatro spectatæ virtuti quoque tuæ merita præmia persolventur.  
 Nec vero diu illic fueris, cum in altissimo dignitatis gradu col-  
 locaberis. De te quid expectem, libet augurari; neque cum bene mihi  
 cognitus sis, quemadmodum spero, & opto, falsus vates ero. Atque  
 utinam mihi vivere liceat, ut eum nuncium, quem opto, possim ac-  
 cipere. Quod si mihi, quæ exopto, ex te contigerint: tum verò læ-  
 titiis omnibus incedens, ad te scribam, sed non quotidianis textam  
 verbis, ut mos est, epistolam. Tua facta illustria, & gloriosa mihi sup-  
 peditabunt amplum dicendi genus, grandius quiddam, quam antea  
 nunquam, quasi non jam tibia, sed tuba personabo, & te magno vi-  
 ro, & magnis honoribus aucto dignum. Interim fecit meus in te amor,  
 ut hæc ad te scriberem; ut, si non aliud quidpiam tibi præstare in  
 præsentem possem, saltem tua studia plurimarum artium, atque optima-  
 rum, & præsertim juris, & eloquentiæ agnoscere viderer; utque tua  
 summa virtute me lætari, atque ea gratia tibi gratulari quoque intelli-  
 geres. Nam si putas hoc meum fuisse consilium, ut epistolam scribe-  
 rem, qua te ad laborem, laudem, gloriam excitarem, atque inflama-  
 rem, multum erras. Quid enim eum incenderem, quem ego sua  
 sponte satis incitatum semper fuisse cognovi, & nunc inflammatum, ac  
 perustum esse amore scientiæ omnium divinarum, humanarumque re-  
 rum consequendæ certò scio? Aut cur ei calcar admoverem, & ad  
 currendum impellerem, qui fræno potius indigeret, qui nimis concitate  
 cursu ad calcem ferretur? gymnici certaminis spectatores amicis jam  
 vincentibus, ut nosti, potius acclamare quàm cohortationem adhibere  
 solent. Ego vero cui jam gratulatus sum, eidem quoque bona precari  
 tandem debeo. Quare Deum Opt. Max. precor, ut te integrum, &  
 incolumem servet; ut possis ea perficere, quæ tu non solum mirifica  
 virtutis indole, sed etiam ipsa virtute jam præditus, omnibus bonis  
 de te polliceris. Atque hæc satis. Duobus viris præclara eruditione,  
 atque doctrina salutem verbis meis nuncios velim; primùm Gratiano  
 isti tuo, deinde Joanni Baptistæ Rasario: (13) sed ita, ut de his li-

teris ne verbum quidem, si me magistrum tuum amas. Non enim tam accurate scriptæ sunt a me, nempe ab homine plus, quam satis est, occupato; ut tam eruditis oculis subjici possint, & ut tantorum, & talium hominum judicium non reformident. Vale, Mediolani anno MDCLXXV., IV. Kal. April.

(1) Arcimboldius Abbas Commendatarius Crescentiaci, & Vicoboldoni Arcimboldias scholas anno 1603 instituit, ubi erudiendæ juventuti operam adhibent Clerici Regulares S. Pauli. Decessit Romæ anno insequenti 1604, ejusque cineres jacent in Templo SS. Blasii & Caroli cum hoc epitaphio:

IO. BAPTISTÆ ARCIMBOLDIO  
PATRITIO MEDIOLAN.

VTR. SIGNATVRÆ REFERENDARIO  
CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICO PRÆST.  
BENEFACTORI OPTIMO

CONGREGATIO CLERICORVM REGVLARIVM S. PAVLI

P.

OBIIT VI. KAL. APRIL. MDCIV.

ÆTATIS SVÆ XLVII.

Atque hæc mihi constant ex collectione rerum & operum Clericor. Regular. S. Pauli, auctore Francisco Pezzio, quæ MS. servatur in Colleg. S. Alexandri Mediol.

(2) Nempe Joannem ex sexaginta Decurionibus, de quo ep. 23 hujus, & in Bibliotheca Argelati inter *Scriptores Minoris notæ*, ac *prætermittos* connumeratum. Baldini ad hunc dystichon \* est in *Lufibus* pag. 107. Joannis hujus genitor fuit (a) Joannes Angelus, de quo hic pag. 35, & 39.

(3) Arcimboldum scilicet, ut ex hac ipsa epistola intelliges, Antonellum Protonotarium Apostolicum, ac Mediolani Senatorem, (b) quem litteratis Mediolanensibus accensent Picinellus, & Argelatus, ad eundemque epistola italica est Francisci Cicereii in Codice Belgiojofiano.

(4) Nicolai Senatus Mediol. Principis (c) inter Scriptores nostros in *Bibliotheca* Argelati, atque ex humanis rebus exempti anno 1449, cujus elogium extabat olim in Templo S. Francisci, asserturque a Morigia lib. 4. *Historia* cap. 9. & aliis.

(5) Joannes Nicolao genitus, Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis Romæ diem obiit. Mediolani tamen huic, simulque Guido Antonio ejus fratri, de quo mox dicam, inscriptionem sepulchralem, atque insigne Cenotaphium apposuit in Templo maximo Joannes Angelus eorum pronepos Archiepiscopus pariter Mediolani. (d) Abbas Commendatarius Monasterii nostri S. Ambrosii non fuit Guidus Antonius, uti per errorem scripsit Morigia, (e) sed Joannes hic ejus frater, uti perhibet Aresius, & Saxius, ac rem extra dubium ponunt synchrona Archivi nostri monumenta.

(6) Senator fuit, ac Præses in Patria sub Galeatio M. Duce, cujus gratia admodum potitus est, dein cessione fratris sui Joannis Archiepiscopatum Mediolani adeptus est, ejusque nomen habetur quoque in *Bibliotheca* Argelati. Epigramma \* ad hunc est Platini Plati. Legitur Guidus Antonius in indice Aulicorum

(a) V. Siton. *de Juris Conf. Coll.* pag. 73. (b) V. eundem pag. 249.

(c) Qui postea Præses dictus. (d) V. Josephum Anton. Saxium *de Mediol. Antist.* t. 3.

(e) *Historia di Milano* lib. 4. cap. 9.

corum Galeatii M. Sfortiæ, qui extat in Codice, n. 71, Bibliothecæ nostræ pergameno, qui continet apparatus bellicum ejusdem contra Venetos.

(7) Qui magnis deinde honoribus, ac dignitatibus claruit. (V. infra ep. 24) Laudatur a Joanne Baptista Molossi, *Memorie di Lodi* pag. 83, atque olim Excæso Comite Gabriele Verro de Ortu, & *progressu juris Mediolanensis* pag. 108, aliisque. In Codice 28. Bibliothecæ nostræ Fabii Belloni prolixior Elegia habetur ad Jacobum Ricardum Mediolanensis Senatus Præsidem, pro reditu Pauli fratris.

(8) Quem inter Mediolanenses Scriptores Argelatus laudat. Bernardini Baldini ad eum distichon, \* in *Lufibus* pag. 106.

Quoniam vero hic mentio de Terzago incidit, lubet aliqua proferre de duobus aliis ejusdem cognominis litteratis pariter Mediolanensibus, eademque tempestate florentibus Lucilio Terzago, & ejus filio Jacobo Philippo. Lucilius Terzagus nedum in Palatinis scholis, quod tantum dicit Argelatus, sed etiam in Platinis Oratoriam facultatem publice docuit, idque non solum ex quorundam testimonio constat, ut inquit Picinellus, sed certum, exploratumque oratione est; in oratione enim ipsius *de Fratrum Billiorum laudibus*, Mediolani 1610, Lucilii Terzagi nomen sic enunciatur: *græcas litteras, & latinas in scholis Palatinis, & Platinis Mediolani publice, privatimque docentis.*

Quas Lucilii Terzagi manuscriptas possidemus lucubrationes, non satis diligenter enunciat Argelatus, nam primo ejus preces ad Senatum datæ sunt, ut in Palatinis Scholis in locum succederet Francisci Cicereii, non vero, ut Argelatus putavit, Annibali Cruceio, qui nullam unquam in iis cathedram obtinuit. Præterea orationem Terzagi ad Senatum, qua asseritur lectionem græcam Mediolani semper fuisse sejunctam a latina, tamquam manuscriptam idem laudat, cum tamen hæc typis impressa sit. Porro in hac oratione duo non satis probata de Decio Ausonio Poeta Gallo Terzagus asserit; quod is nimirum Mediolani græcas litteras docuerit, & latinas, quodque auctor fuerit Symmacho Romæ Præfecto, ut S. Augustinum Mediolanum mitteret. Nemo tamen Terzago antiquior hæc, quod sciam, de Ausonio perhibuit. De Jacobo Philippo Lucilii filio hoc unum dicam, præter *Encomiastica Mediolani monumenta* ab eo collecta, quæ MSS. a nobis servari (Codice nimirum 131) admonet Argelatus, ejusdem etiam haberi apud nos, Cod. 260, MSS. orationes duas: primam *de Imitatione in scholis Palatinis* habitam 1634; aliam *in Laudem Eloquentiæ* 1633.

(9) Franciscum ex gente Basilica Petrinatæ, seu, ut communius enunciari solet, a Basilica Petri, vulgò *Bescapè*, quem hic Cicereius memorat, attenta temporis ratione nil vetat, quin illum esse dicamus qui doctrina, & morum probitate celebris Clericorum Regularium S. Pauli institutum, deposito Joannis Francisci nomine, Caroli amplexus est anno 1578, quique postmodum Præpositus ejus Generalis fuit, ac demum Episcopus Novariensis; (a) cum enim anno 1550 natus sit, potuit anno 1575, quo scripta hæc est epistola, inter selectissimos juvenes a Cicereio connumerari. Fieri tamen non potuit, quod Argelatus asserit, Carolum hunc juvenem latinis, græcisque litteris a Majoragio edoctum fuisse, quippe quo anno Majoragus e vivis discessit, vix ille ætatis suæ quintum agebat. Ejusdem liber \* *d' alcune Chiese di Milano fatto nell' occasione del Giubileo, Milano per Pacifico Ponzio* 1576, extat in Ambrosiana, ubi & autographa ejus epistola est ad S. Carolum, aliaque ad Comitem Octavium Assaitatum.

(a) De quo dictum Vol. 2. pag. 58.  
Vol. II.



10. In Bibliotheca Argelati celebratus, & in Athenæo Picinelli, qui quædam ejus opera recensent. His adde epigramma \* ejusdem præmissum orationibus duabus Camilli Sclafenati, Ticini 1579, quæ sunt in Bibliotheca nostra, aliudque \* præfixum orationi Alexandri Rhaudensis pro cooptatione in Coll. JCC. J. Baptistæ Cattilionæ Mediolani 1575. Præterea epistola \* est Sigismundi Foliani ad eundem Vincemalam.

(11) Ab Argelato in Bibliotheca laudatur, qui & ejus epitaphium affert, quod extat in S. M. Gratiarum.

(12) Nicolaus Gratianus Cæsarei juris interpres in prima sede Ticinensis Gymnasii, ad quem Christiani Lazari Ticinensis Tetraastichon legitur, ubi iisdem hiis laudibus effertur; atque italica epistola Aldi Manutii. Ejusdem Gratiani meminit Argelatus pag. 2129.

(13) De quo Lazarus Augustinus Cotta, in *Museo Novariensi*, Ghilinus *Theatro de' Letterati* par. 2, & Tiraboschius tom. 7. par. 2. *Letterat. Ital.*, & Jo. Alex. Brambilla T. 2. p. 2.

## EPISTOLA XVI.

CHRISTOPHORO PLANTINO (a) S. P. D.

ARGUM. *Imprimi libellum petit.*

**E**QUIDEM non quidquam veritus sum ad te scribere, Plantine hominum humanissime, typographorum optime, quod ego homo tibi penitus essem ignotus, neque mihi tecum quidquam fuisset amplius; sed tua me virtus, humanitas, beneficentia, quæ narratur passim in omnibus quidem, sed præsertim in literarum studiosos esse singularis, me tibi statim conjunxerunt, & volentem, atque adeo cupientem, ad tecum agendum impulerunt. Tenemur ambo studio literarum, ambo juvandi cupiditate flagramus. Quid igitur causæ est, quin simus jam inter nos vel conjuncti maxime, licet me hæcenus ignoraris? His fretus, non, quod alii faciunt, ad quenquam tibi notum, atque amicum adivi, qui a te mihi, quod cuperem, impetraret; ac ne præmissi quidem epistolium aliquod, quo tuum animum pertentarem: sed mihi ipse pepigi, de te ipso despondi, quodcumque illud erat, quod a te mihi dari cuperem; neque adduci potui, ut quidquam de benignitate tua dubitarem. Fere quindecim anni sunt, cum a Senatu Infubrium constitutus sum Mediolani publice interpres veterum Scriptorum & Græcorum, & Latinorum; & eorum præsertim, quæ ad dicendi doctrinam pertinent. Hujus anni initio in magna amplissimorum virorum, & nobilissimorum civium nostrorum frequentia, consessuque de more recitavi

(a) De quo Moretius, Teissier, & sexcenti.

libellum, quem inscripsi: *De monumento Paulo Manutio Aldi F. Mediolani faciendo.* (a) Verum dicam. Qualiscumque is erat, plerisque omnibus placuisse visus est. Rogarunt multi, & magni quidem viri; quin immo, qua sunt auctoritate, me nihil tale tunc cogitantem perpulerunt, atque eò coegerunt etiam; ut me ipsis exemplum daturum, quo ederetur, promitterem. Quid istic? inquam ego; cum vidi non posse me resistere horum voluntati, quandoquidem divulgandus est, atque ita vultis vos, ego mihi ipse deligam eum, a quo imprimendo describi velim; atque is erit Plantinus, confestimque libellum ad te, cum primùm licuisset, mittere constitui. Musas testor, ut paterer vel Mediolani, vel Venetiis libellum typis describi, me nuper etiam atque etiam rogatum fuisse a Bibliopolis nostris, pollicentibus se exempla amplius ducenta mihi duros esse, quæ iis, quibus non ingratae acciderent Manutii nostri laudes, donare possem; neque tamen id cuiquam concedere volui. Aut igitur liber a te in horum gratiam, qui illum luce dignum putant, divulgandus est, aut mihi cum illis, quos dixi, mutanda fides, & aut supprimendus, aut certe abiiciendus aliquid, & perdendus. Sed excudes certe; neque patieris me falli tanta spe, quantam de humanitate, & benignitate tua concepi. Neque vero excudes utcumque, sed ita, uti ego volo, ac cupio nimis, atque uti te ipso dignum est, hoc est non minus scite, & eleganter, ac si tuus ipsius esset; & quidem, cum primùm licebit, & dum recens est memoria obitus Manutii. Placet autem, si modò tibi placet item, & si vis, describi in octava folii parte, iis characteribus, quos rotundos, & antiquos vulgò vocant, paulò crassioribus; iis ipsis videlicet, quos primis aliquot foliis Nonii Marcelli, Maximiliano Aug. inscriptis, impressisti an. CIODLXV. (b) Ea vero gratia exemplum meam manu scriptum misi; quod cupio meam orthographiæ rationem, meam inquam, an potius aliquot egregie doctorum hominum? diligenter servari. Neque porro negliges, opinor, vel centum libelli exempla, veteræ pretio immunia, ad me dare, conjuncta cum iis libris, quos aliquoties in anno Mediolanum ad Antonium Antonianum, & ad alios mittis. Rogo autem te, Plantine humanissime, ne offendaris, quod & videar te docere velle de eo, cujus omnium mortalium es peritissimus; & nimis multa petam vel in primo congressu. Sed potius ignoscas huic meæ cupiditati, a te, ut arbitror, non omnino reprehendendæ; neve huic meo desiderio desis, & simul tecum ipse cogites, nos quoque in

(a) De Oratione loquitur, quam infra primam evulgo.

(b) Quam editionem omisit Michael Maittaire. *Annal. Typographic.*

gratiam aliquot amicorum, summorum virorum, aliquandiu Typographis auxiliatos fuisse; atque ideo istius artificii non usquequaque imperitos esse. Quo fit ut admiremur magis, & justius quidem admiremur peritiam, diligentiam, industriam, elegantiam, immo vero magnificentiam in imprimendo tuam. Liceat autem hoc mihi, atque adeo aliis quamplurimis, qui multis rebus, quam ego, meliores sunt, videaris in ista arte omnium præstantissimus; id quod declarant pene infinita monumenta, egregie elaborata, quæ ex officina tua prodire. Quis enim, ut reliqua taceam, non obstupescat immortale, ac prope divinum opus illud vere regium sacrorum librorum, tam magnifice a te nuper perfectum atque absolutum? (1) Hæc ego de te malim aliis narrare, veritus quodammodo in os te laudare. Veritas, & amor cogit etiam, dum tecum mihi loqui videor, non tacere. Sed ad me revertar. Tu si mihi, ut spero, ac confido, gratificaberis; non queo, nec libet dicere, quàm me tibi deditum, atque obstrictum sis in perpetuum habiturus, hominem haudquaquam magnum quidem, sed tamen non contemnendum: & eum certe, qui deputet in lucro, si aut tibi, aut tuorum alicui aliqua in re se inservire posse intelligat. Porro, licet commodus, & patiens, licet sis etiam comitate insignis; tamen te dicentem mihi audire videor: hui pro tam pusillo libello tam multum verborum! quin immo illud addis fortasse: *Maxima de nihilo nascitur historia*. (a) Verum quid cum illis agas, qui rerum suarum amantes sunt nimis? attamen dic mihi, per omnes te Deos oro, Plantine humanissime, non amabimus, non alemus etiam pusillum fœtum; præfertim, qui vita dignus aliis multis non stultis hominibus, non ineptis esse videatur? Cæterum esto, nimis multa verba profuderim, desipuerim etiam, nunquam tamen me pœnituerit aut verbosum fuisse, aut desipuisse; modò per hanc occasionem mihi gratiam tuam conciliem, & vel aliqua causa satis honesta in amicitiam recipiar, idque non adeo tantum propter libellum hunc, sed etiam propter alia multa: quæ ubi ad limam fuerint revocata, fortassis, quæ a te expoliantur, non judicabis indigna. Mitto alia, quæ in hanc sententiam dici possent; illud dico: si hoc, quod rogo, mihi dederis, spero fore, ut te numquam hujus facti pœniteat, quippe qui homini gratum feceris tui studiosissimo, tui, tuorumque amicorum amantissimo. Atque utinam aut non ita longe a te, & a ceteris doctis tui similibus, qui istic sunt, abessem; aut certe ita non essem multis negotiis distentus. Non, ita me Dii ament, me possem continere, quin ad vos advolarem, ut vos viderem, com-

(a) Horatius, lib. 3. eleg. 7.

plecterer, & alloquerer. Nunc, quod possum, fruar iis imaginibus, quibus perfectus pictor, & Chalcographus, Philippus Gallæus (2) vester vos pene spirantes expressit, & in librum coniecit, in quo non possum non facile desiderare Oberti Gifanii (3) effigiem, hominis valde docti, & cui Lucretianorum librorum studiosi plurimum debent. (4) Vides profecto, quo in te, tuique simileis animo sim. Quod si forte tamen, quod minus credere est, me non cum esse putas, qui debeam tantum beneficii de te promereri, quippe homo tibi ignotus, neque ita magni pretii; at is saltem promereatur de omnibus literatis hominibus bene meritus, amicus etiam tuus, de te certe, ut sæpe mihi in familiari sermone ostendit, optime sentiens, qui suo merito a me ornatur; promereatur Regis tui (a) Senatus amplissimus, cui libellus ipse consecratur, promereantur præstantissimi viri, qui alicubi laudantur, promereantur denique homines ornatissimi, qui passim a me appellantur. Pro me igitur, si sit opus, ad te allegatos putabis primum Manutii ipsius maneis, quos monumento decoravi; deinde clarissimos Senatores nostros, quibus libellum ipsum dedicavi: ad hæc viros aliquot summos, quos per occasionem verbis extuli, postremò nobilissimos civeis nostros, apud quos dixi. His satisfactum esse a vobis valde volo. Horum omnium causa non dubito, quin velis omnia, nedum hanc operam, præsertim cum mihi venit in mentem, quam sis ipse benignus, & humanus. Sed jam desino, & invitus quidem desino, quasi tecum ipse loqui. Magni autem refert, quo tempore tibi reddita fuerit tam verbosa hæc epistola, ne tibi videar omnino importunus, neve nullam habuisse rationem tuarum occupationum multarum ac magnarum. Itaque mandavi tabellario, ut eam tibi nonnisi die festo redderet; quo quidem tempore otiose legere jam possis. Vale. Mediolani, VII. Kal. Sext. anno CIOCLXXV.

(a) Philippi II. Hispaniarum Regis.

(1) Scilicet Biblia Poliglotta Antuerpiana, ac Regia dicta, 8 voluminibus in folio comprehensa, per Plantinum excusa an. 1569, & 1572, de quibus eadem ac Cicereius verba protulit Richardus Simon apud Jacobum Le Long, parte 1. iniquiens: *immensum illud, ac vere regium opus*.

(2) Natus 1537, obiit Antuerpiæ 1612. Vide *Diction. des Graveur Anciens, & Modernes*, a Paris 1767.

(3) De quo vide Morerium, & alios. In Codice Ambrosianæ 295 variz sunt epistolæ latinæ Gifanii Patavium scriptæ anno 1568, & 1569 ad Pinellum, ad Mulmettam, ad Ellebodium.

(4) Lucretii libros Gifanii opera emendatos, veterumque ad Codicum fidem restitutos habemus, Antuerpiæ per Plantinum anno 1565.

## EPISTOLA XVII.

M. ANTONIUS ROVILIUS (I)

OCTAVIANO FERRARIO VIRO CLARISSIMO S. P. D.

*ARGUM. Opus suum Ferrario dicandum offert, quem simul plenissime laudat.*

**M**ULTA, quæ de te optavi, mihi contigerunt, Octaviane Ferrari præstantissime, atque in iis Deum mihi valde fuisse propicium intellexi. Primum quidem cum cura, diligentiaque parentum meorum, & voluntate mea in patria literis instituerer, & jam aliquid & ætate, & institutione profecissem, aures meæ cœperunt nominis tui fama & celebritate circumsonari; quod esse dicerere (neque id quidem sine ratione) Cisalpinæ Galliæ nostræ magnum decus, præcipuumque ornamentum. Quo quidem tempore me felicem ac beatum existimabam futurum, si mihi contigisset, ut & te viderem, & alloquerer, & denique docentem audirem. Evenit mox, ut ab iisdem parentibus meis Mediolanum gratia elegantioris doctrinæ percipiendæ amandarer. Quò quidem ubi perveni, nihil prius habui, quam ut te salutarem; audirem item subinde te, ex testamento Pauli Canobii, viri sapientissimi, amici tui, in patria docentem civeis tuos illa, quæ de moribus ab Aristotele præclare scripta sunt. Bone Deus, qua tu copia, & luce orationis magni philosophi præcepta illuminabas, in omnium notitiam devocabas! pulchrum erat, atque ideo operæ pretium animadvertere, atque attendere, quam perite Græca cum Latinis literis illustrares. Ægre tuli, ita me Deus amet, cum ex præscripto Parentum meorum Ticinum primum, mox Patavium, medicinæ scientiæ discendæ causa, abeundum mihi fuit. Cum vero nuper Patavii, usus præstantissimis doctoribus, jam decurso spatio ad metam studiorum meorum pervenissem, hoc est, jam sextum annum peregissem, atque explevissem; existimavi mihi faciendum esse, ut aliqua documenta darem earum artium, atque disciplinarum, in quibus percipiendis jam aliquot annos strenue defudissem; idque ante, quam a magistris meis, viris summis, me rude donari, atque doctoris insignibus cohonestari peterem: ut, qui, quantum laboris exsudissem, tantum mihi conscius ipse essem hoc periculo facto, quantum profecissem, illi qui recte judicare possent, indicarent. Hoc

igitur dum meditor, dumque in hoc totus sum: ecce nunciatur, Senatus Mediolanensis iudicio ac voluntate in Ticinensi academia, in qua tanta cum laude multos jam annos professus fueras, tibi assignatum fuisse honestissimum locum illustrandæ naturalis philosophiæ, amplissimis præmiis virtuti tuæ propositis, quod cum intelligerem pro certo haberi, pene exilii gaudio; arbitratus (id quod erat) Deum mea vota secundare ita, quasi mihi optata omnia offerret. Decreveram enim, ubi in Medicorum numerum receptus fuisset, Ticini vivere, si modo illic in aliquo numero esse possem eorum, qui docerent, quique illa, quæ ipsi scirent, aliis liberaliter impertirentur. Qua quidem in re magnum mihi præsidium in tua summa virtute, scientia, auctoritate reposueram, quem sciebam ad erigendos homines, ad fovendas bonas artes, atque exornandas natum esse, & semper paratum esse dignis, & iis maxime juvandis, qui rerum nobilium scientiam appetivissent, appetitam sibi comparassent, comparatam aliis communicare cuperent. Illud autem præsidium, spemque firmiorem multò existimavi, cum intellexi, fore, ut gymnasium Ticinense pene divinis virtutibus tuis, quas ego semper admiratus fuisset, & meritò suspexisset, quibusque perpetuò fuisset addictus, augetur. Quem quidem meum erga te animum, cum tu probe nosset, quippe cui nuper etiam coram declarassem, cum ad te domum salutatum veni: etiam aliis innotescere nihilo minus cupiebam. Cum igitur non esset mihi in præsentem ad manus aliud quidquam, quo meam in te observantiam declararem, putavi hæc theoremata, a me ad discutiendum proposita, tuo nomini esse conferenda; donec mihi se se offeret occasio aliqua idonea magis ad meum in te amorem testificandum. Accipies igitur, Ferrari præstantissime, hoc nostrum munusculum: quod quaecumque quidem est, argumento sit etiam ejus lætitiæ, quam pene incredibilem cœpi ex eo nuper, quod te Ticinensi Scholæ restitutum, ac redonatum a Senatu esse intellexi. Qua ex re quantum momenti ad magnarum artium cognitionem, intelligentiam, pertractationem accessurum sit, omnes intelligunt, quibus eumque summa virtus tua vel aliqua ex parte innotuit. Vale.

(1) Italica epistola est Francisci nostri ad Marcum Antonium Roviliam in Cod. Belgiojosiiano, & alia Rovilii ad Octavianum Ferrarium.

## EPISTOLA XVIII.

FRANCISCUS CICEREIUS P. HIERONYMO FERRARIO (I)  
OCTAVIANI V. C. F. S. P. D.

ARGUM. *Subiratum ei esse ostendit, nec aliter se placatum iri, nisi literas, prout petit, sibi conscribat.*

QVOD vos discedentis non viderim, ut vidi discessum paranteis, (id quod mihi sane molestum accidit) tua culpa factum est, P. Hieronyme. Tu mane ad me veniens pridie, quam abiretis; non postridie, sed perendie vobis discedendum esse, mihi de discessu vestro quærenti, affirmasti. Postridie pransus, statim venio ad Nazarii Catanæ: famulus narrat vos mane abiisse, & posse fieri, ut jam Binachum pervenissetis; redeo inde tristis, & tuis verbis illusus, atque ideo tibi iratus. Huic porro culpæ non parvam accessionem adjunxisti negligentia, qui præter id, quod convenerat inter nos, nihil penitus literarum hætenus ad me dedisti. Sed tibi licet succenseam, scias tamen patere reditum in gratiam, si modo posthac ad me scripseris. Ne vero argumentum ad scribendum tibi deesse dicas epistolæ; hæc esse poterunt summa capita illius, quam non nisi a te perpolitam expecto: quæ valeatis omnes; ecquando vos, aut saltem Parentem tuum visuri simus; quid discas, ediscas ut; quantum jam profeceris; quantum sentias te ad virtutem excitari tanto patris exemplo? Hæc si quam primum per literas me edocueris, eris mihi magistro tuo, qui semper fuisti, carissimus; quodque libentius facias, tibi dono aurei nummi quadrantem argenteum, nuper Placentiæ cufum; donassem etiam libellum, si mihi licuisset eum, quem maxime cupio. Atque audi fili: cave, ne quid scribas, ut ego nunc expecto, nisi aliquid perfectum ingenio, elaboratum industria; denique P. Hieronymo Ferrario summæ spei adolescentulo dignum. Parentibus tuis Capræ, & Rasario, ex me salutem dicas velim. Vale. Mediolani, Eidib. Decembr. CIODLXXV.

(1) Litteratis Mediol. accensetur ab Argelato, & Picinello. Existimat Argelatus Hieronymum Ferrarium, cujus eruditæ sunt in *Philippicas Ciceronis Emendationes* ad Paulum Manutium, atque hujusce typis vulgatæ, Venet. 1542, patrem fuisse Octaviani Ferrarii. Lagomarsinius in Pogiani epistolis non Hieronymum hunc earum emendationum auctorem fuisse contendit, sed Hieronymum alium

alium Octaviani Ferrarii filium. Attamen neutrum horum, sed Hieronymum alium Ferrarium Corrigiensem *Emendationes* illas elucubrasse satis luculenter ostendit Tiraboschius, *Letteratura Italiana*, tom. 7. parte 2.

## EPISTOLA XIX. (a)

## N. AD CAROLUM BORROMÆUM CARDINALEM. (1)

ARGUM. *Pro pensione exigenda Antistitis opem scriptor implorat.*

Tuo iudicio, & voluntate factum est, Pater optime, ut, quod summis votis expetebam, S. Maurilii Parochus (2) sim factus; quo vel uno nomine est, quod amplitudini tuæ perpetuo debeam: Deumque assidue precor, ut & nobis te diu servet incolumem, & tibi optata offerat omnia. Verum iniquitate temporum factum est, ut & quo tempore huic Curiaë me præfecisti, nihil amplius, quam decem & septem libras in rationes accepti retulerim, cum interea expensos tulerim hætenus quinque & viginti nummos aureos, bonam partem mutuò ab amicis sumptos, mihi etiam necessaria interdum denegans, nedum genio indulgens. Harum rerum culpam omnem sustinet, quod dixi, temporum iniquitas. Libellariorum, vel pensionariorum, quia in urbe non sunt, quemquam appellare non possum, præter unum illum, qui S. Victoris ad Puteum, (3) quæ Curiaë nostræ pars est altera, conductam domum habitat; octo & viginti aureos nummos quotannis verbo quidem pendens, re autem ipsa non item; quod edò dico, quia neque hoc ipso anno, neque proximo superiori, ne quid aliud dicam, pro domo ullam unquam pensionem dedit. Quamobrem, Pater optime, ad te confugio, omnium commodorum meorum, secundum Deum, auctorem, ad te inquam bonorum hominum spem, & tutelam, pauperum perfugium; teque etiam atque etiam supplex oro, atque obtestor, facias, ut iste nostrarum ædium habitator, tua auctoritate motus, nobis, quod debet, persolvat; quod nisi factum fuerit, non video, quomodo cavere possim, quin mihi omnium rerum egeno, & ab ipsa Curia, quæ alere me debuit, nudato periculum sit a fame. Valeat A. T.

(a) Amici nomine, ac rogatu Cicereius scripsit.

(1) Hujus Sanctissimi Antistitis, quem præcipue nos Mediolanenses peculiarem Patronum, Patremque amantissimum colimus, virtutes, resque gestæ toti  
Vol. II. T



orbi innotescunt. Ejus vere admirabilem vitam post Cardinalem Augustinum Valerium, & Carolum a Basilica Petri, aliosque, ex Gluffiano latine redditam edidit, conquistissimisque annotationibus mirum in modum illustravit Cl. D. Balthassar Oltrocchi Oblatus, Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus.

(2) S. Maurilii Parochus 1576 D. Jacobus Bebulchus, usque ad 1582, quo lectus D. Blasius Rufca. Ita ex ejus Parochiæ actis.

(3) Extabat olim inter SS. Georgii, & Maurilii Tempa. (a) Dirutum fuit, & solo æquatum anno 1578, ejusque Curia adiecta est alteri S. Maurilii; ita ex Charitio de *Edificiis Mediolani*, Cod. n. 9. in Ambrosiana.

(a) V. *Vicende di Milano* pag. 288, & *Julinum* Vol. 6. pag. 467, & Vol. 8. pag. 416.

## EPISTOLA XX.

## N. JOANNI FONTANAE. (I)

ARGUM. *Urbe abeundi veniam petit.*

**M**ATER & Frater meus, Fontana Vicari, omnis divini, atque humani juris consultissime, non cessant jam non precibus a me contendere, sed conviciis extorquere, ut ad se tandem eam, intra paucos dies huc reverturus. Hujus itineris suscipiendi causam adducunt non levem: docent delectum esse sorori meæ nubili maritum, parata esse ad nuptias omnia, me unum desiderari: qui nisi non modo adsim, intersimque, sed etiam toti negotio præsim, omnia ad nihilum recidere asseverant. Quibus illi rationibus usi me non orant, aut hortantur, aut jubent, sed, quemadmodum etiam tu ipse intelligis, cogunt, & nolentem vi compellunt. Ego vero, qui effugere hoc non possem, prospexi mihi; & modo per vos liceat, paravi Sacerdotem, quem pauculos dies in locum meum substituam, virum bonum, & ab omni alio negotio vacuum. Quare, Fontana præstantissime, obsecro te, a reverendissimo Cardinali in tanta re veniam, mihi confestim reversuro, impetra; & me, tibi jam addictum, obligatissimum in perpetuum habebis. Vale.

(1) Joannes Fontana Vicarius S. Caroli, dein Episcopus Ferrariæ, ubi mortem oppetiit anno 1611. V. Ughellium *Italia sacra* tom. 2. Plures sunt epistolæ Joannis Fontanæ ad S. Carolum, & ad alios MSS. in Ambrosiana.

## EPISTOLA XXI.

ALBERTUS CLARINUS PETRO PATRI OPT. S. P. D.

ARGUM. *De se ac Fratre nunciat. Litteras emendari cupit.*

QUONIAM tibi hinc discedenti polliciti fuimus, quoties ad te scriberemus, nos binas ad te literas daturos esse, neque tamen id nuper fecimus; & tu jure meritoque nos promissis stare vis, & nos volentes lubentesque idem ipsum tibi effectum dabimus. Ideo ego & frater partiti sumus inter nos scribendi laborem sic, ut alter totus sit in corrigendo nostras proximas litteras a te ad nos remissas; alter reliqua persequatur, quæ te & cæteros domesticos scire velimus. Quod scribis pudendum errorem te in ipso litterarum limine offendisse, hoc tibi haud mirum esse debet. Verum enim illud est, quod vulgò dicitur: fabricando fabri fimus; neque vero quisquam imperitus fabricator, qui nusquam erret. Posthac & a te, & ab aliis, qui nos vere amant, admoniti, erimus cautiore. Quare te rogamus, ne graveris, ut te optimum parentem decet, nos peccantes castigare; &, si non frustra te id facere intelliges, eò facias libentius. Exemplum litterarum a nobis emendatarum, quod ad te transmitti vis, infra scripsi. Salvebunt a me omnes domestici; nominatim autem mater carissima, & Joannes patruus mag. vir clariss. Tu vale, & nos amare perge. Mediolani, xi. Kal. Quintil. anno MDCXXXII.

## EPISTOLA XXII.

CLEMENS ARSAGIUS (a) REGII FISCI PRAGMATICUS  
AMPLISS. VIRO LUDOVICO A CASTILLIA (b)

CANONICO CONCHANO

PHILIPPI AUSTRII HISPANIARUM REGIS

SYNDICIS PRÆFACTO S. P. D.

ARGUM. *Mandata inquit peregrisse.*

Duo anni sunt, & eo etiam amplius, amplissime vir, cum nunquam destitisti instare, ut te per aliquem libellum de abusibus, qui

(a) Synditus Fiscalis Mediolani 1580, & Quaestor Extraord. 1592. V. Benalium *Relaz. del Magistr.* pag. 28, & 184.

(b) Cujus meminit idem Benalius, pag. 29.

apud nostrorum iudicum tribunalia in usu sunt, & partim in civilibus, partim in criminalibus controversiis cognoscendis, dijudicandisque deprehenduntur, edocerem, simulque opportuna remedia, quæ talibus corruptelis adhiberi possent, adderem. Ego vero, cum pro comperto haberem, te idem hoc ipsum (quæ tua est diligentia) per alios ministros, me & ætate, & scientia, & usu ad hoc opus aptiores, atque idoneos magis jam assecutum fuisse; me tale quidquam nunquam facturum esse arbitrabar. Sed tamen posteaquam nuper te acrius instare, meque a te vehementius urgeri, atque impelli ad hanc curam suscipiendam animadverti; in illa sententia mea diutius non permansi: præsertim, cum invitus ejus hominis desiderio, cui jure merito parere debeo, non obsequerer; voluntati, a qua honeste dissentire non possum, reluctarer; precibus, quæ imperii vim apud me obtinent, adversarer. Idque eò libentius feci, ne superbus, aut arrogans viderer, qualem me aut esse, aut unquam fuisse sensit, opinor, adhuc nemo, neque in posterum, uti spero, sentiet. Præterea, cum mihi venisset in mentem, recte vulgo dici solere: satius esse obedientiam præstare, quam sacra facere; (a) quod videris velle, tandem facere constitui, illud apud animum tuum testatum relinquens; & de iis omnibus, & quibus a me moneri vis, illa tantum admittas, quæ tu pro tua singulari sapientia animadversione, & diligenti expensione digna esse censueris. Ego tamen sic in animum induxi meum, te non nisi de illis providendis monere, quæ si Dei immortalis nutu a sapientissimo, atque felicissimo Rege nostro fieri mandentur; & rectæ justitiæ administrationi, & publicæ subditorum utilitati, & denique Fisci Regii ærario non parum consultum iri confidam. Vale vir clarissime. Mediolani, Kal. Martii anno MDLXXXVII.

Hæ sunt fere observationes meæ, quas quidem omnes, ac singulas gravissimæ censuræ tuæ subjicio; ut, si quid animadversione minus dignum me annotasse compereris, ipse pro singulari sapientia tua illud corrigas. Vale vir amplissime, & me tibi maxime devinctum, commendatum habe.

(a) I. Reg. cap. 15.

## EPISTOLA XXIII. (1)

GASPAR VICECOMES ARCHIEPISC. MEDIOL.  
AD SERENISS. VENETIARUM DUCEM. (2)

ARGUM. *Quendam excusat, pro eoque veniam deprecatur.*

**E**T mea vetus benevolentia in Joannem Arcimboldum, virum in hac Mediolanensi civitate illustrem admodum, cum familiæ nobilitate & splendore, tum magnitudine virtutum, & meritorum; & affinitas, quæ is cum germano fratre meo, (3) cujus socer est, jam diu conjunctus est, jure a me requirere videntur, ut quanta maxima possum animi, & precum sollicitudine, Serenitati Vestræ amplissimæ commendem & ipsum, & Joannem Angelum Abbatem, (4) ejus filium, optimæ sane indolis adolescentem, hujus Mediolanensis Ecclesiæ nostræ Sacerdotem, & summæ, atque incredibilis cujusdam spei in Christi Ecclesia Sacerdotem. In quo uno miserandus pater omnem spem suam fixit, & locavit; licet nunc ad eam ætatem, quæ ad ineptias ex se proclivior est, pervenerit. Nam, quod nuper in urbe Patavio is non ita se fortasse gesserit, (quantum audio) ut bene moratum, & ex nobilissimâ familia ortum decebat; quia tamen illud, quicquid est, consilio magis perditorum hominum, quam male affectæ naturæ ejus adolescentis, cujus mores, consuetudinemque omnis vestra Patavina Academica ex quo cognovit, mirum in modum probavit, tribui posse videtur; audeat sperare, vir honestissimus, ejus pater, curis una ista intemperantia confectus maximis, eum sibi a Serenitate vestra ampliss. pro ea, qua Reges, ac nationes potentissimas excellit, pietate, humanitate, ac prudentia condonatum iri. Dignus est, cui se placabilem, Serenitas Vestra, liberalemque præbeat; vel quod vir est optimus, & civis patriæ amantissimus; vel quod pater est. Affirmanti mihi Serenitas Vestra credat, quæ vera a quovis cive nostro de Joanne Arcimboldo audiat. Hic vir, ad juvandum humanum genus natus, incredibile est, quantos labores decem abhinc annis in pestilentia propulsanda exsuderit, (a) Vix quisquam credat, quantum infelici hoc ipso anno laboraverit; ut pauperes, atque inopes ne fame perirent, & ut annonæ caritate levarentur. (b) Idem totus est in hospitalibus, & aliis locis, in

(a) V. Jacobum Philippum Bestam, *Della peste dell' anno 1576.*

(b) De gravitate annonæ, qua anno illo Italia laboravit. V. Murator. *Annali d' Italia.*

quibus exercentur pietatis officia, tuendis; in fovenda religione, & omni cultu decoranda. In summa hujus hominis merita non solum in suos cives universos, sed etiam in omne genus hominum tam sunt multa, & magna, ut ausim dicere: quamvis Joan. Angelus sua ipsius libidine non aliorum impulsu assidue versatus in nefandis facinoribus non semel tantum errore juventutis in aliquod dedecus prolapsus fuisset; filium tamen patris lacrymis, hominis tam benefici tam pii tam admirandi, esse condonandum. Ad hæc cum accedat affinitas, quam Joannes Arciboldus iniit cum fratre meo, si per eam licitum sit ei aliquid petere pro mea erga Serenitatem vestram amplifs. observantia, id erit mihi adeo gratum; ut quidquid gratiæ, ac beneficii in eum, ejusque filium pia dignum commiseratione, a Serenitate V. Amplifs. collatum fuerit, id ego sic, quasi tantundem in me ipsum collatum esse accipiam. Deus miserationum pater, & qui misericordes amat, misericordem Serenitatem V. Amplifs. quam diutissime servet incolumem. Datum Mediolani, XII. Kal. Martii, MDLXXXVII.

Quod attineret ad causam Abbatis Arciboldi, unius ex principibus Prælati hujus meæ Mediolanensis Ecclesiæ, quemque ego amo præcipue cum propter merita & virtutes suas, & expectationem quam sustinet, & spem quam concitavit de Dei honore in Ecclesia tuendo, & suam ipsius generis nobilitatem, & cognationem, atque agnationem, qua sibi conjunctas habet omnes fere provinciæ Mediolanensis illustres familias; tum etiam propter arctam affinitatem, qua fratrem meum attingit, nihil antea scripsi ad Serenitatem V., cupiens prius edoceri, quid in re esset, & an adolescens jure merito culpandus esset. Nunc vero cum compertum habeam, adolescentem (quod ad ipsum attinet) nullam culpam sustinere; &, si quid ab eo adolescentiæ errore peccatum est, id nimium jam longo, atque ærumnoso carcere suo, & curis atque laboribus molestissimis fratris sui, (5) Abbatis item, summæ virtutis, & pietatis hominis, qui tam diu jam causam istam tuetur, correctum esse; quanto maximo cum animi mei studio possum, Arciboldum Abbatem Serenitati V. commendo, petoque summis precibus anxius, ut, contenta tam multis curis & laboribus, tam levi de causa susceptis, eum mihi absolutum (uti jure quidem absolvi par esse confido) concedat. Quod si a Serenitate V. factum, uti speramus, fuerit, præter bonos illos rumores, qui de Regia humanitate Vestra, deque protectione eorum juvenum, qui ad istam Vestram Academiam Patavinam confluunt, per universam Italiam dissipabuntur, ego me maximo beneficio cumulatum existimabo; meque Serenitati V. perpetuò

deditissimum esse, confitebor; ut quidquid gratiæ, favoris, atque indulgentiæ in Joan. Angelum Arciboldum Abbatem ab ea profectum fuerit, id omne in me ipsum collatum fuisse sim existimaturus.

(1) In ora Codicis hæc leguntur: *Gasparis Vicecomitis Mediolani Archiepiscopi epistola a Francisco Cicereio, rogatu Joannis Arciboldi, emendata, & alicubi collocupletata.*

(2) Venetiarum Dux tunc erat Pasqualis Ciconia ab anno nempe 1583 ad 1595. V. *Art de verifier les dates.* Vol. 2. pag. 880. Hujus numisma vide in *Museo Septaliano.*

(3) Vicecomes is Galeatius in *Scriptoribus Mediolanensibus* apud Argelatum. *Magdalena Arcimbolda* ejus uxor. (ita ex *Genealogia Vicecomit. Blanchini*, Cod. apud nos 144.) Italica ad hunc Cicereii epistola est in Cod. Belgiojos.

(4) Joannes Angelus Arciboldus Abbas Vicoboldoni. (*Morig. Hist.* lib. 4. cap. 9.) Italici quinque ad hunc epistolæ sunt Francisci Cicereii in Cod. Belgiojos.

(5) Joannis Baptistæ, ad quem epistola 15 hujus. V. *Morig. Hist.* lib. 4. cap. 9, & *Crescentium, Anfiteatro.*

## EPISTOLA XXIV.

FEDERICO QUINCTIO (I) FISCI REGII PATRONO S. P. D.

ARGUM. *Magnis laudibus Richardum exornat, Senatusque Præsidentem esse factum lætatur.*

COMMODOUM in forum veneram heri vesperi, cum mihi a multis dictum est, Jacobum Richardum de annonæ Præsidente a Rege nostro Regum maximo Senatus Mediolanensis Præsidentem esse factum; id quod mihi tam jucundum accidit, quam quod omnium maxime. Gaudeo enim non tam Jacobi ipsius, viri clarissimi; quam tua, & mea causa. Ac mea quidem causa valde lætor, quem plurimum juvat in ea civitate consenuisse, ubi virtuti est locus, ubi virtus suis præmiis, hoc est honoribus cumulatur; quemque tenet illa spes vel maxima, hujus Senatus Principis moderatione, ac sapientia cum litteris, atque litteratis hominibus actum iri commodius in posterum. Vix enim credibile fit, communem liberalium artium causam illi magnæ curæ non futuram esse, qui potissimum per litteras ipse non illas vulgareis quidem, & per singularem quandam doctrinam ad summos honores pervenerit. Huc accedit, quod me non sefellit, judicium, quod de hoc adhuc adolescente ante annos prope quindecim, ad Joannem Baptistam Arciboldium hujus æqualem adolescentem lectissimum scribens, feci. Deinde vero cur non tua item causa hoc tam optato nuntio, com-

muni quadam omnium spe jam antea præcepto, ego, qui te vehementer tuo merito ipsius observo, non gaudeamus? Nam (quæ magna est Senatus Præsidis auctoritas, & bonitas) quantum poterit, tantum etiam volet in te ornandum conferre; & qua ille ad magnos honores pervenit, eadem te, & tui similes (si qui sunt) quos amat, mirifice perducet. Atque in eo genere est vel in primis Aloysius Terzagius, & qui juvenis, omnibus bonis plaudentibus nuper Ædilis designatus est; & qui summa cum laude Ædilitatem duobus abhinc annis egit, Alphonsus Raynoldus meus. Postremo ipsum Richardum quis non ex animo amet, colat, observet; hominem tam multis, tamque magnis bonis fultum, tanta in omneis comitate, & beneficentia, jam omnium judicio, & votis, qui illius sapientiam norant, huic tanto muneri destinatum? Sed quid tento hominem laudare, de quo nihil tam magnificentum dici potest, id ipsius quin superet excellens natura, doctrina eximia, singularis virtus? Nihil tamen impedit, quin in hanc sententiam aliquid dicere experiar. Nam, ubi excessit ex iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, & incredibili celeritate omnis juris consultissimus est factus; continuo hujus sapientia, atque eloquentia magno theatro est spectata. In ipsa adhuc adolescentia Laudis Pompejæ, patriæ suæ commodis orator apud Mediolanensis provinciæ Præfectum, & Senatum item ipsum studiose inservivit. Mox Romam ab Ayamontis Demarcho, (2) Principe nostro, qui apud Gregorium XIII. Pont. Max. Philippi Austrii Regis nostri jurisdictionem tuetur, missus est. (a) Ibi Cardinalis Perenotus, (b) ille summi Regis nostri consilii auctor, ac princeps, tantam hominis virtutem admiratus, eum ad nos reversum brevi Senatorem fecit. Paulò vero post de Senatore Magistratus Extraordinarii Præses est factus. Inde in altissima Senatus Mediolanensis sella, quod bonum faustum felix fortunatumq. sit universæ Mediolanensi provinciæ, sedit. Hic denique ab incunte ætate minora, atque adeo humiliora tribunalia sua virtute inferiora ducens, quæ ejus animi altitudo semper fuit, ad maxima quæque adolescens spectavit, ad eaque juvenis pervenit. Tam brevi autem in spatio quasi per aureos primùm quidem virtutum, deinde vero honorum gradus evehctus, ad summum dignitatis culmen conscendit; ut illos non tam percurrisse, quàm pervolasse videri possit. Quam quidem incredibilem celeritatem si quis attendit, illum *ευδρομον* jure merito appellare possit.

(a) V. Cl. Oltrocchi in Vita S. Caroli pag. 360.

(b) Antonius Perenotus, cujus numisma in Mazzuchelliano.

fit. Quod nomen in æde Divi Dionysii inscriptum legimus tumulo C. Valerii Petroniani,(3) qui nondum expleto quarto, & vigesimo ætatis anno (utar iisdem verbis, quæ lapis literatus habet) *Decurio, Pontifex, Sacerdos, Juvenalis, Medicus, Causidicus, quinque gratis Legationibus urbicis, & peregrinis pro rep. sua functus est*. Quia enim brevi tempore multa percurrebat Petronianus, εὐδρομος non injuria, quasi bonus cursor, dictus est. Neque vero iccirco illud, quod est apud quendam Poetam, nobis metum incutit: *Immodicis brevis est ætas*. Quandoquidem freti singulari, ac prope divino Dei beneficio, fore speramus, atque confidimus, ut Mediolanenses, omnisque agri Mediolanensis incolæ, hoc Senatus Præsidi quamdiutissime perfruantur; atque ut id fiat, Deum Opt. Max. dies noctesque rogare non desistimus. Quod si ab eo, summis omnium votis expetitur, impetramus, nostri quamdiutissime felices, atque beati sunt futuri. Hæc ego ad te, Quinti vir ornatissime, scribere volui, quæ non eloquentiæ, quæ in me nulla sane est; sed singularis meæ in te, & novum Præsidem, hominem immortalitate dignissimum, observantiæ essent indicium. Vale. Mediolani, VIII. Eid. Jan. MDLXXXIIX.

(1) Quem litteratis Mediolanensibus adnumerat Argelatus in *Appendice*. Ad hunc Baldini in *Lusibus* carmina duo \* pag. 41, & 87.

(2) Nempe Antonio Gusmano, qui Mediolanensis Provinciæ regimen tenuit ab anno 1573 ad 1580. V. *Serie de' Governatori di Milano* Cl. Francisci Bellati, Milano 1776. Ad Antonium Gusmanum epistola dedicatoria est Bernardini Baldini *Aristot. Philosoph.*, ubi & Ode ad eundem.

(3) Cerni hæc potest inscriptio apud Puccinellum, *Memorie antiche* pag. 23. Eandem affert Alciatus, tamquam in S. Dionysii sitam, Cod. nostro 113. pag. 7.

## EPISTOLA XXV.

JACOBO CORTELLIO (I) S. P. D.

TAURINUM

ARGUM. *Epistolam emendatam remittit.*

SI forte tuam hanc epistolam corrupti potius, quàm emendavi; non me, sed molestas occupationes meas accusabis. Cum librum edideris, vel unum ejus exemplum ad me mitte.

(1) De quo Augustinus ab Ecclesia. (*Catalogo de' Scrittori Piemontesi ec.* Liber in epistola memoratus haud dubie is est, ex quo unum ex Francisci Cicereii Elogium desumpsimus. Vol. I. pag. xxx.

Vol. II.

V



## EPISTOLA XXVI.

ALEXANDER CORIUS (1) ALPHONSO (2)  
PARENTI OPT. V. C. S. P. D.

ARGUM. *Sententiam quandam communicat.*

**F**RANCISCUS Cicereius, quo magistro, tua liberalitate fretus, utor in hoc tempore; jussit me hoc epistolium a me conscriptum ad te mittere; eique sententiam, partim a se, partim ab Isocrate, singulari dicendi magistro, excogitatum subijcere. Ego vero præceptori meo, a cujus voluntate honeste dissentire non possum, animo gaudenti & libenti parui. Scripsi quæ volebat, & ad te misi eo consilio, ut tum ipse, tam egregii dicti memor, pergas mihi facere, quod te dignum est; tum ego, tot ac tantis tuis erga me meritis admonitus, nihil indignum tanto benefactore in omni vita committam. Vale vir præstantissime, vale inquam, perdiu liberis tuis, & patriæ nostræ universæ. E schola nostra, III. Kal. Octobr. anno MDLXXXVIII.

Patres tantum liberis suis relinquere conantur, ut rebus & ad victum & ad cultum necessariis non egeant, & merito id quidem. Intelligunt plane, homines difficultatibus, & inopia coactos dicere & facere multa, se & suis majoribus indigna.

(1) Inter *Scriptores minoris notæ, ac prætermittos* apud Argelatum.

(2) Cujus epitaphium in Templo S. Francisci, quod Puccinellus *Mem. antiche*, & Sizonus *de J. PP. Coll.* afferunt.

## EPISTOLA XXVII.

FRANCISCUS CICEREIUS AUGUSTINO CUSANO  
CARDINALI CREATO S. P. D.

ARGUM. *Gratulatoria de adepta dignitate.*

**D**OMESTICI tui, Augustine vir amplissime, me quoque, quasi de tuis unum, quem scirent solide tua gavisurum esse gaudia, (quæ eorum fuit humanitas) quo die tantæ lætitiæ nuncius Roma perlatus est, de eo certiores fecerunt; idque XVI. Kal. Januar. mane: cum ecce summa cum omnium lætitia per universam Civitatem de dignitate tua

pervagata est fama. Passim ergo per urbem tuæ gentilitatis insignia laureis coronis, aureis bracteis lemniscatis exornata ante nobilissimorum civium fores pendent: de sacris turribus interdium noctuque assiduo æris campani, tinnitu lætitiæ signa dantur: ejusdem etiam lætitiæ indices, ex magnis lignorum struibus in sublime eductis, ignes de nocte fiunt. Ex quibus omnibus, quàm carus sis civibus tuis, quivis intelligere facile possit. Ego vero gratulatus tibi statim, uti par erat, fuissim, nisi me ab hoc officio avertissent, vel potius invitum abstraxissent molestæ curæ illæ, quæ animum illorum, qui juventutem instituendam susceperunt, assidue premunt. Sed quid istud? quasi tibi, homini doctissimo, illud in mentem non veniat: *Sera gratulatio reprehendi non solet; præsertim si nullâ negligentia prætermissa est.* (a) Gratulor igitur tibi, Augustine præstantissime, & jure quidem gratulor de tanta dignitate, quanta te promerentem nuper auxit, Dei numine motus, Sixtus V. Pont. Max.; atque istud tantum honoris tui incrementum Christianæ reip. salutare quin futurum sit, vel ego, qui te usque a prima pueritia bene novi, nullo modo dubito. Nam, cum puer admodum una cum Pomponio fratre, te aliquanto natu majore domi meæ viveres, & literis a me item instituereris; animadverti, ut tum parvulum jam nihil aliud potius meditari, quàm pietatem, quàm Dei, Divorum Divarumque honorem ac cultum, quod quidem Religionis vehementius colendæ studium una cum ætate pariter crevisse, totius vitæ tuæ ratio declarat. Etenim ubi in elegantioribus literis per me satis ambo profecisse visi estis, Joanni Baptistæ, (1) homini in omni genere elegantissimo, qui fratrum omnium natu maximus vobis duobus, utroque parente pene in ipsa infantia orbatis, erat pro patre; Avenionem ad Angelum Pappium, juris civilis, & pontificii interpretem eloquentia clarum, ambos instituendos amandat, quem vos hominem eximium in jurisprudentia magistrum vestrum, Bononiam accersitum, cupidi ejus doctrinæ, sequuti estis etiam, neque ab ejus singularis interpretis latere discessistis prius, quàm ad jurisconsulti insignia petenda Ticinum vos misit. Neque vero vestrum hunc, quem dixi, studiorum cursum a summo pietatis cultu segregandum esse unquam censuistis. Nam, ubi in patriam rediistis, atque in jurisconsultorum vestrorum, hoc est, Mediolanensium collegium, omnibus bonis plaudentibus, cooptati estis; continuè viduarum, pupillorum, egentium, hospitalium, & pietate insignium locorum, & maxime omnis sacerdotum generis, patrocinium suscipitis. Senferunt vestram liberalitatem pauperes, quorum ad vos perfluigentium agmina vix ædes vestræ, alioquin amplissimæ, capiebant.

(a) Cic. 2. Familiar. 6.

Expertus est vestram munificentiam largitatemque ordo ille Presbyterorum, (2) qui Caroli Borromæi Cardinalis, vitæ sanctitate clari, jussu claustris, Divi Antonii templo additis, religioni colendæ mirandum in modum intenti, infederunt. Divi porro Barnabæ Sodalitatis ita studiosi eratis, (3) quasi & vos duo de illo sanctorum Clericorum grege essetis. Interea Pomponio uxorem ducere placitum est. Te vero nulla talis cogitatio unquam cepit; licet esses omnium fratrum sicuti natu minimus, ita viribus firmissimus, & ad suscipiendos liberos aptissimus, sed libros sacros selectissimos undique comportatos coemere, in illis pervolutandis totos dies noctesque ponere ac consumere solebas; Romamque ergo profectus primum sis Apostolicæ Cameræ Clericus, maxime probatus Gregorio XIII. Pont. Max., viro sapientia incredibili, ac pene divino ingenio: deinde Sixtus V. Christi Vicarius omni omnium sæculorum posteritati admirandus, longissima vita dignissimus, Cameralem Auditorem te sibi esse voluit. In quibus dignitatibus constitutus cum sis, cumque in illustri atque excelso loco sit posita tua virtus, latere nullo modo possunt egregia facta tua. Nota est omnibus tua in omneis benignitas, beneficentia, liberalitas, hospitalitas, benemerendi de omnibus studium incredibile: nota comitas, facilitas, affabilitasque sermonis: nota denique vitæ integritas omnis tuæ. Quæ quidem res tibi omnium amorem, ac benevolentiam, cum summa quadam observantia conjunctam conciliant. Postremo idem Sixtus, hominum æstimator egregius, te, qui in Cardinalium Collegium coopteris, dignum deputat. Hæc cum ita se habeant, Augustine vir optime, jam eò, quò volebas, pervenisse sane videri possis. Dei enim auxilio freta, eò mens tua tendebat, ut scilicet plurimum facultatis haberes tibi demerendæ S. R. E.; utque de Christiana Religione, quam tibi tuendam in omni vita suscepisti, optime mereri posses. Hoc tuum fuit in omni vita consilium; hoc tuum votum; hic omnis tuæ vitæ scopus, & ratio. Contulisti ad juvandam, atque adeo pro parte virili exornandam Jesu Christi Ecclesiam, hominem nobilissimum, (te dico ipsum) optimis parentibus progenitum, liberalibus artibus a teneris institutum, omnis divini, atque humani juris consultissimum, pauperum, & tenuium tutorem, Sacerdotum omnis ordinis patronum: contulisti ad sanctissimæ Religionis cultum omnia tua studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem omnem, atque in eadem Religione, quod caput est, fixisti hæc omnia, & locasti omne denique amplissimum patrimonium tuum. Hæc Deus Opt. Max. de alta cœli specula videns, atque æqua lance expendens, sanctissimo,

beatissimoque Patri nostro, qui nunc tanta cum laude orbi Christiano moderatur, ut illum omnes boni ex animo colant, & venerentur, & ut quamdiutissime, & feliciter vivat, optent; mali tamquam scelerum ultorem acerrimum valde metuant, atque exhorrescant, eam mentem dedit ut & Cardinalem faceret. Quæ summa cum voluptate intuentes omnes boni, quin te Deus immortalis ad summum honoris amplissimi gradum aliquando perducatur, non diffidunt. Ego vero, tuus magister, quotidie vota facio, ut tam diu vivam, ut diem illum videam, cum longissimo, atque felicissimo sanctissimæ vitæ peracto cursu, Sixto V. ad Superos abeunti, cui tantopere probaris, ipse succedas; utque tantum mihi virium Dei immortalis beneficio fiat reliquum, ut res tuas in Petri sede sedentis, & universæ Christianæ Religioni dominantis, & ejus hosteis conterentis, omnis posteritatis memoriæ possim proderere. Hujus ergo voti compos si fiam, nullus, mihi crede, neque Historicus, neque Orator, neque Poeta mihi in rebus tuis (si tui celebrandi studium, & amorem attendat) ornandis, atque memoriæ prodendis poterit comparari: me omnium mei loci, atque ordinis hominum felicissimum deputabo. Ac memini me pridie ejus diei, quo proxime a nobis discessisti, tibi in effedo sedenti, pro foribus ædium tuarum dixisse: fore ut brevi tibi Cardinali creato gratularer; id quod Dei benignitate nobis nunc contigit. Ut igitur in hoc verus vates fui; sic in illo, quod modò dixi, falsus, uti spero, non comperiar. Atque hæc ego ad te, Cardinalis amplissime, partim mea ipsius voluntate, qui te amo amore singulari, partim cohortatione Alfonsi Raynoldi, affinis tui, viri jam aliquot magistratibus magna cum laude perfuncti, qui in jure civili suis scriptis illustrando ut est assiduus; ita tui nominis, atque dignitatis est quam studiosissimus. Vale. Mediolano Kal. Januar. anno MDLXXXIX.

(1) Qui Juris Consult. Coll. adscriptus, laudaturque una cum aliis fratribus in monumento, quod est in S. Marci, asserturque a Sitono *de J. PP. Colleg.* pag. 136.

(2) Theatini scilicet, qui Mediolanum a S. Carolo inducti. V. *Oltrocchum in Vita S. Caroli* pag. 168.

(3) In elogio Pomponii Cufani, quod in S. Barnabæ ei posuit Augustinus frater, legiturque apud Sitonum, & Argelatum, tale horumque studium erga Clericos Regulares S. Pauli indicatur.

## EPISTOLA XXVIII. (a)

JOANNI ALOYSIO ECCLESIAE (1) S. P. D.

*ARGUM. Quidpiam conqueritur.*

**V**EREOR, Joann. Aloysi, ne hastas abjeceris; atque aliud quidquam potius, quàm aut eloquentiam, aut jus civile mediteris. Proximis Saturnalibus, ut me memorem ostenderem multorum ac magnorum beneficiorum, quæ in me quotannis certatim conferunt tui pater Franciscus Bernardinus, & Frater Jacobus; (1) duobus libellis plane exiguis, sed mehercule tuis oculis dignis, & quorum argumentum per occasionem jam te docueram, donare volui: eos aspernatus es, non dicam illiberaliter, (novi enim mores tuos plane candidos) sed certe severe nimis, quo . . . .

(a) Quæ missa non est, ut in ora Codicis adnotatum.

(1) Ex Clericis Regularibus S. Pauli inter Scriptores Mediolanenses ab Argelato laudatus, & a Picinello.

## EPISTOLA XXIX.

LUDOVICO MAGIO (1) ANTONII F. S. P. D.

*ARGUM. Accuratus sibi scribi exoptat.*

**Q**UOD ad me litteras miseris, gratum fecisti. Velim idem facias interdum in posterum; sed accurate, non ex tempore. Cogita, Ludovice suavissime, etiam atque etiam, quid te facere deceat, tam pulchræ prolis principem, talibus parentibus & ex tali familia, tantoque genere natum. Non leve est summæ spei puerum scribere, & latine scribere, & ad suum magistrum scribere. Quare posthac, ubi cum animo ipse tuo cogitaris, quis, ad quem, & quando, quid, quo loco, & quomodo scribas, etiam diligenter vide. Hæc sunt ea, quæ te attendere potius, quam scire cupiam. Nam de rerum urbanarum statu a patre tuo, ornatissimo viro, & de civibus omnibus optime merito, melius edoceri potes. Salutavi tuo nomine fratrem meum, idem te resalutat. Vale.

(1) In *Bibliotheca* Argelati celebratus, qui Episcopus Luceriæ creatus est anno 1609, vitæque decessit 1618. (a) Italica ad hunc Cicerei epistola in Codice Belgiojof.

(a) V. Sitonum, & alios.

## EPISTOLA XXX.

LUDOVICO MAGIO ANTONII FIL. S. P. D.

ARGUM. *Similis exhortatio.*

**I**GNOSCE mihi, si forte tibi parum gratus videor. Nam, quod est in veteri verbo, pro bono sue tibi malum canem reddo, (a) hoc est, pro duobus lepusculis mehercule pinguibus & bene habitis, remitto tibi epistolam, aliquot magnis erroribus depravatam. Sed, ne erres, non hanc meam epistolam, qualiscumque est; sed tuam ipsius, cum mea conjunctam, dico. Non æquum facis Ludovice, qui non videas, quid scribas. Vix scribis sex versus, & sexies graviter peccas; quasi, quanti sit latine scribere, nescias. Si istæ tuæ litteræ in invidorum tuorum manus, quod nollem, incidissent; quid, quæso, de te dixissent, quantum de existimatione tua detraxissent? Quare posthac ita scribe, ut ex eo, quod scribis, laudem ac decus mereare; neque ullam vituperatoribus tuis ansam maledicendi præbe. Vale.

(a) Diogeniani dictum. V. *Adag. Manutii.*

## EPISTOLA XXXI.

F. MALACHIAS BINASCUS (1) PRÆCLARO VIRO  
COSMO PLANTANIDÆ (2) CISTERCIENSIVM MONACH.  
CLARÆVALLIS APUD MEDIOLAN. ABBATI  
MAXIME REV.<sup>no</sup> S. P. D.

ARGUM. *Breviarium a se correctum ejus nomini offert, dicatque.*

**C**UM Lucas Antonius Juncta, homo industria & fide singulari, intelligeret, Breviaria Sacri Ordinis nostri Cisterciensium neque in Italia amplius esse venalia, neque e Gallia propter temporum iniquitatem ad nos transmitti, neque vero aliunde ullo pacto comparari posse pro; eo, quo in nos afficitur, amore, atque benevolentia, illud denuo Typographis

excudendum dare decrevit. Hic igitur amicus noster, cum illud, quod dixi, facere, cumque huic nostræ egestati occurrere in animum induxisset suum; me rogavit, ut, siqua in Breviario emendanda, & corrigenda aliquo modo essent, emendarem, atque corrigerem, quò castigatius, & commodius, quàm unquam antea prodiret. Ego vero, licet intelligerem hoc onus multo gravius esse, quàm ut illud meis humeris & sustinere, & perferre possem; atque hanc provinciam longe imparum mearum virium imbecillitati, atque ideo duriolem, quàm ut a me capi posset; tamen, partim omnium nostrorum necessitate adductus, non solum me facturum esse, quod flagitabat, annui, sed etiam illud ipsum ausus sum aggredi. Itaque primùm, quod non parvi laboris fuit, Breviarium sæpius evolvi; &, quam diligentissime potui, singula attendens, quæcumque errata & menda deprehendi, correxi. Deinde tum in Kalendario aliquot festa, tum suo loco multas antiphonas, & responsa addidi. Ad hæc lectiones quamplurimas, quæ desiderabantur, adjunxi; &, ut nostrum hoc omni ex parte cum novissimo conveniret, & Gallico Breviario undique responderet, curavi. Postremò, nusquam ab aliis dissentiens, quæcumque meo labore & diligentia præstare potui, in his omnibus semper spectavi, & ex iis omnibus unum illud sum conatus efficere, ut, cum omnia multò faciliora sint reddita, posthac nemini divinum Officium Deo Opt. Max., & Sanctis ejus persolvere onerosum sit amplius, sed potius maxime commodum, & jucundissimum esse videatur; propter quod, ut longe majori, atque ardentiori Religionis studio præstare illud pergant, omnes nostri Ordinis homines per Jesum Christum obnixe rogo, atque obtestor. Quibus quidem omnibus spero ac confido in confesso fore, quidquid id est, quod labore meo effectum est, sed tibi præsertim Cosme, vir præstantissime, cui potissimum hunc meum laborem offerre, atque dicere volui. Hæc enim mihi suasit humanitatis ratio, & mei in te amoris vis. Quod quidem si facere neglexissem, non modò me ipsum læsissem, sed etiam te, & cæteros violasse visus fuisset; & multorum præstantium virorum, quos imitari plane debeo, consuetudinem non retinere, qui hujus generis occasionem nacti, animum suum patefaciunt iis, quorum summam benevolentiam sunt experti. Nolui tamen illud item retinere, quod iidem facere solent, ut quibus suos labores donant, diutius eorundem laudibus inhæcant; veritus id, a quo semper longe abhorruì, ne cuiquam, qui me & te minus nosset, adulator potius, quàm verus laudator viderer. Non possum tamen me continere, quin pauca quædam dicam, quæ, quia omnes sciunt esse verissima,

riffima, tacere nefas fit. Quis enim te novit, qui præclarum, singulare, ac prope divinum ingenium non miretur tuum? Quis multas, ac magnas virtutes, quæ sunt in te sitæ, non obstupefcit? Quis tuum incredibile sanctissimæ religionis colendæ studium non suspicit? quibus sane rebus fit, ut Ordinis nostri magnum decus, atque ornamentum sis eximium. Meam igitur operam, R. P., quam in hoc opere exornando collocavi, atque adeo Breviarium ipsum pro ingenii mei tenuitate expolitum, tibi dono, teque obsecro, ut læta & serena fronte illud accipere ne graveris; ut sub felici tui nominis auspicio in lucem prodire valeat, atque in manus hominum pervenire. Ego vero, quod potero, Deum Opt. Max., ut te nobis, atque universo Cisterciensium Ordini quamdiutissime servet incolumem, etiam atque etiam orare non desinam. Vale, & me ama. Ex Cœnobio Torcellano, (a) Kal. Decembr. anno MDLXXVIII.

(a) Torcelli urbis, ditionis Venetæ, quod Cœnobium tunc erat Congregationis nostræ.

(1) Quem Scriptoribus Mediolanens. adjungit Argelatus in *Addendis*, & *Corrigendis*. Epistolam Binaschi ad Plantanidam Abbatem veluti impressam memorat ibi Argelatus in Breviario nostro per Junctas, anno 1579. Id tamen factum non fuisse, mihi suadet Breviarium hocce, cujus exemplar in nostra habetur Bibliotheca.

(2) Qui Abbas etiam fuit S. Ambrosii, & Præses Congregationis nostræ. V. *Aresium Serie Abbat.* ejusdem nostri Monasterii.

## EPISTOLA XXXII.

JOANNI BAPTISTÆ RAINOLDO (I) S. P. D.

ARGUM. *Marchesonio Collegæ mercedis augmentum fieri postulat.*

LICEAT, Joannes Baptista Rainolde, Senatus princeps. amplissime, vir clarissime, liceat patrone magne, clienti tuo, Francisco Cicereio pauca, quæ illum communis liberum vestrorum utilitas effari jubet. Petrus Marchesonius, (2) præstantis animi juvenis, bonam oppido (ut vel in primis ipse nosse optime) instituendæ juventuti navat operam, magna cum laude jam ferme novem annos in explicandis publice veterum scriptis versatus. Hic pro certo dicitur in præsentem petere a vobis, ut ad eam laborum suorum mercedem, quam quotannis ipsi tribuitis, aliqua digna fiat accessio. Hunc ab Ordine vestro universo, & a te præsertim, qui literatorum hominum maximum es præsidium, be-

Vol. II.

X



nigne tractari æquum est. Quod si feceritis, homini fatis alioquin inflammato, expoliendi liberos vestros alacritatem addetis, & Cicereium, ejus Collegam, jam vobis additum & deditum, hoc nomine magis obstrictum habebitis. Kal. Januar. anno CIOIOLXXXIX.

(1) Cujus meminit in *Bibliotheca* Argelatus. Epistola \* ad eum est Christiani Lazari. In Archivo Belgiojohano epistola est Pauli Sfondrati Joanni Baptistæ Rainoldo Reg. Senatus Præsidi designato. Ejus nomen legitur in duplici inscriptione in S. M. Gratiarum, quas post Argelatum refert Allegrantia.

(2) In Mediolanensibus doctrina illustribus connumeratur Marchefonius. Eloquentiam, ac politiores litteras professus est, quo in munere collegas habuit Franciscum Cicereium, ac Damianum Arrigonium; ita ex Precibus Lucilii Terzagi ad Senatum Mediolanensem impressis, Cod. nostro 260. Augustinus Bonacina, qui a Picinello, & Argelato laudatur, fatis cedenti Marchefonio in Oratoriam ejus cathedram successit. Servantur apud nos, Cod. eodem, MSS. Preces Bonacinae, quibus Senatum rogat, ut in *Marchefonii subrogetur locum*, itemque ejusdem Oratio in *Gratiarum actionem pro hoc docendi munere sibi concessio*. Tres Marchefonii epistolas MSS. continet dictus Cod. 260 ad varios datas, nempe ad Paulum Magium, ad Joannem Jacobum Restam, & ad Octavianum Magium, necnon Orationem, quomodo *Mediolanensi Civitati provisum sit de re frumentaria, ne ejus pretium in infinitum excresceret*. Ex his autem Marchefonii scriptis, epistolas infra evulgandas seligemus.

## EPISTOLA XXXIII.

FRANCISCUS BERNARDINUS CATIUS (I) NOVARIENS.  
ANTONIO PARENTI OPT. S. P. D.

ARGUM. *Studio se daturum operam spondet.*

FRANCISCUS Cicereius magister meus legit mihi tuas ad se literas; meque ad discendum cohortatus est. Ne dubites, pater optime, non fallam expectationem tuam; si modo Dei immortalis auxilio, tuo præsidio, & meorum magistrorum diligentia destitutus non fuero. Valè mi pater, & te, quod potes, etiam recordatione mei sustenta.

(1) Catorum, vel Cassiorum, italice *Caccia*, illustris Mediolani, Novariæ, atque alibi Familia est. V. Crescentium, *Ansticat*. Antiqua cujusdam Catii, aliorumque nomina præferens Inscriptio in porticu visitur Illustr. Marchionum Talentorum de Florentia, nuper ibi detecta, ut innuimus Vol. I. pag. 81. Sic autem se habet:

L . L  
 QVADRATVS  
 VI . VIR . SENA  
 SIBI . ET  
 RAIAE . L . ET  
 C . CAECILIO . C . L  
 MERKATORI  
 AMICO . ET  
 T . CATIO . T . L . ERO  
 AMICO

Legitur apud Gruterum, (a) Puccinellum, (b) Crescentium, (c) ubi de Cassiis, Merulam, Codice nostro 136. *de Familiis*, & Diamantem Marinorum *de Origine Urbis Mediolani*. Merula autem nos docet, repertam, effossamque fuisse Inscriptionem istam hic Mediolani prope S. Anastasie, nunc S. Francisci a Paula. Affert Inscriptionem hanc, eandemque explicat Cicereius ipse in *Monumentis ab Alciato prætermiſſis*, lib. 2. *Monumento* 2., ubi priora illa vocabula L. L explicat *Lucii Libertus*, atque ad litteram K in voce *Merkatori* adnotat, infuetum non fuisse in antiquis inscriptionibus, ut littera K vel sola, vel cum aliis latinis intermixta usurparetur.

(a) *Inscription.* pag. 492. (b) *Mem. ant.* pag. 25. (c) *Anfiteatro.*

## EPISTOLA XXXIV.

FRANCISCUS CICEREIUS GUIDO (1) MAGENTIO  
 LUDOVICI (2) F. S. P. D.

ARGUM. *De Fratibus ejus disciplinæ suæ alumnis nunciat.*

VIX indicæ fuerant publicorum munerum vacationes illæ, quæ sub Christi Natalem indici solent; cum continuo, quasi alioquin otiosus essem, sepulcrorum inscriptionibus, & nostrorum civium, & externorum orationibus, & epigrammatis obruor, in quibus corrigendis totus eram, quo tempore ad me tuæ literæ sunt perlatae. Quæ quam mihi gratæ fuerint, nihil dico: illud tantum dico, iis lectis, me omni illa molestia, quam ex aliorum nugis capiebam, levatum fuisse. Nec mirum: erant enim primum a primario adolescente non minus amanter, quam eleganter scriptæ; deinde ab ejus Senatoris filio, cui me multis nominibus plurimum debere, cum solvendo non sim, perpetuo profitebor. Itaque licet, quemadmodum intelligis, multis occupationibus distinerer, tamen non modo libentissime eas legi tum, cum mihi redditæ sunt; sed etiam nunc ad respondendum ita, ut inter tot puerorum; atque adolescentium turbas licet, animo gaudenti venio. Quod igitur Ludo-

X ij

vicus Magentius, pater tuus, vir clarissimus, Joannem (3) & Alexandrum, (a) fratres tuos filios suos, in disciplinam mihi tradiderit; gratissimum fecit. Cupiebam enim impensius mihi aliquam occasionem offerri, qua meam in hominem, de quamplurimis quidem, sed de me præsertim benemeritum, observantiam ostendærem; & verò spero fore, Deo bene vertente, quod agimus, ut vel tantum, quantum satis sit ad incundam graviorum studiorum rationem, per nos proficiant. Joannes ut natu Alexandro major est; ita ad audiendum, & ad discendum est attentior, tantum valet ingenio, ut *μονόγραμμα* picturæ genere quidvis imitando assequatur. Alexandrum paulò leviolem tenella, & mobilis ætas facit, bonus tamen est uterque; & dicto audiens uterque non solum parentis, tanti viri, sed etiam meo & custodis, qui, ut mihi quidem videtur, & modestus, & literatus homo, & magister est assiduus. Tu vero, Guide optime, pro comperto habeto, nihil me magis eupere, quàm ut possim aliquid dicere, aut facere, quod dignum eo sit, qui patri suo, qui vobis filiis tanto patre dignis, deditissimus sit. In quo, etiam me tacente, ipse pro eruditione tua, proque animi tui præstantia satis vides, opus esse multis, & in primis tua cohortatione, quæ vel eo nomine apud illos plurimum valebit; quòd vident, quantum ipse jam profeceris, qui elegantium literarum usum, atque eloquentiam cum juris civilis scientia pergas conjungere in ista ætate, in qua alii vix idonei sunt, qui apud magistrum ludi in declamando exerceantur. Te admirandum faciunt ingenii acumen cum præclara voluntate conjunctum, diligentia, & industria singularis, quibus fretus, patris sapientissimi exemplum tibi imitandum proponis; &, quantum video, ut eo & melior, si fieri potest, & præstantior, & major fias, eniteris, & contendis. Hoc, dum omnibus opibus, viribusque elaboras, ut efficias, fratribus tuis, quæ gradientur, viam non solum prætenso digito monstras, sed etiam ipse munis, & sternis; &, quò tendis, cum ipse perveneris, eodem eos vocabis. Cum igitur, maxime virtute adolescens, isto sis animo tam egregio, ut faveat tibi Deus, & sit adjumento, sicuti jam cœpit, in omnibus maximo, cum etiam atque etiam oro. Sed me, plura in hanc sententiam scribere volentem, illud reprimit, quod plane stultus sim, si te potius cohortari, aut inflammare, concitato cursu ad optatam metam properantem; quàm eodem tibi, tam præclare facienti, applaudere videar. De fratribus tuis, de quibus ipsis a me instituta erat oratio, quin mihi, & Cæsari fratri meo maximæ curæ sint, noli dubitare. Noli item dubitare, quin

(a) Archidiaconus fuit Templi Metropolitanæ. V. Sisonum *de J. PP. Coll.* pag. 173.

propter tuam non vulgarem commendationem aliqua ad nostram illorum curam fiat accessio. A me posthac vel coram, vel per literas plura de illis accipies. Nunc, cum non ita pridem ad nos itare cœperint, hæc dixisse satis sit. Vale Guide, lectissime adolescens, & familiam tuam jam satis illustrem tua ipsius virtute magis illustrare perge. Sic enim pater tuus, vir gravissimus, atque idem optimus, qui in te primum omnem domus suæ spem collocavit, quotidie magis magisque revirescet; & quod summis votis est optandum, vobis amicis, & patriæ diutissime vivet. Iterum vale. Mediolano, Kal. Januar. anno CIOCLXXX.

(1) Laudatur Guido Magentius, vel Mazenta inter Mediolanenses Scriptores. Inter alias hujus lucubrationes commemorat Argelatus quandam Epistolam ad Margaritam Austriacam Hispaniarum Regionem, quam extare inquit apud Jo. Andream Iricum. Porro hujus epistolæ exemplum aliud penes nos est, Jacobi Valerii caractere descriptum, Cod. 131. In Codice alio 228, pag. 135 inscriptio legitur, quæ reperta a Guidone Mazenta dicitur in propugnaculis portæ Tonæ, ubi subjicitur Hendecasyllabon Jacobi Valerii autographum in Mazentam inscriptionis repertorem, tum ejusdem interpretatio a Valerio pariter facta. En autem inscriptio:

C . MANLIO O . V . F . VET . LEGION.  
VIII . AVGVSTI . REPENTINVS

Guidonis Mazentæ sepulcræ elogium extat in S. Pauli Monialium, quod legere est apud Argelatum, & Sitonum. Inscriptionem aliam Guidoni in Scholis Palatinis posuit Ericius Puteanus, quam descriptam inspexi in *Horto Variarum Inscription.*, Salisburgi 1676. pag. 133.

(2) Ludovicus Mazenta Senator, & Præses Magistratus Extraordinarii commendatur a Sitono, (a) Joanne Baptista Sylvatico, (b) Julio Cæsare Gluffiano, (c) & aliis. Conditus jacet in Templo S. Caroli PP. Carmelitarum Excalceat., cujus inscriptio est apud Argelatum; alioque in monumento ejusdem fit mentio, quod visitur in Templo S. Mariæ Gratiarum, atque affertur a Sitono, (d) & Allegrandia. (e)

(3) Joannes Ambrosius Mazenta hic ab Argelato, Sitono, Morigia, Rampono, & aliis laudatus, Clericus fuit Regularis S. Pauli. Plura scripsit, inter quæ, *Discorsi due intorno a far navigabile il fiume Adda*, quæ MSS. duplici exemplo nos tenemus Codicibus 23., & 131.

(a) De J. PP. Coll. pag. 109.

(b) De Coll. Pbficor. Mediol. cap. 2.

(c) Centum Illustr. Narrat. pag. 47.

(d) Disto loco.

(e) De Sepulcris Christianis pag. 131.

## EPISTOLA XXXV.

DUCI VENETIARUM (a) S. P. D.

*ARGUM. Egestatem sublevari obsecrat.*

**I**LLUSTRISS., & Excellentiss. Dux, Ducum optime, Hieronymus Sebenicensis Ordinis Minorum Conventual., dum Mediolanum studiorum gratia properat, ab exulibus latrocinium exercentibus, omni pecunia spoliatus, & tantum non vita privatus, nedum male multatus, in hac Urbe omnium rerum egenus, supplex ad tuam clementiam confugit: orans atque obtestans, ut te sui misereat inopis; utque tuam liberalitatem illam summam, & toti Europæ admirabilem, ne clausam in se unum esse patiare, sed illius aliquam sibi partem tribuas. Qui si, quemadmodum sperat ac confidit, suam inopiam a te aliqua ex parte sublevatam esse intelliget, quæ potest, duo de se tibi pollicetur. Primum, quantacumque doctrinæ accessio fiet, eam tuæ erga se benignitati, liberalitatique acceptam feret; deinde tanti beneficii nunquam immemor, quotiescumque mane rem Divinam faciet, (facit autem quotidie) toties te Deo Opt. Max., & Jesu Christo, & Divis, Divabusque omnibus etiam atque etiam commendabit; ut te, quodcumque iveris, incolumem servant, & tibi omnia optata offerant.

(a) Is ipse facile fuerit, ad quem epist. superior pag. 149.

## EPISTOLA XXXVI.

CAROLO BORROMÆO CARDINALI S. P. D.

*ARGUM. Pro causa sua deprecatur.*

**P**ROXIMIS superioribus diebus, Illustriss., & Reverendiss. Cardinalis, per epistolium supplex conatus sum a te impetrare, ne gravareris causam meam, quæ sub Vitalonio, (1) Vicario Civili, erat iudice, ad Congregationem tuam ferre. Tu vero, ut es pius ac clemens, preces meas exaudisti. Ideoque Galerius, (2) Vicarius Generalis, id quod petebam, se facturum mihi promisit. Quod cum Vitalonius audivit, ægre tulit, & me ad sese accersitum, graviter increpuit; atque addidit, velle me omnino inferiorem esse in ea causa, faciam licet, &

quantum possim, coner: adjecit etiam insuper, quamvis opus non sit, velle tamen me æstimata lite multari, quare mihi iratus esse adhuc pergīt. Adversarius autem meus nequaquam humane patitur, quod controversiam omnem a Vitalonio Judice ad Congregationem averterim, & omnem lapidem movet, ut Vitalonius, non autem alius quisquam, sententiam ferat; idque ut impetret, adhibuit eidem Vitalonio supplices Civeis hujus Civitatis & nobilitate, & opibus, & gratia omnium primos. Quo fit, ut Vitalonius tantum illi faveat, atque in illum ita propensus sit, quasi res sua ipsius agatur. Porro Marcellus Castellonius, (a) J. C. adversarii mei sororis vir, exploratum habens, male actum iri cum affini suo, si de re Congregatio judicet; quid non tentat, molitur, facit? jubet sibi nominari unumquemque eorum, ex quibus Congregatio coalescit: mox singulos aggreditur, orat, prenfat, obtestatur, ut secundum se sententiam ferant, quin etiam adhibitis amicis, & clientibus omnibus, omne jus fasque pessum dare, quammaxime potest, conatur. Ego vero pro eo, ut mihi consulunt Patroni mei, viri illustrissimi, & omnis juris peritissimi, cum intelligam, omnia jura facere pro Ecclesia mea, denuo ad tuos pedes accedo, clementissime Pater, orans atque obtestans, ut per literas causam meam Galerio, Vicario Generali de meliori nota commendes; ut me, si æquum est, & bonum, tueatur. Et quoniam Vitalonius in adversarium, qui longe deteriore stat causa, atque omne jus oppugnat, ita propensus est, jube Pater, ut & controversia nostra cognoscatur, & lis dirimatur non per hunc, sed per Galerium, & Congregationem; quo multò melius meo quidem judicio justitiæ, atque æquitati consulatur. Ego tibi, Pater, permitto omnem rem, justo judici, ac domino rerum mearum omnium. Ego vero nihil moveor hac re; nisi quod me injuste tractari sentio, atque ea gratia auxilium tuum imploro, quod mihi, quemadmodum spero & confido, non denegabis; mancipii tui capiti manum imponens, atque illud, uti soles, protegens.

(a) In *Bibliotheca* Argelati est, obiitque 1584.

(1) In collectione epistolarum S. Caroli, quæ extat in Ambrosiana, tom. 16. p. 1. n. 75., epistola est ejusdem S. Caroli autographa ad Vitalonium Vicarium suum, Romæ data 1579. 18. Septembris.

(2) De quo vide Cl. Oltrocchum in vita S. Caroli pag. 485. In eadem collectione Epistolarum Ambrosianæ autographa una est Nicolai Galerii ad Cæsarem Specianum Protonotar. Apostolic., & duæ ad S. Carolum. Ejusdem Galerii *Evangeliorum per universum annum explicandorum ratio*, in 8. Colonix Agrippinæ 1588, & Brixix 1589 extant in Braydensi Bibliotheca. Præcedit ejusdem Epistola, cum esset Canonicus Patavinus, postquam Vicarium S. Caroli agere desiit.

## EPISTOLA XXXVII.

JULIUS ARCIMBOLDIUS (I)

JOAN. BAPTISTÆ ARCIMBOLDIO S. P. D.

ARGUM. *Libellum mittit.*

**N**UPER, ut mos est eorum, qui apud Rhetores in declamando exercentur, C. Feronium de cæde patruī accusatum defendi; eamque fictam causam non male egisse quibusdam non omnino imperitis visus sum. Itaque ejus orationis exemplum ad te, Joan. Baptista Arcimboldi, præstantis animi, summæque virtutis juvenis, mittere volui, meæ erga te observantiæ testem. Ego enim merito tuo tantum tibi tribuo, ut te omnium eorum, quæcumque & dico, & facio, judicem constituerim; quippe cui omnium mortalium maxime omnia mea probari cupio. Et id quidem non injuriâ; tu enim, quæ tua est humanitas, te mihi præsidio futurum, si modo me familia nostra nobilissima dignum, te ipso judice, præbuero, coram es pollicitus. Ego vero quotidie oro, & obsecro Deum, qui perennis, æternusque, unde manant omnia bona, fons est, ut te ad summum honoris, & dignitatis gradum brevi evehat; quod bonis omnibus & dignis, quibus te paratum esse soles dicere, & mihi etiam, qui majorum nostrorum vestigia persequi ardentem cupio, maximo sis adjumento ad illa comparanda, quæ hominem in cælum efferunt, quæque multò preciosiora sunt, quàm ædes magnificæ, ingentes agrorum modi, auri, argentique vis maxima. Gratissimum igitur mihi feceris, si, quid ocii a gravissimis occupationibus tuis nactus, hunc meum libellum percurrere gravatus non fueris, & cum ad Joannem Arcimboldium, patrem tuum, & eundem patruum meum, virum clarissimum, atque ornatissimum, more tuo pro tua consuetudine scribes; unum atque alterum versum de eo, quod de mea declamatione judices, addideris. Vale Arcimboldiæ gentis decus, & ornamentum; meque tibi etiam, atque etiam commendatum habe. Mediolano, XIV. Kal. Quintil. anno MDCXXXI.

(1) Filius Antonelli, & frater Guidi Antonii, & Nicolai. Vid. Sisonum, *Teat. Geneal. Cod. in Ambrosiana.*

EPI-

## EPISTOLA XXXVIII.

CAROLO BORROMÆO S. P. D.

*ARGUM. Curia abscedendi facultatem petit.*

**I**LLUSTRISS. & Reverendiss. Cardinalis, Carole Borromææ; morte duorum fratrum meorum, qui proximis superioribus diebus una cum uxoribus ex hac vita migrarunt, & tertii item fratris febre continua, cogor suppliciter rogare te, ut mihi liceat triginta dies abesse; intra quos dies, meos penates multis cum lacrymis repetens, consulam necessitati orphanorum octo parvulorum, qui omni penitus auxilio destituti, meam opem implorant. Est item opus mea præsentia ad conficienda alia negotia multa & magna, quæ illi ipsi fratres mei morientes reliquerunt implicita; & forte fortuna ita implicita, ut nesciam, an universa hieme quàm longa est, nedum triginta diebus explicari possint. Propter quod, si diutius, quam triginta dies, fortasse intelligam mihi illic commorandum esse; confestim Curiam, a te mihi creditam, resignabo tibi ipsi, Pater optime, cui, cum multò majori honore, quàm pro meritis meis fuerim cumulatus, tantum me debere, quantum nunquam possim dissolvere, intelligo. Neque enim ferre possim, ut mea cessatio licet necessaria, & curialibus meis, & meæ ipsius animæ sit fraudi. Quamobrem te iterum obtestor Pater, ut mihi mancipio, tuæ clementiæ deditissimo, spatium illud triginta dierum, quod dixi, concedas, ut potissimum orphanis octo, quod pium est, etiam alienis, nedum mei sanguinis, fratrum videlicet filiis, omnium rerum egenis, subveniam; in quo si mihi diutius, ut jam dixi, immorandum fuerit, dabo operam, ut omnia cum bona tua tanti viri gratia, & sine ulla Dei Opt. Max. offensione fiant. Quod si contra (quemadmodum spero, ac confido) meorum fratrum res intra triginta dies illos, quos peto, bene componi poterunt; me statim præsentem, & tibi paratum habebis, quo arbitrato tuo uti possis, ubicumque volueris. Interim Deum omnipotentem rogo, ut te pastorem gregis sui optimum, quamdiutissime servet incolumem. Mediolani, VI. Eid. Octob. MDLXXXI.

Tuæ Illustriss. & Reverendiss. D. perpetuo addictum mancipium;  
S, Maurilii Curio. (a)

(a) Nempe D. Jacobus Bebulcus. V. hic pag. 145.

Vol. II.

Y



## . E P I S T O L A XXXIX.

FRANCISCUS CICEREIUS DANESIO FILIODONO (I)  
 PHILIPPI AUSTRII HISPANIAR. REGIS ET MEDIOL. DUCIS  
 MAGNO SUBSCRIPTORI S. P. D.

ARGUM. *Deprecatoria pro stipendii augmento.*

**P**AUCIS ante diebus, quo tempore causam meam egi, adesse, & una cum Senatu eandem causam (quod maxime exoptaram) cognoscere tibi vir magne per maximas occupationes tuas non licuit; ideo ad te orationem ipsam misi, quam ad Senatum pro me ipso habui. Oro autem te per humanitatem tuam, & illum amorem singularem, quo in liberaleis artibus, & virtutes ipsas, quæ te in amplissimo consilio, & in altissimo gradu dignitatis collocarunt, afficeris: ut, si meritum esse me intelliges, me tuendum suscipias; curesque, ut ad præclaram Senatus in me voluntatem tua quoque magna, & in primis gravis auctoritas accedat. Quam ego fabulam jam fere peregi hoc tempore, in scenam unum & viginti annos antè, auctoritate tua freta, prodiit. Tu enim, vir præstantissime, (ut jam planius dicam) vel in primis Senatui auctor olim fuisti, ut me in Othonis Lupani, hominis doctissimi, publici interpretis, locum sufficeret. Sed enim Comœdia hæc mea non stetit, sed mota loco fuisset, nisi tu idem effecisses, ut, exacto uno & altero triennio, in loco mihi assignato præclare (quantum illa tempora ferebant) possem consistere. Neque vero ex eo tempore ulla commodorum accessio, licet infracto animo in tam multis laboribus, adhuc Dei benignitate, tam multos annos perdurarim, & perdurem, facta est unquam; nisi quod anno proximo superiori Senatus, cupere se mihi consulere, apertius significavit, nihil adhuc petente me. Nunc demum, acta ferme ætate, quintus quasi fabulæ actus, in quo magno opere elaborandum est, mihi restat. Hic vero nisi tertio auctoritas tua mihi sit, ne, ut inexercitatus histrio in extremo actu corruam; &, ne male rebus, existimationique meæ consulatur, verendum mihi sit. Quare age, ut soles, patrone magne, clientem tuum adjuva; me de meliore nota Senatui jam in me bene affecto, neque me promeritum neganti, commenda; ne deteriori conditione sim tandem post quinque & triginta, quibus privatim, post unum & viginti annos, quibus publice

docui, ac fuit statim Aonius Palearius, nihil dum de nostra civitate benemeritus effice. Cum Aonium Palearium dico, eum publicum explanatorem dico, cui primum collega additus novem annos docui; cujus deinde in demortui locum suffectus, jam duodecim annos erudiendæ juventuti præfui. Quod si feceris, hoc est, si me etiam hoc postremo tempore juveris; tuorum erga me meritorum memoriam neque meam, neque fratris mei, neque qui nunc causa studiorum abest, filii mei unici, neque posteritatis, si qua erit, meæ ulla unquam delebit oblivio. Ego vero Deum Opt. Max. pro magnis meritis in me tuis, quod possum, oro etiam atque etiam, & rogo, ut te Philippo Austro Hispaniarum Regi & Duci nostro potentissimo, & Mediolanensi provinciæ universæ tam diu servet incolumem; ut Francisci tui, egregii pueri, non filios modo, sed etiam nepotes videre, complecti, suaviarique possis. Vale, Placentiæ tuæ decus, & nostri Mediolani ornamentum. Mediolani, VII. Kal. Januar. anno CIOIOLXXXI.

(1) Alia ad hunc Italica epistola est in Cod. Belgiojof. Frater hic fuit Sulpitii, & filius Herculis, Senator Mediolani, Præses Magistratus 1569, & Supremus Cancellarius. V. Sionum, (a) Benalium, (b) & Christophorum Poggiali. (c) Amœnum Filiodoni viridarium, quod Mediolani possidebat, possidetque nunc March. Cagnola, memorat Bartholomæus Thægius, *Dialogo della villa* pag. 106, ubi una cum aliis viridarium etiam nominat Ludovici Brebbiæ, quod potissimum commendabat eximia fontis constructio celeberrimi opus Architecti Bramantis.

Filiodoni tumulus in Templo est Monialium S. Pauli cum sequenti inscriptione: (d)

DANESIO FILIODONO  
 PATR. PLACENTINO  
 SENATORI. PRAESIDI  
 CONSILIARIO. REGENTI  
 MAGNO CANCELLARIO  
 PROVINCIAE MEDIOLANENSIS  
 OBIIT ANNO MDXCI  
 AETATIS SVAE LXXXI  
 DIONISIVS FILIODONVS HAEREDES  
 POSVERE

Filiodoni MS. epistola ad S. Carolum in Ambrosiana habetur, (e) Dionysii Filiodoni, qui postremus ex hac familia fuit, obiitque 1739, elogium extat in S. Barnabæ.

(a) Dicto Codice Ambrosianæ.

(b) *Relaz. del Magist. r.*

(c) *Memorie di Piacenza*. Tom. 10.

(d) Ex Codice nostro 304. fol. 74.

(e) V. Cl. Jo. Baptist. Castiglioneum, *Sentimenti di S. Carlo intorno agli Spettacoli*, pag. 127.

## EPISTOLA XL.

AD SENATUM MEDIOLANENSEM

ORAT ATQUE ROGAT VOS P. C. SUPPLEX VESTER

*ARGUM. Supplices preces pro augmento mercedis.*

**F**RANCISCUS Cicereius, ut suas preces audiatis, &, quod petit, id si meretur, ut sibi concedatis, obsecrat. Se non solum autem annos amplius quinque & triginta continuos privatim sua voluntate; sed etiam unum & viginti publico vestro jussu juventutem Mediolanensem instituisse, commemorat. Etenim novem annos, Aonio Paleario a vobis additus collega nihilo prius illo diligentius quidem certe omnium sapientum judicio; reliquos duodecim annos, in ejusdem Palearii demortui locum a vobis eisdem suffectus. Meminit item probe, nihil unquam a vobis additum ad illam laborum suorum mercedem fuisse, quam ipsi ante annos quindecim quotannis tribuere cœpistis, nisi quod vestræ præclaræ voluntatis, ipso nihil petente, non parvam significationem anno proximo superiori dedistis. Quare post tam multos annos, quibus commodis vestris inservivit, quamdiu nullus neque publice, neque privatim saltem de publicis septemdecim interpretibus, quos ipse commemorare potest, vos rogat, ut se quoque vel iis præmiis afficiatis; quibus statim quosdam, tum primum Mediolanum appellentes, qui neque melius, neque laboriosius ipso vestros liberos docuerunt, affecistis. Nam vos rogat, ut sibi detis scutatos aureos octingentos; quot annuos (ut reliqua taceat) Philippus Maria Vicecomes (1) Dux vester, ante annos prope centum & quadraginta Francisco Philelpho dedit, non sexcentos (hoc est, si nunc contra rebus emendis æstimentur, mille aureos nummos & etiam octingentos); quot Gallorum proceres ab hinc annis quatuor & sexaginta Ludovico Cælio Rhodigino (2) dederunt; sed solos quadringentos, quam quidem mercedem statim vos ipsi, in hanc urbem venienti, & nihildum a vobis promerito, persolvistis Aonio Paleario, cujus primum collega, deinde successor, tamdiu, quamdiu dixit, & docuit, & adhuc docet. Quod si a vobis, P. C., quod nunc tandem rogat petitque, non poscit, licet haud indebitum, illud impetrarit (sicuti sperat ac confidit) supplex vester Cicereius, jam senio confectus, & non diuturnos fructus vestræ liberalitatis capturus, non solum istius facti vos sapientissimos homines nihil unquam

ut pœniteat; sed etiam, ut eodem facto vehementer perpetuo gaudeatis, se præstaturum pollicetur.

Data Joan. Mariæ Catanæ a secretis, & studiis præfecto, VII. Kal. Januar. anno CIOIOLXXXI.

(1) Postremi hujus ex Vicecomitum Familia Mediolanensis Ducis numisma æneum maximi moduli possidet D. Carolus ex Marchionib. Trivultiis, itemque cujusdam Anonymi opus, Codice pergameno in 4, eidem inscriptum, dedicatumque a quodam Venantio de Monticolo (fortasse Monticello). Operis titulus hic: *Libellus gloriosus de Passionibus oculorum*. Sciendum vero est oculorum hebetudine laborasse Philippum Mariam, atque etiam denique cœcum evasisse. Vide Jovium, & Decembrium in ejus vita.

Porro vita illa per Decembrium, quæ legitur apud *Rerum Italicarum Scriptores* Tom. 20. ex Codice pergameno desumpta est Bibliothecæ nostræ n. 48. Ad eundem Mediolani Ducem dedicatoria epistola est Galassi (a) Corrigiæ Comititis in sua *Historia Angliæ*, quæ in alio Codice membranaceo nostro habetur n. 69.

Codex alius 101 in 4, pariter pergamenus *Nuptiale Poema* continet Nicolai Gamberti de la Porta de Castro Viscontio, aliàs Arquato, in nuptiis Philippi M. cum Maria Sabaudienfi, atque hujusmodi Codex Ducalibus emblematis distinctus, ornatusque est una cum insignibus utriusque familiæ Vicecomitis, & Sabaudienfis.

Ex Mariæ Sabaudienfis matrimonio proles nulla Philippo Mariæ fuit; attamen eo defuncto 1447, ei in Ducatu successit Blanca Maria, (b) quam ei peperit Agnes Mayna ex nobilissima, & vetustissima Mayna gente orta. (c) De eadem vero Agnete Andreas Billia inquit: (d) *factus est enim (Franciscus Sfortia) mox, ut Mediolanum venit, gener Philippi haud dum nubili filia, quam ex concubina tulerat, nobili tamen Maynum Familia, utque sane nullo consensu adacta indigna esset quocumque turpi nomine*; atque, ut ex ejusdem Billiæ nostro Codice pergameno legitur, n. 239, *nullo suo, aut suorum consensu adacta, non minore apud eum honore, quam gratia habebatur*. Imo tanti eam fecerat Philippus M., ut Blancam filiam ab ipsa educari voluerit in oppido Abbiatograsso, usque dum viro matura evasit. (e) Hæc mihi summa cum humanitate tradidit D. Carolus ex Marchionibus Trivultiis, qui absolutissimam collectionem eorum, quæ ad hujus mulieris famam vindicandam pertinent, suis in schedis adnotavit, præfixitque Missali pergameno Ambrosiano, quod pro privato Sacrificio in Sacello dictæ Blancæ Abbiatigrassi

(a) Incertus hæreo, utri Galassiorum genti adscribendus sit hic Galassius; apud Claris. Tartarotum, & Todeschinum in Biblioth. Tirolensi pag. 590, lego magnam intercessisse familiaritatem inter Galassium & Franciscum I. Sfortiam. Num ex hac familia Tirolensi Mediolanum profectus Philippo M. jam adhæserat? aliquem scrupulum injicit intelligere hunc fuisse Corrigiæ Comitem. Num hoc Comitatu illum Philippus M. donaverat? At Corrigiæ Comites etiam sæculo posteriori floruerunt, &, ni fallor, ex Italica familia oriundi. Placet mihi vidisse Codicem in fol. apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultiis, in quo Galassius de Galassii a secretis Galeatii M. Sfortiæ plures epistolas Ducis nomine conscripsit. Hæc habeo, quæ de Galassio dubitabundus scribam, donec certiora documenta appareant.

(b) Simonetta *Histor. Franc. Sfortiæ* lib. 9, *Res. Italic.* Tom. 21. Col. 404. E.

(c) V. eundem *ibid.*

(d) *Mediolan. Histor.*, *Res. Italic.* Tom. 19. Col. 141.

(e) Simonetta, *Histor. Franc. Sfortiæ* lib. 15. anni 1448, *Res. Italic.* Tom. 21. Col. 498, & Decembrium in *Vita Philippi M.*, *Res. Italic.* Tom. 20. Col. 1000.

infernabat, Missamque continet, ubi speciatim de Blanca, & Agnete in Orationibus, & Præfatione fit mentio.

Agnes Mayna e vita migravit 14 69 mense Novembri, vel Decembri, quod non levibus conjecturis eodem loco adnotavit laudatus D. Carolus.

(2) Quem cum aliis præclaris viris, qui Mediolani doctrina excelluerunt, enumerat Cl. Franciscus Xaverius Bettinelli, (a) in iisque etiam Franciscum Cicereium nostrum laudat. Dum bellicæ turbæ Mediolanum infestabant anno 1521, de Cœlio Rhodigino tum hîc degente hæc scribit Bernardinus Arlunus, Cod. autographo apud nos 257: *Ludovicus Calius, cujus extant Lectionum antiquarum elaborata volumina, tormentulo pene trajectus lucubratoria sella sua in mortem periclitatus est.*

(a) *Risorgimento d' Italia* pag. 327.

## EPISTOLA XLI.

M. FANNIANO. (I) V. C. S. P. D.

ARGUM. *Cujusdam commendatio.*

**B**ERNARDUS Bertolius, (2) homo inter suos nobilis, apud nos doctrina, & versibus faciendis clarus; hic ipse, cujus opera nunc tuum poema (a) ad te redit, vehementer cupit tibi esse cognitus, & quæ tu magna cum laude scribere soles, legere. Ego (quod ad me attinet) obsequendum homini, æqua postulanti, cenfeo. Vale. Mediolani, 11x. Eidus Decemb. anno MDLXXXIV.

(a) Hoc sane poema Fanniani est *De Bello Arriano*, Mediolani 1604.

(1) In Scriptoribus nostris Mediolanensibus. Ad hunc Foliani epistola \* est, Baldini carmen \* in *Appendice* pag. 14, & plura item carmina \* Clivelli.

(2) Hujus etfi nomen, non tamen opera omnia in *Bibliotheca* Argelati, & Atheneo Picinelli. Ejusdem carmen \* *Super eventu pestis in urbe Mediolani*, dicatum Camillo Castilioneo J. C. eximio in lucem prodit anno 1587; potiora tamen ipsius opera MSS. adhuc servantur in Bibliotheca Princip. Belgiojosi, ut mihi ostendit ornatissimus vir, cui & alia multa debeo, D. Franciscus Roggerius ab epistolis, & a Bibliotheca Principis ejusdem. Hujusmodi sunt, primò *Triumphus Mediolani de peste ad Senatorem Brugoram*, cujus operis hoc est initium:

*Hactenus afflictam, durisque laboribus atram  
Carminè luctifono, Brugora, deflevimus urbem.*

Secundò autographum Poemation italicis versibus 151 constans, Gofelino nuncupatum; demum *Carmen de Otio, & Labore ad Alphonsum Mozonium*.

FRANCISCUS CICEREIUS, RHETOR APUD MEDIOLANENS.  
LECTORI S. P. D.

**J**ACOBUS Bosonius Placentinus annum integrum meus fuit auditor; seque cum frequentem tamdiu in nostro gymnasio, tum attentum auditorem mihi præbuit. Inde hunc ipsum juvenem modestum, moribus cultis ornatum, nulli nocentem, omnibus quibus potest beneficentem, cum noverim, his, & multis aliis de causis carissimum habeo; ejus causa omnia volo, & cupio. Ideo mihi visus est dignus, quem redeuntem in patriam, hoc meo testimonio prosequerem, ex quo, illum talem, qualem dixi, me magistro usum, elegantioribus litteris operam dedisse appareret. Mediolani, Eidib. Decembris. anno MDXXCV.

JOANNIS PETRI MARCHESONII

EPISTOLA I. (a)

PAULO MANUTIO S. P. D.

*ARGUM. Officiosa, simulque obsecratoria epistola, qua Manutium rogat, ut diutius Mediolani consistat.*

**E**ORUM, qui amant, vitia multa esse, non ignoras. Sed illa sunt certissima, ut morosi sint, & inconstantes. Idque, quod sequuntur affecti, aliud semper quærant, quasi quod appetierint, eo numquam contenti sint. Quod futurum est, id jam adesse vel præteriisse potius cupiunt. Ubi præteriit, revocarent illico, nisi hoc unum esset, ἐκ τῶν ἀδύνατων (b). His ergo vitiis ut laborem, facit amor incredibilis quidam in te meus. Nihil me tristius fuit quatuor abhinc mensibus, cum adventaret hyems, cujus turpissimam faciem soleo maxime omnium exhorrescere. Alios nescio, ego certe miser sum dies & noctes, vita mihi acerba est, vel potius vita vix est vita, cum in frigoris hos morsus incidisse me video, cum viæ ita corruptæ sunt & impeditæ, ut pedem domo efferre non liceat. Itaque nihil mihi longius fuit, quam ut attri,

(a) Hæc, duæque sequentes epistolæ in nostro Codice extant 360, uti monui pag. 162.

(b) Ex impossibilibus.

& tenebricosi hujusmodi dies præterirent, veris, & quasi reviviscentis Mundi species aliqua rediret, recrearetque me cæli purioris adspectus ille jucundior, quo illectus ex urbe tanquam ex carcere evolarem, Villulam meam viserem, & obirem, ut hac hilaritate tristitiam hyemis condirem, miseriam illam expuerem, denique me mihi totum restituerem. Ecce autem piget me, & pœnitet, quod non longe absit tempus illud optatissimum. Quid ita? Inaudivi te Favonio infusurrante a nobis discessurum. Vellem hac hyeme exeunte, altera nos multo etiam longior, multoque asperior exciperet hyems. Sic enim putarem fieri posse, ut etiam tres ipsos menses, & eò amplius apud nos esses. Ego autem ille hyemis antea inimicus, hyemis statim fierem amicissimus, ejus incommoda bellissime ferrem, quæ, quantacumque sunt, tua unius consuetudine, tuis illis sermonibus, quos sæpe regulare liceret, facilè compensarentur. Sunt hæc, scio, optanda potius, quàm speranda; sed ego propterea non valde reprehendendus, imo verò nullo modo reprehendendus, si illa de te fingit mirus amor. Quamquam idem me jure ab hac cogitatione inani certe, sed mihi tamen jucundissima, ad rationem illam traducat, quam si tibi probare possem, nihil mihi deesset ad solidum gaudium. Hem suavissime Manuti, constitisti Mediolani tristissima, & sædissima hyeme, amicis non modo postulantibus, sed flagitantibus. Quid causæ est, cur lætissima, & formosissima anni tempestate non consistas? Quamquam hoc omnino par est; velim Mediolani sedem ita loces, nihil prorsus ut de migratione cogites, sed id quod reliquum est vitæ apud nos agas. Obsecro te, des hoc humanitati tuæ, a qua omnia omnes impetrare solent, des principibus viris, qui te in oculis ferunt, des universæ Civitati, quæ te quasi de cælo delapsum existimat ad eloquentiæ viam errantibus ostendendam. Apud Capram es, (a) qui libentissime suas omnes curas in te consumit, quo ut nihil nobilius, ita ne tui quidem amantius excogitari quidquam potest. Permagni putat ad suam laudem interesse. Tantum ne? majus quiddam est, beatissimum se putat; cum hoc percrebrescit, te apud se diversari. Huic tu homini ut unquam molestus sis? Absit omnis prorsus suspicio. Nihil omnino se habere putat, quod non sit tuum, nihil tam divinum, & cæleste, nihil tam suum proprie, quam excipere, & toto animo complecti hospitem, & veterem amicum. Sed inepte fortasse ego hæc ad te de Capra, quem multos jam annos, ne de facie quidem notum, ob multas divini ejus ingenii suavitates, exquisitam

(a) Id fuit anno 1572. V. Zenum, *Notizie intorno ai Manuzi*.

quisitam doctrinam, singularem sapientiam mirifice dilexisti. De quo item in omnibus tuis scriptis, quæ omnis posteritas admirabitur, & obstupescet, fecisti sæpe, & facis quotidie mentionem honoris plenissimam, testem certe singularis cujusdam tuæ in illum benevolentiam, ut non mirum sit, ita illum in te animatum esse. Ut ut tamen est, hæc mihi dictavit amor, cui cur ea neges, quæ honestæ petitionis speciem habere videntur, non sane video; gratissimum certe nobis feceris, si vel facilem te præbueris ad ea, quæ petimus, vel certe, quæ te causæ nobis erepturæ sint, significaveris. Vale.

## EPISTOLA II.

JO. PETRUS MARCHESONIUS

JO. JACOBO RESTÆ (I) S. P. D.

ARGUM. *Responsoria, ubi plura in obsequii significationem, ac laudem.*

MAGNA est omnino vis amoris, atque ita magna, ut iis etiam, quos unice diligimus, interdum subirascamur, si quid ab iis omissum existimamus, quod nos avidissime expectabamus. Atque hujusmodi irantum abest, ut reprehendi possit, ut omni etiam commendatione digna videatur: est enim tota amabilis, quia tota amoris facibus incensa; itaque non ira proprie, sed amoris quædam perfectio, atque absolutio potius appellari debet. Quod eò ad te scribo, ut intelligas, quid me superioribus diebus impulerit, ut subiratus ad te scriberem; nam cum a me initio epistolæ tuæ petis, ut iram remittam, illud certe petis, ut te minus amare incipiam. Quod certe facere non debes, sed gaudere potius meum in te amorem ejus generis esse, ut ei nihil jam addi posse videatur. Cum enim per locorum intervalla, tua mihi consuetudine frui non liceat, non possum, mi Restæ, non possum, crede mihi, sine summa animi cura, & sollicitudine literis tuis carere. Quamobrem, cum tam multa mihi dederis, illud quoque da, atque largire, ut vel literarum officium a te non desiderem, vel earum expectatione ita angar, ut voces interdum emittam indices cupiditatis, testes benevolentiam in te meæ. Sed tu hac de re quid statuas, ipse videris; mihi certe nondum cœpit displicere consilium meum, quo sum adductus, ut literas ad te dederim, aculeatas quidem illas fortasse, sed ejusmodi tamen, quæ tam bellam, tam elegantem vel elicere, vel extor-

Vol. II.

Z



quere potuerint epistolam, cujus lectione etiam iterata ita delectatus sum, ut non tua scripta legere, sed tecum loqui, tuas voces audire mihi sim visus. Obsecro te, mi Restæ, perge in ista scribendi ratione, quæ tibi viam ad gloriam munit, quæ tibi & amorem, & honorem ab omnibus conciliat, quæ pro te aliquando prehensabit. Minime multi sunt æquales tui, qui istam literarum quasi lautitiam, & splendorem assequi potuerint; ipse te tua jam sponte excitatum incita, tecum ipse certa quotidie, ipse te vince, non semper in villa tanquam in tenebris habitabis; in urbe, idest in clarissima luce propediem vives, redibis ad pristinam consuetudinem tuam, revises amicos tuos doctrina, & eloquentia excultos, in sermonibus, in scriptis tuis elucebit ingenii tui lumen, facile ostendes non male te bonas horas collocasse. Sed quid ego hæc ad te honoris avidum, & laudis appetentem? Gratulatione magis quam cohortatione mihi tecum utendum video; sed Parentibus tuis aliquando præsens præsentibus potius, quam tibi nunc per literas gratulari malo. Itaque hæc de te fatis sint. De me non dubito, qui tuus est in me amor, quin aliquid intelligere cupias. Brevi igitur sic habeto: superioribus diebus cum ad te scripsi, in villa Baregiana (2) eram, non ita multò post profectus sum Mediolanum, ubi vel domi meæ amicos excipiens, vel ab amicis exceptus, fatis jucunde xx. dieis ipsos traduxi; ne tamen solida hæc esset hilaritas, effecit tum deformata Civitas, quæ olim una omnium pulcherrima fuerat, tum fides angustior, quam in eis esse comperi, qui mihi pecuniam debent. Itaque qui Mediolanum exigendæ pecuniæ spe plenus, & prope inflatus iveram, idem, ubi ne teruncium quidem exigere potui, redii in Baregianam villam cum stomacho, quò simul ac veni, admonuit me meus in te incredibilis amor, ut ne diutius deberi tibi literas meas paterer, quæ etsi nihil tale habent, quod te valde delectare possit, tamen, quia tibi, ut opinor, si non præbent, at certe non præripiunt rescribendi argumentum, peto a te, ut quo animo eas ego ad te mitto, eodem tu accipias. Cum autem ego nihil libentius faciam hoc tempore, quam ad te scribere, quòd tecum, quasi colloqui videar, dum ad te scribo, debes tu quoque literas meas libentissime legere, ut utriusque nostrum par voluntas, & mutuus amor esse videatur. Vale, & Equiti Restæ (3) dic nomine meo S. P.

(1) Ex Illustri Mediolanensi Familia, filius Joannis Baptistæ, & Blancæ Seronæ, factusque in Palatinis Scholis eloquentiæ Professor anno 1601, a Picinello, & Argelato commendatus, necnon Sitono, Puricellio, (a) & aliis.

(a) *Dissert. Nazæar.* cap. 158. n. 11.

Epistolam, cujus autographum penes me est, ad Jacobum Restam dedit Justus Lipsius, Lovanii Kal. Aprilis 1602, referturque hæc in *Centuria 4 Miscell.* Ejus epistaphium in S. Eustorgii habetur; legiturque apud Puccinellum, (a) & Allegran-  
tiam. (b) Ad Joannem Baptistam Restium distichon Baldini extat. (c) De Joanne Jacobo Resta seniore hujus, de quo hic dictum (d), avo lege, si lubet, Hieronymum Cardanum *de Lib. propr.* p. 88, ubi extremam ejus ægritudinem fuse enarrat.

(2) Baregiana ad Plebem, ut ajunt, seu Metrocomiam oppidi Corbettæ pertinens, præclara tunc temporis erat Villa, quod eruditi viri frequenter confluebant de rebus litterariis veluti in academia pertractaturi, Hieronymo Borserio (e) teste (*Supplim. della Nobil. di Mil.* c. 12). In Diplomate anni 814 asservato in tabulario Monasterii nostri, quod nonnulla ibidem prædia possidebat, Baregiæ mentio occurrit, quæ in Diplomatis aliis subsequen-  
tium temporum modò Baradigium, aut Bataradeglum, vel Baradeglum nominatur.

(3) Eques Aurelius Resta, Dominus Catri Novilii. Ita ex actis Collegii in cooptatione Jo. Francisci Restæ ejus filii 1621. Aurelius ex eadem fuit Familia Jo. Jacobi, ad quem hæc epistola, utpote descendens a Francio communi stipite. V. Siton. *Teatro Geneal.*, Cod. in Ambros.

(a) *Mem. ant.* pag. 94.

(b) *De Sepulchr. Christ.* pag. 93.

(c) In *Lusibus* pag. 112.

(d) Ex Actis Colleg.

(e) Borserii liber autographus in 4 amplioris formæ, Argelato, & Mazzuchellio ignoratus, est apud D. Carolum ex Marchionibus Trivulsiis, nempe *Aforisimi delle Imprese, Lezioni Accademiche.*

## EPISTOLA III. (a)

JO. PETRUS MARCHESONIUS OCTAVIANO MAGIO (I)  
ORATORI S. P. D.

ARGUM. *Injustam alterius de se querimoniam ostendit.*

AUDIVI e Ferrario, quid iis literis, quarum testimonio Baldinus (2) contra me usus est, contineretur, quod quidem, quia prorsus idem est cum eo, quod Baldinus ipse mihi objecit in jurgio, veterem meam suspicionem perspicue confirmat, cum jurgii tum literarum eundem esse auctorem, cujus tu nomen, qua es modestia, reticuiisti, scilicet eum nobis ignotum esse vis: non repugno, lites feri non placet, concedo. Sit ergo per me quidem ignotus omnibus, nedum mihi. Ego, Magi clarissime, Ferrarium, Capram, Cruceium mihi amicissimos, egregieque virtutibus ornatos, quodque caput est, bene de me meritos, ac merentes laudavi, in quo grati hominis functus sum munere, cum illis, qui me sæpe beneficiis provocarunt, & si re non possem, verbis

(2) Quæ in Cod. nostro autographa est, atque ita visa etiam Argelato.

tamen gratiam retuli; addidi etiam, ubi se in tuam familiaritatem dedissent, fore ut ex eorum sermonibus fructum, multò quam ex aliis, uberiorem caperes. Ac ne in isto quidem, quantum audio, literarum incertus auctor a me dissentit. Quid igitur est, quamobrem amici tui animus tantopere offenditur? An eò fit, quia complures alios, de quibus dicere debebam, silentio præterivi? Certe hoc præscertim commentitia ejus fabula. Grave mediis fidius peccatum, si doctorum omnium, quos habet Patria mea, longe plures, quàm quos iste colligit in literis, quas ad te misit, instituta fuisset a me commemoratio; sin autem non hoc mihi proposui ab initio, sed aliò spectavit mens mea, eò videlicet, ut doctorum virorum, qui & sæpenumero mihi profuerunt, & benevolentiam mihi tuam conciliarunt, virtutes tibi uni prædicarem, non equidem video, cum illi sint tantummodo, de quibus prædixi, quid sit causæ, cur de tribus volenti dicere, de omnibus dicere sit necessarium; aut igitur nihil a me peccatum est, aut si quid est, leve admodum est, hujusmodi certe, ut indignum sit ea re mihi gravius quemquam irasci. At enim hæc epistola Venetias ad amicos perferetur; ita Ferrarii, Capræ, Crucii unius notum fiet nomen, ignorabitur ceterorum, & erit obscurius. At huic malo non difficile inventu remedium est, obsecro te, Magi clarissime, meam mihi epistolam remitte, eam si accepero, ita confringam diligenter, ut nunquam possit emanare. Quod si denegas, & in mittendi suscepto consilio permanes, mihi pro tua facilitate des velim, ut ad eorum numerum, quos ille nescio qui in meam epistolam addi vult, Hieronymum Montium Senatorem, (3) & Julianum Goselinum, (4) cui Princeps (5) noster credit arcana, Damianum item Arrigonium, (6) & Cæsarem Millefantium (7), utrumque græce publice docentem e loco superiore, & Barnabam Piliascum, cui primas in Mathematicis nostri jure deferunt, & Gasparem Bugatum (8) scriptorem historiarum uberem, ac nitidum per amanuensem tuum cures adjungi. Neque omiseris Philippum, & Carolum Pirovanos (9) græce, latineque doctos ex Sigonii disciplina, neque horum patrum Masfæum (10) pariter eruditum. Quod si doctos omnes, quicumque hic sunt, nosse concupieris, Cæsar quoque Carnagus (11) librorum helluo, memoria singulari, & alii præterea in eis duo adolescentes Cæsar Rovidius (a), qui magnos progressus habet in Peripateticis, & Aloysius Terzagus, cujus perelegantem epistolam una cum mea accipies, in horum numerum erunt recipiendi, quibus quidem contenti sumus in præsentia,

(a) De quo in Oratione de Barthol. Ferrario.

fatis enim ex his liquet correctorem istum, . . . quem Intri (12) natum (id Oppido nomen in ora Verbani lacus) inaudivisse mihi videor, ex eruditorum copia, quæ Mediolani magna est, non minus multos, quàm ego per errorem præterire. Cura ut valeas, meque ut facis amare perge. v. Nonas Martii.

(1) Octavianus Magius, Venetiis claro genere ortus J. Consultus eximius Reipublicæ Venetæ hîc Mediolani Orator, itemque humanioribus litteris plurimum ornatus, nonnulla opera typis edidit. Vide Foscarinum *Letterat. Venez.*, & Tiraboschium *Lett. Ital.*

(2) Bernardinus Baldinus medicam artem professus, necnon politioribus litteris delectatus in Mediolanensium Scriptorum serie celebratur a Picinello, & Argelato. De eodem fuse egit Morigia, (a) Ghilinus (b), ac denique Jo. Alexand. Brambilla (c). Carmina \* quædam in ejusdem laudem leguntur apud Morigiam (d). In Codice Archivi Belgiojof. elogium MS. continetur Andreæ Alciati per Bernardinum Baldinum Isellanum; in Cod. vero Bibliothecæ nostræ, n. 260, Baldini carmen extat in laudem Lucilii Terzagi, quod, cum vulgatum hæctenus mihi non constet, non pigebit hîc in medium proferre.

*Cum tibi, Lucili, nomen pater indidit, alto  
A celo tactus, commonitusque fuit,  
Namque nitere nova sensit te luce, suumque  
Augeri lumen splendidiore tuo.  
Haud falsus, quoniam juvenis tua cæpta coloras,  
Luminibus possint quæ decuisse virum.*

Jacet Baldinus in Templo S. Bartholomæi, elogio adjecto, quod Cæsar Milesantius confecit (e).

(3) In litteratis Mediolanensibus enumerant Picinellus, & Argelatus; variæ ipsius lucubrationes nondum exploratæ, minimeque ab Argelato indicatæ partim MSS., partim etiam impressæ servantur in Bibliotheca Princip. Belgiojofii. MSS. autographa hæc sunt: Epistola \* ad Andreæ Alciatum Mediolani 13. Mart. 1538, Epigramma \* ad eundem, aliudque \* in ipsius opus: Oratio \* habita primo suæ Senatoriæ dignitatis confessu, ubi epigramma adjungitur Joannis Baptistæ Cerronetti Causidici Mediolanensis; Oratio \* in funere Annæ Austriacæ Hispaniarum Reginæ habita 6. Octobris 1581; Epigramma \* ad Antonium Comitem, de quo Vol. I. p. 103.

In eadem Bibliotheca videre etiam licet carmina varia Hieronymi autographa, quorum tamen aliqua typis excusa \* occurrunt, adjectis emendationibus partim manu ipsius Montii, partim per quendam Bebulcum. Ibidem quoque plures sunt epistolæ autographæ Francisci Alciati ad eundem Montium.

Hieronymi Montii carmen \* in funere Joannis Baptistæ Rafarii, legitur post Orationem Archilei Carcani in ejusdem obitum, Mediolani editam 1582, tum ipsius Carcani ad Montium epistola \* dedicatoria Orationis *de Felicitibus studiorum auspiciis*, una cum oratione alia impressæ.

(a) *Del Lago Maggiore* cap. 13.

(b) *Teatro de' Letterati* parte 2.

(c) *Stor. Fisic. Med. ec.* Tom. II. Parte I.

(d) In dicto capite.

(e) Vide Argelatum, ubi de Baldino.

Pariter epistola \* est Christiani Lazari ad Montium, aliaque ad ipsum dedicatoria \*, quæ duas Orationes præcedit Camilli Sclafenati, Ticini excusas 1579; itemque orationem Montii \* pro Joanne Baptista Terzago a Montio habitam 20 Januarii 1547 possidet D. Carolus ex March. Trivultiis.

Varia Hieronymi Montii sepulcralia elogia Manuscripta extant in Archivo nostro Codicibus 246 & 259, atque in alio olim Comitum D. Pauli Montii, nunc hujus hæredum, eaque varii illius ætatis docti viri confecerunt, nempe Carolus Sigonius, Guido Mazenta, idemque Franciscus Cicereus, ut ex epistola italica liquet ipsius Mazentæ ad Princivallum Montium consobrinum suum, ac Hieronymi patrem, Mediolani Cremonam scripta 25 Martii 1598, quæ in dicto Archivo habetur, ubi cum aliis inscriptionibus ea etiam, quam confecit Cicereus, atque autographa quidem extat, quæ hujusmodi est:

*Hieronymo Montio Princivalli fil. J. C. in Colleg. Mediol. cooptato viro probitate, comitate, eloquentia multis magistratibus sancte gestis claro, Regio Senatori optimo, patriæ tam amanti, ut præsertim anno pestilenti MDLXXVI. sanitatis Præses ejus salutem suæ prætulit incolumitati, mortuo VIII. Kal. Jun. anno ætatis LXXI. salutis MDLXXXII. Anna Castellconia uxor marito Princivallus, & Joannes Baptista filii Patri B. M. F. C.*

Cæsar Montius, & M. Antonius inter se fratres, nepotesque Hieronymi ex hujus fratre Princivallo progeniti in *Bibliotheca* Mediolanensi apud Argelatum laudantur. Cæsar Montius Mediolanensis Ecclesiæ Antistes, & S. Rom. Eccl. Cardinalis fuit, cujus præclara gesta quibusdam in scriptis exponuntur, quæ extant in Codice nostro n. 142. Pinacothecam suam, in quam plurimas, easque celebriorum Pictorum tabulas congererat, Archiepiscopus Mediolani in perpetuum futuris dono dedit. Exemplar Instrumenti donationis, quo picturæ omnes describuntur, continetur in Archivi nostri Cod. 219.

(4) Julianus Gofelinus Romæ natus, & ex Nicæa Liguriæ oriundus, de quo Ghilinus (a), Augustinus ab Ecclesia (b), Argelatus (c), Picinellus (d), & Tiraboschius (e). MS. ejusdem opus possidemus, signat. n. 96. *Congiura di Piacenza contro il Duca Pier Luigi Farnese*, caractere Jo. Baptistæ Blanchini. Gofelini epitaphium est in Templo S. Mariæ Servorum, quod Ghilinus, & Argelatus describunt. Ejus operibus vulgatis, quæ recenset Argelatus, addendæ sunt epistolæ \* plures, quæ ipsius extant in collectione epistol. per Bartholomæum Zucchi (f), Venetiis 1595, itemque ipsius epistolæ duæ \* inter alias per Bernardinum Pinum collectas, Venetiis 1582. Ad eundem pariter aliquod Baldini, & Clivelli legitur carmen \*.

(5) Nempe Ferdinandus Gonzaga, cui a secretis fuit Gofelinus, cujusque italicam vitam litteris mandavit Mediolani cusam 1574.

(6) Oratoriæ artis in Palatinis Scholis Professor, quo in docendi munere collegas habuit Franciscum Cicereum, & Petrum Marchesonium. Ita ex Precibus Terzagi ad Senatum, Codice nostro 260, & Argelati *Bibliotheca* pag. 858.

(7) Inter Scriptores Mediol. apud Picinellum, & Argelatum, qui ejusdem Epitaphium, quod olim extabat in Templo S. Mariæ Scalensis, afferunt. Medio-

(a) Teatro parte 1.

(b) Catal. de' Scritt. Piemont. &c.

(c) Scrittor. Ester.

(d) Ateneo.

(e) Letterat. Ital. Tom. 7. part. 3.

(f) Hujus MS. epistola servatur in Biblioth. Ambrosiana inter epistolas S. Caroli.

lani humaniores litteras professum fuisse Millefantium me docet Oratio Lucillii Terzagi in *Laudem Linguae Graecae*, Cod. n. 260 Bibliothecae nostrae, ubi sic lego: *Julius Caesar Gluffianus Jurisconsultus, Caesar Millefantius, Theophilus Carentius, Robertus Francinetus; qui omnes non sine aliquo honore utramque linguam docent.*

(8) Bugatus patria Mediolanensis fuit, alumnus Ordinis Prædicatorum, & Civitatis nostrae historiographus; ejus cum laude meminerunt Auctores *Bibliothecae Ord. Prædicatorum*, Argelatus, Picinellus, Ghilinus, Fontanini (b), & Mazzuchellius (c). Monumenta aliqua ex Archivo Conventus Eustorgiani, ubi religiosam vitam professus est, Bugatus, & Prior electus anno 1585, mihi suppeditavit P. Allegrantia, ex quibus ea discimus, quæ ad ipsius mortem, & tumulum spectant. Obiit is 15 Kal. Majas 1588, sepultusque ad clathros parvi Sacelli SS. Angelorum sub choro illius Basilicæ, quod Sacellum vivens ipse fieri, & exorari curaverat, teste concellita ejus synchrono P. Francisco a Valle, pag. 37 suæ continuationis chronici illius Conventus ab eodem Gaspare Bugato confecti; utrumque opus MS. ibidem servatur.

(9) Inter se fratres, filiique Jacobi J. C. Colleg. & Senatoris, quorum memoria in binis monumentis est in Templo S. Mariæ Passionis (d). Pirovanum Carolum vide apud *Scriptores minoris notæ, ac prætermittos* apud Argelatum. Præter eum, de quo in hac epistola, Philippum Pirovanum, Philippus alter filius Joannis Francisci Pirovani eadem ætate eruditione clarus floruit, quem pariter in eadem Scriptorum classe enumerat Argelatus, atque hujus præterea numerosa habetur in *Mazzuchelliano*.

(10) Massæus Pirovanus inter Quæstores Ordinarios lectus a Carolo V., aliisque in muneribus versatus, cujus memoria extat in publico monumento in Æde S. Mariæ Passionis (e). Ad hunc legitur Foliani latina epistola, atque italica Lucæ Contilis.

(11) Jo. Antonii filius (f). Ex hac de Carnago familia claruit sæculo XIV. Joannes ille unus ex III. Optimatibus, qui Consilii Decurionum Mediolani nomine, fidelitatis juramentum præstitit Jo. Galeatio Vicecomiti, exinde Mediolani Duci (g).

(12) Vera itaque docent Picinellus, & Ghilinus, qui Intram Baldini patriam esse scripserunt, potius quàm Bartholomæus Curtius, Lazarus Augustinus Cotta, Argelatus, & Mazzuchellius, qui Sunæ natum eum existimarunt, ac nescio cur illud Baldini, carmen, de quo adnotatione secunda hujus, inscriptionem præferat Baldini Isellani. Sane tria loca hæc Intra, Suna, Isella propinqua inter se sunt, ad eandemque oram occidentalem Verbani lacus posita. Attamen verum Baldini natale solum Intram fuisse ut credamus, præter Marchesonii epistolam, suadet etiam Pauli Morigiæ synchroni autoris testimonium, *Descrizione del Lago Magg. cap. 13.*

Præterea Baldinus ipse in *Lufibus, de Verbano, & Insubride* inquit:

*Me genuit, Pogiane, tuæ contermina ripæ.*

Pogianum autem Sunæ natum esse, inquit Morigia laudato libro cap. 15.

(a) Teatro.

(b) *Eloquenza Ital.*

(c) *Scrittori d' Ital.*

(d) V. Sison. *de J. PP. Colleg.* pag. 149.

(e) Vide eundem pag. 107., & 149.

(f) Ita ex Stemmate Genealogic. ejusdem familiæ.

(g) V. Sison. *De J. PP. Colleg.* pag. 37., *Corium Storis di Mil.* part. 3. an. 1388, alioque.



**FRANCISCI CICEREII  
ORATIONES QUATUOR**

**DE MONVMENTO MARMOREO  
PAVLO MANVTIO ALDI F.  
MEDIOLANI FACIENDO  
AD  
MEDIOLANENSEIS**

***ORATIO PRIMA.***

***Vol. II.***

**A a**







**F**RANCISCUS Cicereius donat, dicatque hoc, quidquid est libelli, de Pauli Manutii monumento, generatim Insubrium Senatui, quem ab eodem Manutio sæpe ornatum fuisse divinis, & veris laudibus scit; &, cui ipse jam pridem se, suaque omnia, tanquam divino Numini, consecravit; nominatim tribus viris omni egregiæ virtutis laude cumulatissimis, Senatoribus sapientissimis,

LUDOVICO MAGENTIO  
 SCIPIONI SIMONETTÆ (1)  
 HIERONYMO MONTIO

qui Manutium ipsum tanti fecerunt, ut illum Mediolani ab amico (2) liberali hospitio acceptum, & crebro invisere, & muneribus non dubitarint afficere. Quibus optime de se quoque meritis, cum nunquam satis pro merito gratiam neque suo, neque Manutii nomine se relaturum confidat, Deum Opt. Max., Divos, Divasque omnes, quod potest, precatur; ut una cum Ordine gravissimo universo, & Ordinis principe amplissimo Joanne Baptista Raynoldo, cum toti provinciæ, tum ipsi maximæ patriæ salvi & incolumes diutissime conserventur; utique liberi eorum, excellentis ingenii adolescentes, mirifica virtutis indole præditi, sapientiores etiam quàm ætas ferat, ejusmodi denique, ut sit cur quis de illis speret ea, quæ summa sunt, sint florentes & beati, &, si fieri potest, parentibus etiam ipsis præstantiores.

(1) Laudant Morigia, Sitonus, Crescentius, Horatius Landus, atque etiam Argelatus in *Scriptoribus Mediolanensibus*; hujusce avus (a) fuit Cicus Simonetta Calaber inter *Scriptores Exteros* ab eodem Argelato relatus. Infelicis exitus acta, quem tam præclarus hic, atque excellentis doctrinæ vir habuit, manuscripta a nobis servantur, Cod. membranaceo n. 154.

(2) Bartholomæus Capra Manutium Mediolani domi suæ excepit anno 1572. Ita ex Manutii epistolis 3., & 4. libri XI. Vide etiam hic pag. 176.

(a) V. Crescent. *Anfr.*

## O R A T I O. (a)

**L**ICEAT mihi, viri Mediolanenses, hodie antiquum orandi morem non retinere, & nihil dicere de meo labore, & prope quotidiana docendi exercitatione; sed quasi a perpetuo meo cursu in commemorationem magis accomodatam huic tempori, & confessui, vobis, quemadmodum spero, non molestam, digredi. Tædet fere eadem, & eodem fere modo quotannis dicere; molestius est, fere eadem quotannis audire, quæ tamen a nobis effici satis intelligitis, licet hæc nulla sollemni oratione persequamur. Et græce, & latine ex hoc loco ferme quotidie docemus; quæque ad dicendi doctrinam, & eloquentiam ferunt, vias tradimus. Dies, noctisque nihil aliud meditamus, cogitamus, molimur, agimus, quàm, uti liberos vestros ita expoliamus, ut hinc digressi, magnos magnarum artium Magistros habere possint; ut literis primum eos ad humanitatem informemus, deinde ad excellentem liberalium disciplinarum cognitionem iisdem aditum aperiamus. Hoc dixisse satis est: hoc verum esse comperiet, quisquis volet. Sed exponam breviter, quid causæ sit præterea, cur in præsentis uti velim genere dicendi, quod a veteri consuetudine abhorreat. Proxime, cum Kal. Novembris, atque hunc ipsum diem appetere intelligerem; eram intentus, & infixus hac una in re, ut aliquod argumentum excogitarem, quo, anniversariis nostri Gymnasii feriis exactis, apud vos dicens, uterer. Jam repereram propemodum, quod volebam; quodque erat huiusmodi, ut efficerem id, quod hic ipse dies a me postularet: hoc est, ut cum ineuntis anni laboribus proximas superiores explanationes aliquo modo jungerem; & eorum, quæcumque docuissent, quæque hoc ipso anno docturus essem, vobis rationem redderem; simulque hæc omnia cum aliqua non vulgari disputatione connecterem, quod alacriores, & erectiores animo auditores haberem in posterum. Neque verò habueram in extremis illam orationis partem, in qua vobis, qui & ipsi ingenio literisque præstatis, & de ingeniorum literarumque præstantia judicare potestis, quique (ut breviter dicam) primarum artium viri principes estis, huc delectis, atque advocatis, quibus præsentibus, optimis auspiciis ea gererentur, quæ hodie inchoantur, gratias, quas possem quidem, agerem, haberem autem certe maximos, atque immortales; quod auditoribus meis (iis dico, qui mihi quotidie operam dant) frequens conspectus vester animos addidisset. Quam quidem orationis partem neque

(a) In Codice nostro n. 49. extat caractere conscripta Jacobi Valerii.

nunc a me omiffam fuiſſe, a vobis pro veſtra humanitate plane cupio exiſtimari. Appuleram igitur animum ad inventum, atque excogitatum argumentum pertractandum; & jam inſtitutum opus eò perduxeram, ut illius ad abſolutionem pauca mihi deeſſe intelligerem. Inde ea mihi aggredienti, quæ ſcriptis mandaeſſem, aliquo modo expolire, ecce divini hominis, & ad literas exornandas, ad expoliendum humanum genus nati, Paulli Manutii, omnis elegantiae patris, idolum ad pectus advolat; ab illo, quo ferebar impetu, revocat, & quodam modo jubet paullisper conſiſtere. Tum viſus ſum ipſe me graviter increpare, quod, qui meritò viventem Paullum maximi ſemper feciſſem, nulla ne minima quidem ſignificatione mortuum adhuc me amare palam oſendiſſem; quodque mei in hunc amoris viſ illa ſingularis tam in brevi ſpatio evanuiſſe, atque mihi ex animo effluuiſſe potuiſſet videri. Acris hæc cogitatio, ita vivam, viri Mediolanenſis, animum ſic affecit meum, ut ſtatim conſilium repudiarem, quod prius intenderam, & mihi aliquid de Paulo commentandum, & auditoribus meis quamprimùm impertendum eſſe putaverim; quin immo graviter doluerim, quod acerbo illo nuntio de politiſſimi hominis, virique omni genere virtutis excellentiſ. obitu, circiter xvii. K. Maji nobis Roma allato, de communi ea omnium Literatorum calamitate publice deplorandi, & conquerendi (quo ad me ipſum attineret) datus non fuiſſet locus. Sed tamen me illud conſolatum eſt; quod agendi de monumento marmoreo, Paulo Manutio Mediolani faciendum, nondum amiſſum eſſe tempus arbitrarer: quam ego quidem dicendi occaſionem ſi amiſiſſem ſciens, nefarie me peccatum eſſe arbitrabar. Ignoscent igitur mihi præclari viri Manes; & qui meum funebris laudationis officium aliquot menſibus ante forte deſiderarunt, meam conſtruendi, exornandique ſepulcri curam (quemadmodum ſpero, ac confido) hoc certe tempore non rejicient. Atque hoc illud eſt, quod me conſilium mutare coegit, quodque mihi hujus ſermonis attulit cauſam.

Fingite igitur animis, viri Mediolanenſes, (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, iis quidvis poſſe depingere videtur noſtra mens) fingite, inquam, nuper mihi vos negotium dediſſe, atque imperaſſe; ut honoris, & religionis gratia tumulum Paulo Manutio Mediolani faciendum curarem. Fingite item, me nunc accitu veſtro vocatum, hic aedeſſe; atque adeo ejus monumenti formam, quæ mihi viſa fuerit optima, quæque item viſa maxime convenire, explicare, & (quod certe re ipſa facio) ante oculos exponere, non reprehendetis, opinor, conſilium hoc meum: novi benignitatem veſtram, novi gratum animum

vestrum & liberalem. Quin immo spero fore, ut nos adjuvetis; atque ad eum exitum, quem optamus, rem cupiatis perducere. A me vero potissimum in Paullum mortuum debet aliquid officii proficisci; quia, præterquam quod pro susceptis tam multis laboribus debeo illi communi nomine, ut alii elegantiorum literarum studiosi, me seorsim amavit, & suam in me benevolentiam elegantissimis, & nunquam intermorruris scriptis declaravit. (a) Cujus quidem beneficii memoriam, si gratus, id est, si vir bonus esse volo, ut certe volo, nulla unquam deleri oblivione patiar; sed meum in eum amorem, quoad vivam, tuebor, eique mortuo officia, quæ potero, accurate præstabo. Quare non est mirum, viri Mediolanenses, si sumpsi mihi hoc ipse, ut, vestro tamen etiam omnium nomine, illi mortuo honorem hunc haberem. Tantum autem abest, ut hoc ego potissimum sumpserim argumentum, quia sperem, me in eo pertractando plus posse, quam alium quemquam; ut plane verear, ne de Manutii sepulcro agens, illum terra iterum obruere videar: atque id plane mihi accidat, quod Poeta ille summus inter nostros lyricos, scriptum reliquit evenisse Alpino (b) malo poetæ, qui, dum Memnonem in suo ipsius tentorio jugulatum fuisse refert, atque id quidem facit imperite, Memnonem iterum jugulasse dictus est. Quod si me tamen hac in re tanta vires defecerint, si eam assequi dicendo nullo modo potero, quod mihi par voluntati facultas non suppetat, & quod suscepi, præstare non liceat; non tam virium imbecillitas vituperanda, quam voluntas laudanda fuerit, quæ me adduxit, ut rem tantam aggrederer. Sunt enim præclari conatus, etiam si non succedat, & voluntati exitus non respondeat; siquidem egregia cupientem, aliqua vel ex hoc ipso, quod cupit, gloria consequitur. Inde proditum a sapientibus viris legimus, nunquam male poni industriam præstantibus in rebus; quod laudetur vel sine re voluntas.

Primo tabulam omnem marmoream, Manutii monumento destinaram, adhibita ratione dimensionis, certas quasdam in partes dividam; deinde divisam, iis notis & signis, quæ sepulto apte convenire visa fuerint, ornabo; simulque singulorum ornamentorum rationem reddam. Ad hæc ornata, apposito epitaphio inscribam; postremò, inscriptum quidquid fuerit, explicatione persequar. Sic fiet: dimensio ut ab ornatu, ornatus ab inscriptione, inscriptio ab explicatione illud, quod debet, lumen accipiat; & ego totam sepulcri constructionem, quantacumque, & qualiscumque fuerit, oculis vestris, viri Mediolanenses, subijciam.

(a) Declaravit, puta, in epistola ad eum scripta, quæ inter impressas est decima libri 10.

(b) De quo Horat. 1. *Satyra* 10.

Multa nimis, ac magna polliceor: sed fretus prudentia vestra, hoc facere audeo; vestro nixus iudicio, vobis ipsis confisus, hanc provinciam cepi. Si vestrae benignitatis aura in cursu hujus sermonis instituto me deficiat, hærebo; neque jam potero, quò intendebam, sine ope, auxilioque vestro pervenire. Sin vos præstantes viri, quibus, nostra quæ sunt, maxime probari cupimus, qua estis doctrina, hoc opus nostrum inspicere, & studiose contemplari volueritis, nosque adjuveritis, præclare nobiscum agetur; & Paulo tandem, si minus quem debemus, at quem possumus, honorem persolvemus. Tantummodo hoc consilium est, & forma operis instituti, quasi ex argilla, cerave facta; in quo si quid peccatum fuerit, vos quæso me monere ne gravemini: stabimus vestro iudicio, quod semper fecimus maximi. Vestri est hoc officii: vestro etiam nomine illud ipsum quodcumque institui, facio. Quod eo dico, quia, si quid cuiquam vestrum tollendum videbitur, tollemus: aliquid contra quis vestrum addendum putabit, addemus: quidquam mutandum, mutabimus: iudicabit quis transponendum; non modo patienti, sed etiam libenti animo transponemus, atque insuper monitori maximas gratias habebimus. Agite optimi viri igitur, æquis, & attentis animis audite meam de Manutii monumento sententiam; & a ceteris curis feriat, mihi non plus duabus horis dicenti, vacuas aureis præbete. Vos appello Cives, elegantium literarum, & politioris doctrinæ amantissimi, atque iidem studiosissimi; ab iis Parentibus, & majoribus procreati, qui Musas usque in sinu ferentes, eas fovere, nedum amplexari nunquam destiterunt. Sed prius, quam ad ea venio, quæ proposui, cum, quod magis urgeat, sit nihil; videtur illud esse refutandum, quod a quibusdam reprehensoribus jactari audio, ut hoc errore sublato, rem plane, de qua dicturus sum, videre possitis. Negant, vestra benignitate, & hac nostra commentatione opus esse; quod iusta Paulo Romæ soluta sint, ejus mortui Manibus factum sit satis: tumulus pro hominis dignitate Romæ item, non inanis, non verbis tantum descriptus, non ei tantum honoris, & religionis causa positus; sed verus, sed reipsa, sed qui corpus ejus contegat, fuerit constitutus. Non adeo hæc a me Paulli studioso, amante, observante, eò dicuntur, quòd putem, eum a tanto filio, & ceteris amicis hominibus eruditissimis, atque humanissimis destitutum, insepultum, infletum, atque illaudatum jacere; cum præsertim Romæ, ubi tam multa virtutis suæ documenta dedit, in omnis videlicet amplitudinis, religionis, sanctitatis luce, extremum obierit vitæ diem. Non opinamur, aut putamus, sed certò scimus, ac pro comperto habemus, doctissimos illos

homines, atque in primis Aldum filium, hoc ipso patre, & avo dignum, fuisse nihilominus officiosos, quàm esse debuerunt. Immo verò aliorum studium nos maxime, qui Manutio multis nominibus effemus obligati, excitare debuit languentes, non modò potuit ad curandum, ut etiam in hac urbe florentissima, Roma videlicet altera (1), in qua amicorum, virorum clarissimorum, & deditorum studiis præstantissimarum artium, partim usus hospitio, partim consuetudine, familiaritateque delectatus, non pauca, eaque præclara commentatus esset, de eone fileretur. Quicumque igitur nos de hoc consilio criminari, quàm opera juvare malet; is, si modo civis noster est, parum gratus, quàm una nobiscum officiosus esse malet; quid, quod idem etiam se indoctum, & imperitum esse ostendet? constat enim, veteribus in more positum fuisse, quod non omnino improbatum adhuc est a nostræ religionis hominibus; ut tumulos inaneis, (2) honoris & religionis tantum gratia iis, quorum memoriam summa cum benevolentia sanctissime, ac religiosissime colerent, facerent, quæ res summorum virorum exemplis multis, si sit opus, comprobari potest. Monumentum igitur hujusmodi & nos Paulo Manutio, de nobis vel optime merito, Mediolani facere cogitamus. Primum quidem omnium (ut redeam illuc, unde divertii), quod ad Manutiani sepulcri constructionem pertinet, quantum, deinde etiam quale illud esse velimus, exponamus, ut dimensum, atque in suas partes divisum exornetur, inscribatur, & interpretatione denique explicetur. Sit igitur tabula marmorea candidi coloris, ex Larii, vel Verbani lacus lapidinis petita; quæ quidem in longitudinem pedes novem, in latitudinem treis, in altitudinem pedis dimidium pateat. Ex nostris lacubus, non autem aliunde, lapidem  
peti

(1) Legi potest Joannis Pauli Mazzuchelli *de Mediolano Roma altera* dissertatio adversus Antonium Gattum, qui ejusmodi appellationis decus Ticino, non autem Mediolano attributum fuisse contenderat. Extat in priore collectione operculi Philolog. Venetiis tom. 8. Vide etiam Sizonum *de J. PP. Coll.* pag. 138, ubi multorum in eandem rem Scriptorum testimonia affert. Id ipsum denique attigerunt Scriptores duo in Codicibus Bibliothecæ nostræ; Codice 260 Anonymus quidam in latina, eaque eleganti *de Mediolanensi urbe* descriptione, & in Codice 228 Jacobus Valerius in italica erudita epistola *de Magnificentia Neapolis, & Mediolani urbium* ad Philippum IV. Hispaniarum Regem, ac Mediolani Ducem, Matrili scripta 10. Julii 1631.

(2) Qui cenotaphia, aut honoraria, seu imaginaria sepulcra dicuntur, cujusmodi illud erat, quod Deiphobo erexit Æneas, ut in illo *Æneidos* 6.

*Tunc egomet tumulum Rhæteo in litore inanem  
Constitui...*

peti volo, & alia etiam, quæ huc pertineant omnia, ex nostris regionibus omnia; ut, nostris, ac domesticis, non alienis, aut externis opibus nixi, majorem in mortuum amorem declarem. Alioquin quis nescit, Genuenses, (1) si forte iis innotuerit, Lunense marmor effodi ad Manutii tumulum, quantum voluerimus, muneri nobis Mediolanum usque missuros? adeo universa illa Civitas, Liguriæ, atque adeo Italiæ flos, ipsum Paullum amavit, coluit, observavit. Hujus, quam dico, tabulæ, ab artifice probo complanatæ, ubi latera ad lineam, sive mavultis amussim directæ, anguli ad normam respondentes fuerint exacti; eandem sic universam in regiones treis secari velim, ut extrema cujusque regionis lyfi, vel sima, & regula terminentur. Omnium earum regionum maximam, infimam, summam, minimam, mediam, summa majorem, infima minorem esse statuo. Maxima lapidis regione inscriptio, minimâ symbola quædam, mediâ ipsius Manutii effigies, atque ejusdem artis indicia capientur. Nostræ commentationis ordo hoc postulat, ut a mediæ regionis descriptione incipiamus, deinde dicturi de summa, ut tertio loco infima pars, in qua epitaphium, reservetur. In media marmoris regione, hoc est, loco maxime illustri, velim Paulli ipsius effigiem humerorum, & pectore tenus exprimi: partim non sic, ut, quemadmodum fere in nummis, alteram tantum oris partem conspiciamus; sed, quasi Hermem spectatoribus adversum, intueamur: partim contra, ut, quasi ea, quæ in nummis cernuntur, non multum emineat, atque extet; quemadmodum placet etiam alia, quæcumque in hoc tumulo sculpenda sunt. Id quod multò magis expedit ad temporis diuturnitatem; quàm si Hermes, aut stylobatæ imponatur, aut super cippo statuatur. Atque hanc ipsam imaginem ita summo ingenio expressam, & politam, ita factam eleganter artificio non vulgari esse cupiam; ut veritatem egregie simulatam dicere possitis; utque etiam literarum rudes, quibus de facie fuerit notus, Manutium in marmore statim agnoscant. Si mos antiquus, & jus vetus maneret adhuc, legendam censerem certam nummorum summam (2) iis, in quorum tu-

(1) Singularis fuit erga Paulum Manutium studii, & observantiæ significatio Matthæi Senaregæ Genuensis, qui & Reipublicæ Dux postea renunciatus fuit. Is octo mensibus cum Paulo Manutio Venetiis moratus est, ut docta ejus consuetudine frueretur. Cum verò in patriam esset remeaturus, secum deferre voluit pictam illius imaginem, quod & alii exteri præstitierunt. Vide *Museum Historicum* Joannis Imperialis.

(2) Mos hic Romanorum erat, & Græcorum, de quo videri possunt Gruterus, & Muratorius in *Inscriptionibus*. Hujus generis inscriptio, quæ legatam ad  
*Vol. II.* B b



tela Manutianum monumentum esset perpetuò, in certa quædam florum, & coronarum genera, quibus quotannis idem sepulcrum statis hyemis, veris, æstatis, autumnî diebus & perfunderetur, & ornaretur. Verum, hyeme si placeret magis floribus accersitis aliunde, quàm nostrati fronde cohonestari; suaderem, plusculum sumptus faciendum in lectissimos flores, ex perpetuo tepenti, & vel tota hyeme, & omni tempore anni omni herbarum genere viridanti, & florum omnium varietate nitenti, Genuensium litore petendos. Quod si nobilissima hæc civitas id audiret; an vero, cui (quod ante diximus) marmor dono daret, flores suo Manutio denegaret? Sed, quoniam coronandi, & conspergendi sepulcri mos occidit, neque amplius retinetur, utar permisso; quo significem, hunc honorem florum, ac coronarum, si cuiusquam Manibus habendus sit, cuius nomen vigeat, ac floreat, huic uni homini potissimum perpetuo habendum esse. Simulacrum Manutii cinget, atque ambiet corona, in marmore cælo præclare expressa, & ex nostro præscripto diligenter elaborata. Quatuor corona toris distinguetur, duobus superne, & totidem inferne e regione inter se oppositis; quatuor intervallis æqualibus inter se interjectis. Quatuor coronæ toros efficient aves, in fertis quasi colludentes; symbola quædam, certæque quatuor anni temporum notæ. Singula intervalla, aut certe coronæ membra, iis floribus textentur, qui ea parte anni, quam proxime præcedens avis significat, conspici solent. Erit ergo ad dextram imaginis partem in corona pro toro frigilla, hyemis typus, quam insequentur lauri folia cum baccis, ederæ foliis, atque corymbis permixta, quibus percommode intexi poterunt myrtei ramuli, quod hæc omnia perpetuò vireant, & hyemis vim, licet maximam, contemnant; & a Pauli facultate etiam condendorum carminum (1) amabilium, lyricorum, & heroicorum, non sint abhorrentia. Insequetur hirundo veris prænuncia; atque hanc ipsam veris deliciæ, violæ, iris (2) index eloquii,

id pecuniam testabatur, extabat olim in propylæo Templi nostri S. Ambrosii, referturque a Morigia (a), & Puccinello (b).

(1) In *Synopsi chronologica Vitæ Pauli Manutii*, auctore Joanne Gottlich, quæ unacum ipsamet vita præfixa legitur ejus epistolis Lipsiæ, & Francofurti 1720. *Pocissim non infelicitè Manutium tractasse* asseritur, ex epistola 16. lib. 6. Simile quidpiam adnotavit Borrichius *de Poetis* Dissertatione 3. Comm. CVI. Duo tantum, quæ mihi quidem consent, impressa sunt carmina Pauli Manutii, hæcque habentur inter *Carmina Illustrium Poetarum* tom. 6.

(2) Iridem herbam eloquentiæ symbolum esse, vide in *Hieroglyphicis* Joannis Pierii Valeriani. De Sedi, Croci, Amaraci, Amaranthi, aliorumque symbolis, vide Picinellum *Mondo Simbolico*.

(a) *Hist.* pag. 601. (b) *Mem. ant.* pag. 54.

rosarum suavissimum ex se se odorem afflantium decus, quibus omnibus coronæ membrum, supra Paulli caput flexum, expleatur. Tertio in loco spectandus erit cuculus, ætatis nota: atque ideo tertium coronæ membrum partim liliis, partim cyânis, partim amaraco Phrygio constabit. Ficedula autumnò nobilis, ac frequens, a sinistra imaginis parte, spectatoribus se offeret; subjectumque effigiei postremum coronæ membrum, crocum, codiaminum, amaranthus immortalitatis signum, contexere facile poterunt.

Ad sepulti imaginem accedere debent ipsius artis, quam vivus facitaret, indicia. Ad dextram igitur erit acervus libròrum, quorum quidem libròrum ex habitu, hoc est, compactione, vel conglutinatione alios Græcos, alios Latinos, alios Etruscòs esse appareat; ad sinistram verò delphinus, anchoræ implicitus, quod signum, usque ab Octavio Augusto acceptum (1), a primo Aldus senior ad ingenuas artes, ad liberales disciplinas augendas, amplificandas, exornandas transtulit. Quod deinde symbolum, a Patre acceptum, Paullus sic expolivit, & illustravit; nihil ut hoc insigni toto terrarum orbe sit notius. Postremò idem insigne sic acceptum, & illustratum jam mirandum in modum, Aldus junior, Paulli vera proles, nepos non minus virtute, ac diligentia, quam ore, ac nomine avum referens, quasi eodem, unde olim sumptum fuerat; eidemque reddens, unde acceperat avus, in ipsius Maximiliani Cæsaris Augusti aquilæ sinu collocavit (2), ut eo signo nihil in suo genere jam gloriosius, nihil jam angustius esse possit. A summa demum corona, effigiem Paulli sapiente, duæ faces, vel lam-

(1) Nam, ut inquit Svetonius de Augusto, nihil minus in perfecto Duce quam festinationem, temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat:

... σπεῦδε βραδέως,

Ἀσφαλῆς γὰρ ἐς ἀμείνων, ἢ δραστὺς στρατηλάτης.

*Festina lente (a), providus enim melior, quam temerarius Imperator.* Sane Delphinus celeritatem, anchora significat cunctationem. Jam vero Delphinus anchoræ implicitus in nummis cernitur Titi Vespasiani. V. Pierium in *Hieroglyph.* Nec absimile symbolum in nummis etiam Augusti conjungere Monetarii. Nummum enim quendam Augusti exhibet Carolus Patinus ad eum Svetonii locum, in quo nummo parte una Augusti facies, ex alia terminus, & fulgur: ille, quo nihil tardius, quippe alis, manibus, pedibusque carens; istud quo nihil, ut patet, celerius.

(2) Plures hoc insigniti stemmate Aldi Junioris visuntur libri. Circa vero aquilam hæc leguntur verba: *Ex Privilegio Maximiliani II. Imp. Cæs. Aug.*, de quo privilegio mentionem fecit Apostolus Zenus, *Notizie intorno ai Manuzi.*

(a) De quo multa Erasmus in *Adagiis.*

B b ij

padēs digredientur, duorum copiae cornuum speciem referentes; quarum altera festivae librorum copiae, altera delphini anchoram complexo impendat, ut ingenti quodam lumine, & miro splendore haec, atque illa illuminentur. Qua quidem ratione vel Manutiani nominis claritas, vel illustrandi bonas artibus summum studium, & ardor significatur quidam amoris.

Summa sepulcri, tabulaeque marmoreae regio, ut longe, quam proxima, est & exigua magis, & minus multo patens; ita ejusdem est facilior multo, quam proximae partis explicatio. Continet, uti praediximus, symbola tantum quaedam, ad quae, ubi descripta fuerint, lumen explanationis volumus adhiberi; ut, quod ornat, atque expolit, idem etiam bene moneat, ac proficit: quorum utrumque monumentum, & praesertim viri clari monumentum adposcit magni, atque eximii. Ac mihi primum quidem volenti Manutii praecipue eloquentiam aliqua non inepta ratione significare, non parum multa, eaque diversa occurrerunt. Delectum adhibui, neque quidquam ad id aptius mihi visum est Sirene, quae a sapientioribus pro hieroglyphico eloquentiae, felicissimaque persuadendi vi ponitur; quae, ut caetera missa faciam, non modica amplitudine in ipsius Isocratis sepulcro (a) pilae triginta cubitorum imposita fuit, ad eloquentiae suavitatem ostendendam. Quis porro jucunditatem Isocratis ipso Manutio planius expressit? Immo quis non novit divinam hominis hujus in dicendo suavitatem? qui, cum in omni genere magnus omnino sit, in hoc maxime videtur excellere, homo ad excolendum hoc genus factus. Vera esse, quae nos dicimus, indicat illud; quod tanta cum voluptate, tamque jucundo sensu hujus oratio in legentium animos illabatur; ut vix quidquam percurrere coeperis, cum jam ad illius finem sine labore ullo pervenisti. Hanc summam igitur regionem mediam Siren, singulari opere, egregioque artificio perfecta insigniet; quae tum lyssi, regulaeque, tum corona interposita Manutii ipsius capiti impendat. Sireni apposti sunt duo Tritones inter se aversi, marinam concham pro tuba inflantes; qui famae celebritatis cuiusquam sunt argumento. Inter utrumque Tritonem, supra Sirenem, globum, sive sphaeram expressi; extensae per universum terrarum orbem, famae typum. Jam vero in extremo angulo dextro est Solis, in sinistro imago Lunae novae, & nunc primum renascentis; signa, ad perpetuitatem, atque aeternitatem spectatoribus ostentandam, valde apposita. Supra, quem dixi, globum, apparere volui Stellam; animi immortalis, apotheosis, divinitatisque hoc est, defuncti jam hominis, in co-

(a) V. Plutarchum, & Philostratum in *Vita Isocratis*.

lum recepti, & cum Deo conjuncti, indicem. Quicumque hospes igitur, civisve, sacrarum notarum, quibus Ægyptii, aliæve nationes usæ sunt, non imperitus, ad hanc tabulam spectator aliquando accesserit: antequam in imam partem oculos deflectat; quasi jam legat, ac non potius hæc rerum imagines contempletur, hujus summæ regionis vim omnem paucis complectetur hoc modo. Is, cujus hic tumulus est, orationis dulcedinem ad expoliendos, atque honestandos homines adhibens, celebritate famæ universo terrarum orbi notus fuit, immortalitati nomen suum commendavit; & id quod caput est, in cælum se extulit, ubi beatus ævo fruitur sempiterno. Ubi verò idem oculos, animumque adjiciet ad sepulti imaginem, facile fieri poterit, ut, cujus sit, agnoscat, ex coronæ certe, & sertorum structura, textuque intelliget, eum virtutis ergo dignum esse, cujus imago omni tempore anni perpetuo recentibus, lectissimisque floribus redimiatur, nomen vigeat, memoria immortalis reddatur, fama crescat in omnem posteritatem, verarum denique laudum ita semper gloria floreat, ut nunquam exarescat. Admirabitur idem hominis effigiem, qui cura, studio, industria, vigilantia, assiduo labore, græce, latine, & etrusce scripta, monumentis mandata, emendarit, explicarit, exornarit, in omnium conspectu posuerit; atque ea ratione se, suamque domum, ac familiam illustrarit. Atque hæc antequam postremam tabulæ partem inspiciat, ad quam constituendam, describendamque accingor: ex qua, si quid in proximis duabus desideraverit, si quid obscurius visum fuerit, aut minus planum; plane intelliget omnia. Simulacris enim mutis, quasi vocem addet lapidis literata pars hæc infima, & inanimata quodammodo animabit; & pæne etiam imperitis ea, quæ volumus, indicabit, & communiter, atque eadem voce loquetur cum omnibus. Hæc enim omnia, quæ dicta sunt, cum in pauca conferimus; & in brevi spatium, animoque percurrimus, quasi oculis perlegentes omnia, non videmur tertiam monumenti partem, in qua literarum tantum notæ insculpendæ sunt, aliter, quam hoc pacto absolvere debere. Verum paullisper manetê Cives optimi. Cum *hoc pacto* dico; hac quidem sententia, sed aliis verbis dico: id est, elegantissimis; quibus multos e vobis abundare certo scio, quorum judicio, ac facultate hoc a me institutum opus cupio perpoliri. Itaque nos priores interim, quicumque sumus, & quantumcumque dicimus, Manutii sepulcrum inscribamus, nostramque inscriptionem, cuicumodi est, recitemus. PAVLLO MANVTIO . ALDI . F. ALDI . IVNIORIS . PATRI . QVI . LIBERALEIS . ARTEIS . OMNEIS . PRAETEREA . PHILOSOPHIAM

MEDICINAM . IPSAM . DENIQVE . THEOLOGIAM . HARVM .  
 DOCTRINAR . MONVMENTIS . GRAECIS . LATINIS . ETRV-  
 SCIS . E . TENEBRIS . ERVTIS . EMENDATIS . ILLVSTRA-  
 TIS . IMPRESSIS . DIVVLGATIS . PERPOLIVIT . OMNEM .  
 ROMANORVM . ANTIQVITATEM . ALIQVOT . LIBRIS .  
 COMPLEXVS . EST . ET . QVOD . MIRVM . EST . SVA .  
 AETATE . MVLTO . PLVS . SAPIEBAT . ET . MVLTO . ME-  
 LIVS . SCIEBAT . SENA . DICENDO . EXPRIMERE . QVAM .  
 ALIQVOT . ETIAM . EORVM . ROMANOR . QVI . IN .  
 IPSO . IMPERII . R . FLORE . SCRIPSERVNT . QVO . POTIS-  
 SIMVM . NOMINE . PRINCIPIBVS . ETIAM . VIRIS . CARVS .  
 VIXIT . MEDIOLANENSES . BONARVM . ARTIVM . STUDIO-  
 SI . OPT . DE . SE . ET . OMNIBVS . LITTERATIS . ATQ .  
 ADEO . DE . OMNI . GENERE . HVMANO . MER . PVBLICE .  
 F . C . ANNO . MDLXXIV. Audivistis, & attendistis, opinor, viri  
 Mediolanenses, quæ sint ea, quæ, ubi a vobis expolita fuerint, in  
 Manutiani monumenti infima tabula literis incidi velim. Ea verò, ut  
 melius multò intelligi possint, ac ne quis in eis uspiam hæreat; fa-  
 ciendum mihi videtur, ut quorundam tantum locorum rationem red-  
 dam. Nam omnium si velim, cum nimis longo sermone eos morarer,  
 quos auditores habeo; tum viderer nullam habere rationem eorum,  
 apud quos dicerem. Dico apud doctos homines; & eos quidem, quos  
 nequaquam docere malim, quam meorum dictorum Iudices sumere.  
 PAVLLO . MANVTIO . Est tumulus hic inanis; qua de re initio quos-  
 dam reprehensores monui, quod genus Græcis est cænotaphium, ho-  
 noris præsertim causa factum: quem quidem honorem homini in di-  
 cendo divino, deque nobis optime merito tribuere multis nominibus  
 debemus. ALDI . F. Paullus patrem habuit hunc hominem, de cælo  
 lapsus. Hic ille est, qui novam artem librorum imprimendo descri-  
 bendorum, maximo cum omnium hominum commodo a Germanis pri-  
 mum inventam, atque excogitatam, ab aliis per manus acceptam, ma-  
 ximo labore, ac studio, nec parva impensa sic expolivit, ut tantum  
 accesserit ad illam ornatus, elegantiae, dignitatis; quantum ne conabor  
 quidem verbis explicare, sensu ipso vix, atque mente comprehendo.  
 Hic ille est, qui artem hanc ipsam veterum monumentorum e tenebris  
 in lucem vocandorum, atque imprimendorum, a qua ceteri honestan-  
 tur, nobilitavit sua ipse virtute. Hic ille est denique, qui hoc est af-  
 fecutus, ut, ubicumque terrarum quisquam in hoc imprimendi artificio  
 excellat, is suæ provinciae, puta Galliae, aut Germaniae, Aldus jam

dicatur. Ipse filius, diligentia, industriaque patri par, ac similis; doctrina verò, ac dicendi elegantia, quæ potuit in aliquo esse maxima, tantò hercle superior, quantò pater in artificio suo aliis hominibus præstantior. ALDI . IVNIORIS . PATRI. Hoc ut addere libuerit, merito tuo factum est, Alde, præstantissime juvenis; ut jam non filius a patre, sed contra pater a filio ostenderetur. Tu paterna, atque avita vestigia persecutus, spem summam omnium, quam de te jam puero habuerant, incredibili virtute superasti; adeo, ut non tam te pater, aut avus, quam tua te industria, tuum nobilitavit ingenium. Id quod verissimum esse declarant cum aliena, quæ emittis, non minus diligenter, quam eleganter imprimendo descripta; tum ingenii tui ipsius monumenta quamplurima, & pulcherrima. Mirum enim est, quot, quantà, quam brevi tempore jam effeceris. Dii immortales, quos tu jam fructus edidisti! quàm præstantes! quàm uberes! quàm & te ipso, & avo dignos, & patre tuo in omni genere laudis excellentissimo! Quin immo ea spes est omnium bonorum, id de te judicium, ut de te sperent, quæ summa sunt; & brevi futurum putent, ut patri, tali, ac tanto viro, non solum te æques, verum etiam anteferas; quam quidem spem (qua ipse es animi præstantia) res, & eventus comprobabit. Quod uti fiat, Deum Opt. Max. precor, qui tibi eà, quæ cogitas, fortunet; qui tibi & animi, & corporis vires firmas ministret; quo &, quæ habes instituta, perpolias; atque alia, & item alia subinde aggredi, perficere, atque edere possis; & illud præsertim attendas, ut, quæ pater tuus morte præventus, inchoata reliquit, ipse absolvas, absoluta omnino edenda cures; neque studiosos homines tantis commodis diutius carere patiaris: denique omnia sic obeas, ut non periisse pater, magno literarum bono natus, sed in te ipso filio revixisse videri jam possit. Hoc præsertim unum munus omnes, quibuscumque elegantiores literæ maximæ curæ sunt, quique rerum nobilium scientiam appetunt, a te efflagitant, quibus negari jam diutius nec potest, nec debet. Exeant igitur libri patris tui, unde fructum capere studiosi vel maximum possint: exeant bono publico; auctoris sui non mediocri gloria exeant. Sed quid? illa an non sunt mirabilia? sunt, ita Deus me amet. QVI . LIBERALEIS . ARTEIS . OMNEIS . PRAETEREA , PHILOSOPHIAM . MEDICINAM . IPSAM . DENIQUE . THEOLOGIAM . HARVM . DOCTRINARVM . MONVMENTIS . GRECIS . LATINIS . ETRVSCIS . E . TENEBRIS . ERVTIS . EMENDATIS . ILLVSTRATIS . IMPRESSIS . DIVVLGATIS . PERPOLIVIT . Itaque si quis, cui Manutius parum bene cognitus sit, hæc

audiat, ita putet a me dici, ut fit in elogiis, & laudationibus, in quibus cum multa falsa affingantur, & vera detrahantur, vitiatur historia; quemadmodum scriptum est ab historico illo summo inter nostros; immo vero ab eo etiam, cujus libros nunquam de manibus deponunt (a) studiosi dicendi juvenes. At qui contra hominem minus ignoret, hæc vel cum jurejurando confirmet, & verissima esse contendat; hæc satis igitur, aut etiam nimium fortasse multa apud eos, qui me verum dicere plane sciunt. OMNEM . ROMANORVM . ANTIQVITATEM . ALIQVOT . LIBRIS . COMPLEXVS . EST . Utinam verò jam sic absolvisset (1); quemadmodum hoc, quod aggressus fuerat facere, Herculis labor est, ut elegantissimus Poeta, (b) & auctor valde bonus loquitur. ET . QVOD . MIRVM . EST . SVA . AETATE . MVLTO . PLVS . SAPIEBAT . ET . MVLTO . MELIVS . SCIEBAT . SENSU . DICENDO . EXPRIMERE . QVAM . ALIQVOT . ETIAM . EORVM . ROMANOR. QVI . IN IPSO . IMPERII . R . FLORE . SCRIPSERVNT . Hoc dedi alibi quoque libenter egomet idem testimonium Paulli viventis adhuc virtuti. Neque verò est, quod cuiquam mortuo blandiri videar. Metior veritatem ipsa re; &, ut sentio, plane loquor: neque hoc officium, quàm sententiam esse malim; neque mihi facile persuadeat humanitas, ut iudicium amicitiae largiar. Etiam dedit clarissimus philosophus, Octavianus Ferrarius, decus atque ornamentum patriæ nostræ, hoc idem Paulo; idque suis scriptis (2), quæ nulla oblivione posteritatis extinctum

(a) Oratorum principem designat Tullium, eaque ipsius verba in *Bruto: multa scripta sunt in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphii plures consulatus, genera etiam falsa.*

(b) Nempe Catullus, qui in epigrammate ad Camerium sic:  
*Sed te querere jam Herculis labor est.*

(1) Libros 10. *De Romanis Antiquitatibus* confecit Paulus Manutius; totidem enim librorum jam materiam coegisse, suasque in partes sat diligenter distribuisse ipsemet asserit in præfatione *de Legibus*, quod opus sextum in suis antiquitatibus habere locum designavit. Primum vero in lucem prodiiit liber hic Aldinis typis anno 1557 Parisiis, ac Venetiis; deinde pluries recusus. Ex dictis tamen decem libris, sex tantummodo habemus, nempe, præter illum *de Legibus*, alios quinque, quos typis evulgavit Aldus filius anno 1581 in 4. Venetiis, scilicet *De Senatu Romano*, *Vetus Calendarium Romanum e marmore descriptum*, ac *de Veterum Dierum ratione* (qui tamen jam antea vivente patre lucem viderant); deinde anno 1585 Romæ *De Civitate Romana*, & eodem anno Bononiæ *de Comitibus Romanorum* in fol. Vide Marcum Foscarini *Letterat. Ital.* Tom. 4. p. 370.

(2) Veluti in libro *de Sermonibus Exotericis*, Venetiis apud Aldum 1575, ubi pag. 42 hæc leguntur: *Paullus Manutius.... vir acerrimi ingenii, & elegantissimi iudicii, qui Romanæ laudem eloquentiæ nobis ita refert hoc tempore, ut prisca illius auctores, quorum habentur in honore scripta, partim exæquet, partim vincat orationis genere ipso flexibili, nitido, & sine varietate dulci.*

Etum iri speramus, intexuit: dedit is, qui, quare daret, præclare intelligit; &, cui non credere de doctrina cujusquam judicanti, sit nefas. Visum idem est mihi etiam dare mortuo, de quo quivis judicare jam possit liberius. Sed tamen quidquid Manutio tributum est, id certe tributum est, approbantibus, & plaudentibus tribus ejusdem amicis summis, Bartholomæo Capra Jurisconsulto Manutii ipsius hospite, Hieronymo Capra (1) hujus fratre item Jurisconsulto, L. Hannibale Crucejo Senatus vestri consiliis intimo, qui non tam homines tamen amici sunt, quam graves, quam severi; ut, si eorum prudenti, sinceroque judicio stetur, plus cuiquam tribui, quam res ipsa concedat, nullo pacto sint passuri viri boni, & simplicis veritatis amici, qui eo ingenii acumine florent; ea munditia orationis, ornatu, copia vident; ea ingenuarum artium, magnarumque rerum cognitione, & scientia valent, ut vix quidquam illis aut sollertius, aut limatius, aut magis elaboratum, aut plenius, aut perfectius in vestra civitate jam esse possit. Cum igitur Paullum antefero libens aliquot Romanis Scriptoribus, non sum tam demens, qui illum præponam Plauto, qui Terentio, qui Lucretio, qui Ciceroni ipsi, qui Cæsari, qui Catullo; qui iis, qui locum illis proximum in elegantia verborum, atque in sententiarum concinnitate obtineant: rivulum videlicet ipsis id esset fontibus, unde emanavit, præstantiorem existimare. Immo, si pulcherrimis illis Scriptoribus, & sine dubio inter Latinos in illo vere Romano loquendi genere principibus, quos Manutius ipse dicendi auctores habebat, & quorum æmulari diligentiam exoptabat, hunc compararem; injuriam, ut omnes intelligunt, illis facerem. Sed eum audacter præfero quibusdam aliis aurei ejusdem sæculi Scriptoribus, quos nequaquam nominare certum est: primum, quia, qui sint, satis notum est; deinde, ne aliorum, atque nos sentimus, a quibusdam nostra forte accipiatur oratio. Principio Manutius semper inanem eloquentiam contempsit, neque unquam indisertam philosophiam adamavit, sed ad instructam præclaris doctrinis, dicendi facultatem totus incubuit; inde consecutus est

(1) Qui Comes Cæsareus Palatinus fuit, diesque suos clausit 1591. (a) In epigraphe addita Bartholomæi tumulo, quem videas in S. Petri in Glaxiate, Hieronymi quoque sit mentio, cujus non ita pridem vulgata fuit Romæ an. 1774 (b) epistola ad Paullum Manutium, qui in responsione ad Hieronymum, quæ est inter Manutianas epistolas impressas 7. lib. xi., hujus studium, ac scribendi elegantiam commendat; quod plane fat fuerit, ut Litteratis Mediolanensibus, quibus hætenus nemo eum adscripsit, accenseri merito possit.

(a) V. Sitonum de J. PP. Coll.

(b) Anecdor. Litterar. Vol. 3. pag. 389.

Vol. II.



dicendi copiam, non quæ verba tantum colligit, & inani vocum sonitu auribus obstrepat, sed quæ maxime rem continet; seque ipsa non minus gravitate sententiarum, quàm elegantia verborum, & splendore commendat. Rursus eloquentiam idem non in quibusdam vulgaribus, ac pene puerilibus ineptiis; sed, ut veteres illi, in sententiis, & verbis, a communi consuetudine alienis, constituit. Idem, quid dicat, quo quidque loco, & quomodo, nunquam non diligenter attendit; deligit res nunquam suis impares viribus: hinc fit, nunquam ut ei deesse possit oratio, cum verba rebus tam recte conferat, æquetque, ut hæc illis maxime convenient. Hinc, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornateque dicit. Prodigus ita est nusquam, ut nimia copia diffuere ejus videatur oratio; nusquam tam parcus in verbis est, ut sit jejunus, ullam ut copiam desideres. Primum in eo vigilat, ut latine scribat; deinde laborat, ut dilucide; postremo diligenter videt, ut & ornate. Mitto duo priora, licet nostris temporibus, quibus latina lingua nullius est propria, si in aliquo sint, eximia, maximaque possint videri. Ornatum orationis, in quo præcipua scribentis sita laus est, quis in Manutio non amet, suspiciat, admiretur? nunquam conquistus videtur, non fucatus, ut bonam orationis naturam vitiet; sed nativus quasi quidam color, ejus faciem mirandum in modum decorat. Neque verb contra uspiam sic nudam ab hoc videas orationem, ut incomptam, & incultam in lectorum conspectum patiatur eam prodire. Nemo unquam sapiens, meo quidem animo, & multorum me longe doctiorum judicio, nemo sapiens, & qui veræ eloquentiæ gustum habeat, Paulli orationem horridam esse dixit, cum ejus nitorem probent omnes; nemo qui de linguæ latinæ dignitate optime sentire videatur, unquam jejunam putavit, cum plenitudinem laudent omnes; nemo denique, qui & faciendæ, & poliendæ orationis peritus sit, pervulgatam censuit, cum novum quoddam, & inusitatum dicendi genus suspiciant omnes. Omnes homines eleganti judicio, sanaque præditi mente, valde mirantur, unde istam latinæ orationis tam concinnam, tam uberem, tam illustrem facultatem sit consecutus: sic verbis quidem ad aptam compositionem, & convenientiam, sententiis verò ad gravitatem orationis utitur. Et certe Manutius exornandæ orationis facultate ita præstitit, ut ejus scripta cum legimus, nihil omnino purius, nihil elegantius, nihil illustrius fieri posse judicemus. Jam verò, ut splendida in primis est, grandis, genere toto gravis, cum ad principes, ac magnos viros Paulli habetur oratio, cumque ita fert rei subiectæ magnitudo! rursus, ut lepida, elegans, & subtilis est, non tamen demissa, humilis, & abjecta;

cum genere rerum ita cogente, attenuandus est sermo! denique quàm temperato, atque æquato cursu fertur, quàmque facile fuit uberior oratio; cum, ornamentorum jucunditate inspersa, media tenenda est via! Hæc tam multa, tamque magna, has virtutes tot, ac tantas, atque his multo plureis ac majores, cum quis non imperitus in Manutii scriptis animadvertit expressas esse, in oratione eminere, & enitere intelligit; & ex contentione in eorum auctorum, quos paullo ante nuru, & significatione appellavi, non nominavi, libris non apparere, atque extare videat. Is, si modò sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidia judicat, non dubito, quin animo libentissimo statim in meam sententiam veniat, atque in Manutium hoc nostrum elogium consentiat; ut eum aliquot Romanis Scriptoribus, etiam felicissimi sæculi præponat: nedum Tacitis, Cæciliis, Senecis, Lucanis, Persiis, Juvenalibus, Martialibus, & aliis anteferat, in quibus latinæ quidem orationis nativa illa, minimeque quasi pigmentis infuscata germanitas, nulla est; cum in illis, quos supra nominavi, sit præcipua. Non visum est satis Manutio, tantum lumen nostro sæculo prætulisse, qui in dicendo omnium princeps esset, & veteres optimos quosque Scriptores præclare exprimeret, nisi idem etiam nequaquam favisset tantum gloriæ suæ, qui solus ipse eam obtinere, & aliis aut nunc viventibus, aut postea futuris voluerit invidere; unde immortalem gratiam iniit, & multum veræ laudis ab omnibus idem promeruit. Etenim, qua ratione sibi tantum decus omnes compararent, & quonam pacto ad bonorum auctorum imitationem se totos componerent, singulari quadam ratione primus docuit; cum ex iis paucis, quos dicendi magistros atque auctores habemus, tum ex uno Cicerone (a), qui, ut Antimacho poetæ Plato, sic nobis omnium instar esse potest, ea, quæ essent imitatione digna, conquiisvit, ac collegit. Hunc unum studiose, ac diligenter evolvere, hujus virtutes accurate perpendere, sibi ad imitandum proponere, ex quo tempore primùm sapere cœpit, nunquam destitit. Hinc si quidquam Manutius sibi assumere consuevisset, potuisset id suo jure quodammodo vindicare, ut nemini mortalium concederet, qui Ciceronem aut sæpius, aut accuratius legisset; aut vero plus operæ posuisset in ejus virtutibus imitando exprimendis. In libros hujus unius emendandos, ac perpurgandos, explicandos, describendos, non mediocre studium contulit; in eoque studio non modò diu, ac multum, sed etiam assiduissime perpetuoque versatus, multa indagavit, indagata patefecit, patefacta protulit, prolata tamquam eximias quosdam tabu-

(a) In *Bruto*.

las in bono lumine ipse, suis exemplis usus, quippe qui (omnium pace dicam) omnium optime scriberet, propalam collocavit. Ex Antonio, de *Oratore* apud Ciceronem disputante (a), didicerat videlicet Manutius, cum, qui, quod ad imitandum pertineret, ita faceret, ut oporteret, primum vigilare necesse in deligendo esse, cujus potissimum similis esset; deinde, quem probasset, in illo ea diligentissime persequeretur, quæ maxime excelleret. Neque verò aut parum profuisse, aut inanem fuisse in tanta re Paulli laborem apparet: legi ego, & magna cum voluptate legi jam aliquot nobilium adolescentium epistolas ejusmodi, ut latine loquerentur egregie, & urbis Romæ veterem eloquentiam plane redolere viderentur; qui, quod ita scriberent, id se Paulo acceptum ferre, palam prædicarent, libenterque dicerent. Hic facile nominare possem majoris & ætatis, & eruditionis homines egregios non paucos, qui, quod præclarius cogitata mentis eloquantur, quod in scribendo mirabiles sint; se id opera Paulli eximia assecutos esse præ se ferrent. Sed non cujusquam hoc loco certi hominis mentionem faciam, nisi ejus cujus maxime conveniat. Non abierimus longe. Petrus Marchesonius ipse collega meus, præstantis animi juvenis, videtis viri Mediolanenses, quo orationis flore, qua copia, quàm splendida dicendi ratione, quodcumque sibi proposuerit argumentum, illud assequatur? audivistis ex hoc loco sæpe, etiam nuper audivistis. Unde verò id esse putatis? an aliunde, quam ex Paulo, quo duce uno omnium certissimo, ad Ciceronem, reliquosque auctores valde bonos pervenit? Cur igitur (ut ad prima redeam, & concludam paucis) Manutii eloquentiæ, omnibus admirandæ, verum testimonium dare reformidem? præsertim, cum hanc tantam eloquentiæ laudem nemini invidet; & ad quam ipse gloriam pervenit, ad eam comiter monstrare viam, & omnibus alios vocare, & invitare non dubitet. QVO . POTISSIMUM . NOMINE . PRINCIPIBUS . ETIAM . VIRIS . CARVS . VIXIT . Quorum ex amore fluxisse multa videmus in Paillum perquam honorifica, eximia, singularia; nam multi multa in eum contulerunt, omnia præclara, illoque viro digna: in quo viro, comitate condita, gravitas esset; quique tantus esset virtute, quantum cum egregia natura, singularis industria potuit efficere. Id quod vel ex ipsius scriptis manifestius est, quàm ut ostendi pluribus a nobis debeat. Illud vero clarorum, & præstantium virorum est ingenium, ii sensus; ut vulgare nihil jam illos delectare possit. Unde factum est, ut principibus viris placuisse, id quidem, qui sapientes sunt, in summa laude ponant; ex

(a) Ejusdem lib. 2.

quo est intelligere, quàm multæ suavitates ingenii, officii, humanitatis in Manutio fuerint, qui tam emunctæ naris hominibus non modò probaretur, verum etiam esset quàm carissimus; eorumque amicitia floreret, quorum tam excellens esset ingenium. **MEDIOLANENSES . BONARVM . ARTIVM . STUDIOSI . OPT. DE . SE . ET . OMNIBVS . LITTERATIS . ATQ. ADEO . DE . OMNI . GENERE . HVMANO . MER .** Hoc loco non me *ὑπερβολικῶς* (a), sed verissime loqui, facile concesserit omnis, quicumque una nobiscum illam rationem inibit. Si nihil aliud unquam Manutius humano generi (eos homines intelligo, quoscumque ex feritate ad justitiam, mansuetudinemque liberalis doctrina transtulit), si nihil aliud, inquam, humano generi præstitisset, quàm ut exornandæ orationis facultate, hominum linguam expoliret ita, uti expolivit; an non sibi illud immortalis beneficio obstrinxisset? Etenim haud scio, an majus aliud, aut præstabilius quidquam adipisci homines possint, quàm ut excolant id, quo aut maxime bestiis præsent, aut aliis hominibus antecellant; ut, qui sermone sunt exculto, tantò rudeis antecant, quantò homines ipsi a pecùdibus differre videantur; & fere, ut quisque maxime est eloquens, ita in pretio habeatur. Eloquentiæ copiis philosophia ornatur: ex hac enim decoris, ornamentique plurimum ad illam accedere, tamquam ad formosam virginem a corporis cultu, videmus. Denique omnis maximarum artium tractatio, atque explicatio ab eloquentia expolitionem, & absolutionem quandam mutuatur; adeo ut, si, qui optime sciat, non optime loquatur, plerumque fiat, ut id ipsum, quod sciat, nescire videatur. Cur igitur homines, si verum fateri velint, Paulo plurimum non debeant? Jam verò Paullus de tenebris eruit (sæpius enim hæc dicenda sunt; cum longe majora sint, quàm fortasse quidam arbitrentur), Paullus de tenebris eruit plurima veterum Scriptorum volumina, turpi jam situ pene confecta; & his, & illis, quæ jam inter omnium manus versabantur, emendatis, illustratis, editis, omnibus bonis artibus pristinum nitorem, & verum decus reddidit, ut ex his & intelligendi, & dicendi magistris, ceu fontibus perennibus, possemus omnes ea discere, atque haurire præstantia, & præclara quæ sunt; eaque dictis, veteri lepore tinctis, exprimere. Rursus ille nobis monumenta ingenii sui, ex arte intima deprompta, plurima ac pulcherrima reliquit; quæ dum accuratè pervolutamus, magnam ex eis non solum oblectationem, sed etiam mirabilem utilitatem capimus. Quid, quod idem effecit, ut ne hæc ætas aureo illi sæculo, cum ad summum pervenit

(b) *Supra modum.*

eloquentia, invideret? Primum enim ipse Ciceronem, atque alios veteres Scriptores optimos, sed Ciceronem unum præcipue, felicissime expressit; deinde, qua ratione eisdem alii quoque & imitarentur, & assequerentur, non minus diligenter docuit, quam fideliter: homines rudes, veteris eloquentiæ cupidos, suis scriptis erudivit, & in rectam latine scribendi viam induxit. Quibus de rebus supra, ubi opus fuit, pluribus verbis dixi. Unde igitur latentes reclusi sunt tot disciplinarum, magnarumque artium thesauri? ex Paullo. Unde sapimus, quæ utilia, & pulchra sunt? ex Paullo. Unde id, quod sentimus, politè eloquimur? ex Paullo. Unde ætas nostra, quod superior desideravit quidem, sed assequi non potuit, ad veterem illam eloquentiam propius accedit? ex Paullo. Paullus igitur hominum mentem cognitione cumulavit. Paullus hominum animum scientia ornavit. Paullus hominum linguam oratione locupletavit. Paullus igitur, quod in studio juvandi positum esset, nihil prætermisit. Nec mirum: quandoquidem prima ei semper fuit, omniumque rerum antiquissima, publica studioforum hominum utilitas; quò ejus labores intendebantur, ejus dirigebatur industria: hanc ipsam utilitatem rebus omnibus anteposuit, quam ipse consuetudinem acceptam a patre servavit sua sponte diligenter. Neque verò solos Romanos, aut Mediolanenses, aut Venetos, non Italos, non qui Europam incolunt; sed, quantum in eo fuit, universum genus hominum, neque tantum, qui nunc sunt, sed qui aliis, atque aliis in annis, in omni posteritate sunt futuri, sibi tantis, tamque multis beneficiis obligavit Paullus. Quæ cum sint ita: quid mirum si, quicumque de Paulli audierant, vel illum cognoverant, hominem, qui tanta beneficia in omnes conferret, dum viveret, immortalem esse, si fieri posset, omnes cuperent? Quoties iidem exoptarunt fieri potuisse id, quod in fabulis a doctissimis hominibus traditum est! ut aliqua Medæa potentibus herbis hunc nobis tanquam Peliam (a) recoctum exhibuisset juvenem iterum; quo quotidie, uti solebat, aliquid ex se promeret, quod omnibus prodesset. Quamdiu licuisset, ut viveret, exoptabamus; ut autem ei liceret quam diutissime vivere, sæpe vota fecimus. Sed quando visum est Superis hunc nobis adimere, quis hujus divini hominis mortem non ingemuit? quis ejus interitum, licet senis, ut immaturum, qui, dum viveret, tantam nobis utilitatem afferret, non deploravit? quantus autem bonorum omnium amor in vivum, ac sentientem fuerit, ex eo apparet, quod vel mortuus prope quotidianis doctorum hominum sermonibus, in quorum ore plane habitat Manutius, celebratur;

(c) Ovid. *Metamorphos.* 7.

quod hunc mortuum omnes laudant, ad cœlum tollunt, ei benedicunt; ab omnibus dici illa exaudimus. Paulli manibus Deus beneficiat, qui mortalibus tantum lumen prætulit, qui humano generi tam bene consultum esse voluit; qui ipsi Deo carus, summis, & infimis jucundus, apud exteras etiam gentes illustris fuit, ac perhonoratus. PVBLICE . F . C . ANNO . MDLXXIV. An verò faciendum curatis, quia Manutium egere hoc sepulcri monumento, sepultura & justis exequiis carere, miserum, atque insepultum jacere censeatis? atqui hoc alibi jam negavimus; & non esse id consilium nostrum ostendimus. An quia, si non fiat, Manutium perpetua oblivione obrutum iri; sin contra fiat, nec a vobis illius immortalitati optime fuisse consultum, putetis? minime hercle: habet alia majora monumenta. Cur igitur? ut vestrum in eum amorem, & observantiam, quam ejus virtus peperit, aliqua ratione testemini, & bene de vobis meritò aliquam referatis gratiam; quas res, quoniam ante breviter attigimus, nunc paullo pluribus verbis persequemur. Novi ego, viri Mediolanenses, complureis vestros civeis, qui intervallo locorum disjuncti, divinum hunc hominem nunquam vidissent, observassent quidem absentem, vel hac de causa immortalis Deo & sæpe, & magnas gratias egisse, qui mentem dedisset illi, ut extremo vitæ tempore, relicta patria carissima, Venetiis videlicet, quæ urbs Romæ veteris inter alias urbis Italiæ instar habet, Mediolanum veniret, hic mensis aliquot commoraretur, & quodam modo fortunatos se putasse; quod virum immortalitate dignissimum, qui absens ipsis usque fuisset in animo assiduus, in oculis, in ore, præsentem sæpe videre, complecti, alloqui, audire potuerint. Notum porro est omnibus, Manutium & honeste vivendo, & semper de juvandis, deque ornandis hominibus cogitando sibi monumentum longe amplius, atque perennius longe posuisse quovis marmore, quovis ære; quod monumentum vetustas non teret, nec vincet umquam: quo quidem monumento in omnium hominum rebus optimis institutorum animis condito, & collocato, fiet, ut Manutii nomen ab interitu vindicatum, scriptis egregiis testata, atque expressa virtute cum æternitate conjungatur, & memoriæ hominum sempiternæ tradatur; neque futura sit unquam ulla, quæ Paulli vitæ cursum definiat dies. Mitto dicere, Paululum, vestigia parentis optimi secutum, omnia, quæ gessit, nixus typographia, cujus jam in ipsius familia laus inveteraverat, & quasi debita postulabatur, sparsisse, ac disseminasse in orbis terræ memoriam sempiternam. M. Tullio Ciceroni, & aliis Scriptoribus pulcherrimis bonorum auctorum principibus, veterem suum splendorem, ereptum

vetustate, atque hominum inscitia, Paullum Manutium, librorum partim antiquorum ope, partim acumine ingenii, quo florebat, maculas eluentem bene multas, reddidisse, magni cujusdam fuit laboris; verum inde tantam sibi gloriam peperisse, quantam peperit, felicitatis cujusdam fuit summæ. Multos vivum annos Paullum, florentem omni laude, sua non tenui gloria perfruentem, vidimus. Ejus libri vige-  
 bant omnibus, in sinu usque gestabantur, habebantur in deliciis, omnium maxime versabantur inter manus elegantium virorum. An verò leve est, cujusquam viventis adhuc scripta non solum libenter, & studiose ab omnibus passim legi, verum etiam sic elegantia existimari, sic ornata, sic illustria, sic demum probari; ut ad veterum Scriptorum laudem pervenirent, & nobilibus adolescentibus ad eloquentiam contendentibus, ad imitandum, & ediscendum proponerentur: quasi non jam ad veterem illam eloquentiam propius accedentia, sed scripta veterum, & veterum optimorum? Quod si veram inire rationem voluerimus, reperiemus sanequam paucos literatos homines post mortem tantam gloriam promeruisse, quantam vivus adhuc suo nomini peperit Manutius. Immo verò Paullus adhuc vivus sua virtute ad eam & literati, & eloquentis hominis laudem, famam, & gloriam pervenit, ad quam alii vix se mortuos perventuros confidant. Quid ego inquam CONFIDANT? immo ne optare quidem audeant. Etenim jam nihil me retinet, viri Mediolanenses, quin id, quod sentio, eloquar; neque in re tam nota, ac manifesta omnibus, vereor, ne quid gratiæ potius, quam veritati videar dedisse. Quæ porrò non exigua fuit viventis Paulli gloria, eadem mortui jam crescit, & major in dies fit; mortuus multo plures jam habet præcones laudum suarum, viros omnes bonos, præstanti humanitate, singulari doctrina. Nos vero, quicumque sumus, ut alii pene infiniti, colimus, quacumque ratione licet, memoriam illius; & cum in omni sermone, tum in scriptis nostris libentissime facimus, ut eum laudemus, qui nobis, neque a nobis, neque a quoquam satis laudari posse unquam videtur; quod quidem eo consilio non facimus, quod ad gloriam ipsius quidquam nostro testimonio posse adjici censeamus, sed ita plane judicamus, illum jam in cælum receptum, gaudere, cum se a nobis coli, ac celebrari videt. Ergo perinde ac si hujus rei sensus ad Paullum Manutium ipsum perventurus sit, ita de ipsius admirabili doctrina, singulari eloquentia, ceterisque virtutibus, quoties occasio est, prædicamus, monumentum faciendum curamus; atque interim hac ipsa ratione nobis potius ipsis indulgemus, & nostro in eum amori, & desiderio

ſiderio obſequimur. Non enim tam tardi, tamque dementes ſumus, qui neſciamus ita illuſtrem, & pervagatam ejus etiam nunc viventis famam fuiſſe; ita jam clarum eſſe hunc mortuum gloria, ut nulla noſtra, nulla aliorum luce ad immortalitatem, quam beneficio literarum conſecutus eſt, indigeat. Jam, ſi cuiquam ſumptus, & apparatus monumenti minor fortaſſe videbitur, quàm pro dignitate eorum, qui faciunt, hoc eſt, Mediolanenſium, cogitare debebit, non magnificentiæ noſtrorum civium potius, quàm ſepulti ipſius habitam eſſe rationem. Etenim ſepulto ſepulcrum convenire debere, qui non intelligat, arbitror eſſe neminem. Fuit autem Manutius, ut tenuis apparatus, ita ſimplicis elegantię amicus, idque modeſtiæ perpetua conſtantia quadam; quo etiam nomine nuſquam ad hoc monumentum externas opes aut conquiſivimus, aut admiſimus. Talem igitur ego tumulum Paulo conſtitui velim, qui modico quidem apparatu fiat, ſtructura verò, qui conſtet eleganti. Alioquin, ſi pro dignitate Mediolanenſium, addo etiam pro ſepulti meritis, ac non voluntate, hoc eſt, ut quidam veteres loquebantur, contra votum, exornandus eſſet, ampliſſimum, & magnificentiſſimum eſſe oporteret, ſigna quamplurima imponi conveniret, ſtatuſ repleti uſque eo, ut nihil in hoc monumento, licet ampliſſimo, niſi Deorum, Dearumque imagines, ſingulari opera, artificioque perfectas, cerneret: atque hic primum Mercurii, Apollinis, Minervæ, Muſarum novem, Gratiarum item ſimulacra exprimerem; adderem Græciæ imaginem, Etruriæ, Romæ ipſius; effingerem quoque ipſum magno corpore Tiberim, hoc ipſo auctore, quem laudamus, quemque ſepulcro decoramus, jam tandem puriſſimas aquas ex urna de more fluminum effundentem; ſignorum denique plena eſſent omnia. Unum illud quidem curabo diligenter, ut, quidquid ſignorum, quæ oppido pauca ſunt, in hoc monumento inſculptum fuerit, leviter emineat, atque extet; non tam, ut, quod jam eſt inſtituti noſtri, minor ſumptus fiat, quàm etiam, ut (quod ſupra dixi) diuturnius ſit. Quandoquidem, id quod ſciunt omnes, ea quæ ſunt multum eminentia, majori temporis injuriæ, & pluribus ictibus ſunt propoſita; atque eadem illa item gratia hæc tabula marmorea, ita, uti a nobis dictum eſt, elaborata, interiori templi parieti loco valde illuſtri inferenda eſt: ſic tamen, ut poſita ſane excelsa in baſi, & altius erecta, elataque magnificentius ſpectaculum accedentibus præbeat, quo planius perſpici poſſint, quæ præſeferet atque oſtentabit, omnia. Ergo, Paulo Manutio tumulum cum honoris, tum religionis gratia in urbe veſtra facturum veſtro juſſu, viri Mediolanenſes, tabulam marmoream, certas, quaſ-



dam in parteis divisi. Harum summam, & mediam iis notis, & signis, quæ sepulto apte convenire visa sunt, ornavi, simulque singulorum ornamentorum vim explicatione sum persecutus. Infimam sepulcri regionem apposito epitaphio inscripsi, eoque duas regiones alias insignis feci; neque hoc contentus, eorum, quæ in tabula infima incidi velim, multis verbis rationem reddidi. Omnem denique monumenti formam, quæ mihi visa est optima, ante oculos vestros exposui. Quare quid jam restat, viri Mediolanenses, nisi, ut, quonam in urbis nostræ templo Manutii monumentum constituendum sit, decernatis? Nam ego quidem, quia multa Tempora sunt, in quibus hoc recte fieri potest, amplius deliberandum censeo, hoc ne an in illo rectius; in templo certe primario, si quis harum rerum est sensus mortuis, ut certe est, non vult Manutius. Cedit enim (quæ perpetua, & constans in omni vita fuit ejus modestia, qui magnifice veterum continentiam diligebat), cedit hominibus, summo splendore præditis, vel religionis, vel dominationis, vel armorum tractandorum; in eo Templo locum sepulture sibi dari non vult Manutius. Sed non hoc consilium meum, vestrum jam est, viri Mediolanenses, neque solum, ubi monumentum constitui, sed etiam a quibus perpetuo custodiri velitis, quantam item pecuniæ summam legari in anniversaria sacra, ad tumulum faciendâ: ad quæ convenient Theologi, Jurisconsulti, Medici, Philosophi, qui Paululum vivum, & mortuum sibi intelligunt profuisse, & prodesse; omnes denique, quibuscumque jam cordi est bonarum, magnarumque artium expolitio, decus, incrementum, vobis permitto omne arbitrium statuendi, ubicumque volueritis, quocumque in loco, quave in ædis sacræ parte volueritis. Et licet vehementius cupiam probari vestro judicio meam industriam; tamen potestatem vobis facio sepulcri formæ a me vobis non magis præscriptæ, quàm propositæ, si ita visum fuerit, ante, quam aliud quidquam faciatis, quantumcumque volueritis, immutandæ. Ego, quidquid decreveritis, meam non modò voluntatem, verum etiam sententiam cum vestra jungam. Mihi porro satis est, si, quibus verbis potui, meam in Paullum observantiam testatus sum; ut intelligerent homines, & quo illum studio mortuum colam, & qua illius in me meritorum memoriam religione conservem. Alioquin quid erat, quod Manutii laudes acrius præsertim apud vos persequi conarer? quasi ejus virtus, quæ in omnium hominum conspectu posita est, satis ipsa per se, nullo adhibito alienæ prædicationis lumine, in oculos omnium non incurrat. Quasi verò, Manutium gloria dignum esse immortali, dignum qui feratur in oculis, ornetur laudibus, mortalium

quisquam negare audeat. Atque hoc ipsum, quemadmodum eò libentius, ita etiam eò audacius feci, quod vestro jussu, vestro etiam nomine mihi facere videbar. Neque vero vos, qui semper memores præter ceteras genteis, atque grati fuistis, viri de vobis optime meriti memoriam, quantum in vobis est, apud vos intermortuam esse, sed immortalem vivere volebatis. Etenim Manutius vestrum Senatuum summum Europæ splendorem, urbem vestram, vestros civis divinis, iisque verissimis sæpe laudibus ornavit, æternum vestræ virtutis præconium (quod notum est omnibus) præclaris suis monumentis mandavit. Sed, quo tempore supra Manutii monumentum describebam, prudens & sciens unum omisi, viri Mediolanenses, de quo mihi in extrema oratione necessario dicendum est. Consulto neglexi dicere de præclaro illo crucis symbolo, atque illud in hunc ipsum locum distuli, quod erat quasi extra sortem tumuli, quodque ex summa lapidis altitudine emineret, atque extare volueram; non in ipso marmore incisum, sed sepulcro impositum: quo quidem crucis signo, quemadmodum veteribus veræ vitæ ignaris, nullum fuit ignominie, aut exitii majoris argumentum; ita nobis, qui sumus optimis rebus instituti, nihil est præstantius, nihil honorificentius, nihil magis salubre. Hujus ad imam partem enasci, atque exurgere velim sedum herbam, florentis, ac vigentis suos caulibus in parteis treis summitentem. His velim declarari id, quod omnium est primum, & cætera exuperat omnia; in Paulo puræ ab omni labe Religionis studium, cultumque in primis semper viguisse. Non enim linguæ solum, verum etiam animi, ac virtutis magister; & ut homo insigni eruditione, ita moribus fuit sanctissimis, & semper optime de Christiana doctrina sensit, quod testari possunt omnes, qui norant ejus sensus, mores, probitatem, & præsertim ii, qui cum illo familiariter vixerunt. Nemo autem melius, quàm tu, hoc facere potest, Octaviane Magi, vir amplissime, & ornatissime, Venetæ reipublicæ apud nostrum principem Orator, quem Deus Optimus Maximus orationem meam huc evasuram esse præsentens, hodie mihi dedit doctoris, & quasi parentis tui laudum non modò auditorem, & spectatorem, sed etiam æquissimum æstimatorem, & judicem optimum. Tu pro præstanti ingenio tuo, fide singulari, præclara eruditione, atque doctrina, summa sapientia incredibili eloquentiæ conjuncta, & ea quæ hæcenus a me de Manutio dicta sunt, & ea maxime, quæ nunc dicuntur, omnium optime nosti esse verissima. Testari hoc etiam possunt, qui ejus scriptæ pervolunt, in quibus sciunt nullam labem esse, quæ legentium animos possit inficere; immo quales, & quàm frequentes sunt ejus sermo-

D d ij

nes de beata, atque æterna vita, de rerum humanarum contemptu, de rebus omnibus ad immortalem Deum referendis! quàm sæpe, quamque mirifice ad summi boni, perpetuæque felicitatis studium excitatur! Vix aliud quidquam sapere, cogitare, loqui videtur Manutius. Eam quidem certe denique vitam esse Manutius ducebat, quæ vivitur in studiis, cætera inania, speciosa multa, plerumque tamen falsa, & literas quidem, & humanitatem prima putabat; sed tamen minimum in utrisque ponebat, nisi sua studia divino cum amore, in quo omnis ejus cogitatio erat defixa, conjungeret. Quoties & dixit, & scripsit non iisdem verbis quidem semper, sed hoc certe eodem sensu: *Si me Deus aliquando respexerit, acquiescam in iis studiis, quæ sola sunt ad naturam meam, sola tranquillitatem animis afferunt, hominemque paullatim ab homine separant, & quantum licet, cum Deo conjungunt.* Fortunam ipsam didiceret contemnere, qua licet adversante, rectam mentem, optima studia, pietatem in Deum retinuit semper. Est ducem semper secutus Deum, qui nunquam errat, communem humani generis parentem; qui omnia bona ipsi polliceretur, & daturus esset, quæ a nullo Rege sperare liceret, & a quo uno felicitas vera pendet. Idem Deo solebat, si quid optabile contigisset, acceptum referre; & a Deo, si quid contra, sperare meliora, & in Deo sapienter esse putabat omnia. Hinc sibi Paullus iter aperuit ad æternum illud cæleste domicilium, ubi, vitæ munere perfunctus, cum illo bonis omnibus circumfluente, animorum cætu se conjungeret, non angeretur curis, non spe duceretur, nihil timeret adversum; ubi fruere-tur suavissima omnium, & jucundissima voluptate, nullo doloris sensu contaminata, quæ perpetuo ipsi maneret ex ejus conspectu, qui perennis est fons bonorum omnium; ubi non esset unquam ulla, quæ beatæ vitæ cursum ei definiret dies. Hinc Manutii manes terribili tubæ illius postremæ sonitu ex imo sepulcro excientur, & ante tribunal summi Dei consistent; mox in cælum blanda patris voce evocabuntur, ubi mercedem capient meritõrum, quorum habent testes pene homines omnes. Etenim, si cæli porta cuiquam patet, qui de aliis benemeritus sit, huic maxime patere homini existimare debemus, qui cogitando, dicendo, scribendo, opera, consilio, re denique, non unam atque alteram civitatem, cætumve, sed universum genus humanum in eo, quod ad mentem, linguam, mores attinet, quam diu vixit: vixit autem ad senectutem, viribus enixus cunctis, & animi, & ingenii explere contendit.

PHILIPPVS  
VEL  
DE ISOCRATIS  
IN LAVDANDO RATIONE  
O R A T I O II.

IVLIO CLARO (1)

VIRO OMNI LIBERALI DOCTRINA POLITISS.  
HONORIBVS AMPLISSIMIS PERFUNCTO  
PHILIPPI REGIS HISPANIARVM  
IN REBVS ITALIS CONSILIARIO  
FRANCISCVS CICEREIVS S. P. D.

QUAM orationem habui proximis Kal. Novembr. frequenti schola eorum more, qui publice docent, eam ad te, Clare humanissime, quem merito colo atque observo, mittendam esse censui; hoc ut facerem illud etiam me impulit, quod de Philippi, Hispaniarum Regis, laudibus est scripta; quas tu non solum & legis, & audis libenter, sed etiam crebris sermonibus usurpare soles. Memini enim, idque non sine magno tui desiderio memini, te domi tuæ saepe incidere consuevisse, & solitum esse admirari in Philippo multa quidem, sed præsertim moderationem animi, & æquitatem; & licet omnium sermone ac fama celebretur incredibilis tanti Regis virtus, laus, & gloria, animadverti tamen te planissime commemorare, quæ ad eum pertinerent omnia, & omnium diligentissime persequi singula solere. Inde ego tantarum rerum commemoratione inflammatus, eas, ut primum occasio data est, tacitus præterire non potui; non sum tamen dicendo consecutus, quæ a te vere exposita, animo complexus fueram, quæque ab aliis dicta, diligenter perceperam. Quod si in me ea vis fuisset ingenii, ut tantum Regem pro eo ac meretur, ornare, hoc est, optimi principis formam verbis exprimere potuissem, ne ego felix essem; & nunc tibi summo, & singulari viro munus te dignum, egregium, ac præclarum mitterem. Sed fieri potest, ut aliquis mediocris in pingendo, aut obscurus etiam cernat animo quidem quodam modo, quam egregium Veneris simulacrum pictor perfectus Apelles faceret;

(1) Julius Clarus Alexandrinus ortu, ac Mediolanensis Senator, de quo Argelatus (a), & Ghilinus (b). Italica ad hunc epistola legitur Lucæ Contilis. Eiusdem epitaphium Mediolani visitur in Templo S. M. Pacis, atque apud dictum Argelatum, & alios legi potest.

(a) *Scriptor Extor.* (b) *Test. d' Uomini Letter., & Annali d' Alessandria.*

neque tamen ipse suis coloribus ejus deæ pulchritudinem imitari possit. Eadem ratione, licet aliquo modo intelligerem, quam plane absolutam laudationem magnus, & nobilis rhetor Isocrates scripsisset, si talem ac tantum regem ornasset; verbis tamen, & sententiis meis usus, prope ad eum accedere non potui. Quis enim, nisi plane is sit alter Isocrates, digne satis laudet eum regem, quem non tam diadema, sceptrum, & purpura quæ gestat, nec regna horumque nationes, & gentes multæ, quibus imperat; quam singularis continentia, justitia, severitas cum summa comitate conjuncta, eximia pietas, acerrimum religionis studium, omnes denique virtutes vere regem, & regem omnium regum præstantissimum constituunt? Placui tamen auditoribus: quod, quamvis materies digna sit facultate, & copia tantum summi alicujus oratoris; tamen necesse sit, utcumque quis dicat, eum aliquo modo probari, qui in tam egregio versetur argumento. Sic etiam vel parum periti artificis manu dolatum signum hoc & illud, quod divinum aliquod numen referat, venerari solemus. Et quamquam non eram consecuturus, quod institueram (utque vero cum instituerem, tantum de me ipse mihi pollicebar); non dubitavi tamen ita dicere, sicut potui. Sperabam enim fore, ut qui me audirent, ex hac oratione, qualiscumque esset, meam in Philippum observantiam cognoscerent. Quid? rhetores olim non dubitarunt etiam malos principes laudare, & eos quibus nihil debebant; ego regem nostrum laudare non conarer, virum fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem? Immo vero, ut jam scias, quo animo sim affectus, hanc esse designationem quandam status, & complexionem brevioris laudationis ejus, quam me spero aliquando scripturum; & Philippi maximi, & felicissimi regis virtutes, res gestas, gloriam multo uberius dicendo me celebraturum confido. Neque vero tua laus, Clare optime, a Philippi laude sejungi poterit: cum homines certa ratione ducti, præsertim ex eo colligant, te hominem esse in omni judicio elegantissimum; quod te Philippus ex hac urbe florentissima, ubi multos, & magnos magistratus magna cum laude gessisti, ut sibi summo in consilio assideres, ad se advocavit. Nam placere principibus viris non esse postremam laudem plerique putant; iis autem placere, qui ipsi bonis omnibus placent, primam statuit, qui multum videt. Quod etiam ex meis scriptis apparebit, si quid otii aliquando tandem me iis studiis impetraro; & præsertim per te bonarum artium fautorem, qui me jam tuis meritis addictum, deditum, obstrictum tibi habes, atque in perpetuum habebis. Vale. Mediolano, MDLXVI. Nonis Decemb.

## O R A T I O (a).

**R**EDITURUS nuper huc ad vos, Adolescentes, studiose contemplatus sum, quæcumque de Theseo, tamquam de rege optimo, ab Isocrate, quo majori laude Helenam suam afficeret, scriberentur; inde abii in eam sententiam, ut existimarem, meritiò Platoni, atque eidem Isocrati, duobus tantis viris, esse visum magnum opus & difficile, egereque multo tempore ac multa meditatione, rem præclaram aliquam & magnificam vera laude afficere. Mitto nunc alia, quæ in eam sententiam dici possent quamplurima, quòd illa vel ex Rhetoribus pateant, in promptuque sint omnibus; vel a nobis aliàs satis superque hoc in loco disputata sint: tantum dico, hinc cavendum esse, ne frigidus sit laudator; ut, cum augere rem, & majorem facere debeat, ejus vitio minuatur, & extenuetur; illinc, ne nimidò plus dicat, quàm patietur veritas; & eas exuperationes adhibeat, quas adhiberet, si plane stultos & credulos auditores haberet: est scilicet utriusque rei modus sicut reliquarum, & quædam in utroque genere mediocritas; quam tenere summæ artis esse, quis quæso non videat? Atque eam ob rem potissimum censeo ego, qui versarentur olim in studio sapientiæ & doctrinæ, cum de multis aliis, & variis rebus auderent dicere; nullum tamen eorum usque ad Isocratis ætatem aliquid tale adgressum esse conscribere. Id quòd erat arduum magis, eò mihi magis admirandum visum fuit Isocratis ingenium, qui tam sit egregius in eo genere artifex, & tanta cum laude versetur in exornando; ut solus laudator perfectus, & absolutus esse videatur. Atque hoc ipsum facile apparebat non solum ex Theseo, & Helena, quos dixi; sed etiam ex Paride, Evagora, & Busiride, qui quidem reges, licet plerisque omnibus in vituperationem cadere viderentur, tamen ita sunt ab eo laudatore exornati; ut & de illis optime sentire, eorum virtutes suspicere & admirari, facta ad cælum tollere cogamur.

Hæc tunc mecum ipse reputabam: sed nunc vobiscum una, adolescentes, mihi eadem cogitatione admonito, id quod dicam, libet expendere. Si in difficili causa admirabili, ac pene absurda, ea quæ legimus encomia, scripta in libris reliquit; qualem laudationem scriberet Isocrates, qui Reges laudare consueverat, si ad nostra tempora perve-

(a) Oratio hæc, ac reliquæ sequentes ex MS. autographo desumptæ sunt, apud Principem Belgioiosum extante; sexta hæc fuit Cicereii Oratio, anno dicta 1566, ut in eodem MS. adnotatum.

nisset, & Regem nostrum felicissimum & maximum videre, atque cognoscere potuisset? Fingamus animis, adolescentes, liberæ enim sunt cogitationes nostræ, & quæ volunt, sic intuentur; ut ea cernimus, quæ videmus. Fingamus igitur cogitatione imaginem hujus laudationis, & (quemadmodum dicere cœperam) faciamus nunc vivere Isocratem, & ponamus nostra tempora dare illi tantæ laudationis argumentum; tum denique quibus laudibus Regem ornaret nostrum, cum Isocratis aliquam in laudando consuetudinem comprehensam animis nostris teneamus, quibus poterimus verbis, exprimere conemur. Est operæ pretium, & me & vos maxime hoc facere decet: ut si magnifice tantum Principem, ut par erat, laudare non possumus; at saltem ejus maximas, clarissimasque virtutes, unde tantum commodorum adipiscimur, aliquo modo agnoscere videamur.

Nam Isocrates, si talis ac tanti Regis genus, educationem, institutionem, virtutes, res gestas, gloriam, felicitatem ut exornaret, suscepisset. Primum omnium rei magnitudinem, atque difficultatem pertimescens, diceret: se magnum opus omnino, & arduum conari; & tantam rem, quantam non modò facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti: alios fere ea sibi ad laudandum proponere, quæ dicendo exsuperare possint; se ad illud adgredi, cui impar vel eloquentissimi cujusque esse possit oratio. Versari se in veris laudibus Regis Regum maximi, atque optimi, & Regis eorum omnium Regum, qui vivunt, & vixerunt, præstantissimi: Regis denique pii, fortis, felicitis, augusti; & talis, quales alii Principes futuros se, tantum pollicentur. Adderet, nihil esse quod revereretur assentandi suspicionem, cum viventem adhuc, & vigentem laudaret; cui quidquam falsæ laudis ex disciplina, & consuetudine laudatorum adfingere non auderet: plane intelligens, eorum, quæ diceret, se omnes habere testes, qui se mentientem refellere, & coarguere possent, Potius metuendum, ne ea, quæ sunt omnibus in confesso, dicendo singula consequi nequaquam possit; & vera etiam multa, quæ dici deberent de Philippo prætermittat.

Quæ porro de Philippi majoribus dicenda essent, ea conferret in pauca Isocrates: quod nemo nesciat ejus genus: & paternum quidem Austriacum, maternum (a) verò Lusitanorum Regum, vasti Oceani indagatorum, orbis terræ amplificatorum, Christianæ Religionis propagatorum.

(a) V. inter alios Cl. P. Cajetanum Harasti *Geneal. degli Imperat. discend. dall' August. Casa d' Austria. Milano 1780.*

torum. Neque verò majorum illustriores viros enumerare singulos auderet, cum utrumque genus pluribus clarissimis Principum luminibus ornetur; quam bene serena tempestate cœlum stellis undique collustretur. At, cum diceret, hunc parente natum esse Karolo V., quo nemo unquam Christianorum Imperatorum nec belli, nec pacis artibus major fuit, qui Magni cognomen sibi peperit, qui victor orbis terrarum jure dictus est; quam grandiloquus esset cum ampla & sententiarum gravitate, & majestate verborum? nec injuria; cum omni diligentia magniloquentiam affectare consueverit in prodenda eorum nobilitate, quos a Diis genitos cum credula antiquitate non dubitavit dicere.

Videor autem audire ab eodem qualis fuerit Philippi educatio, atque institutio, facile esse intelligere; cum a quibus parentibus procreatus, & in quorum manibus educatus fuerit, sciatur; eos, licet intelligerent, fore filium sui similem, eò quod fortes a fortibus creentur & bonis; tamen maximam diligentiam in id contulisse, ut ab optimis Magistris formaretur, qui usi doctrina vim insitam promoverent, & bene jam a natura præparatum animum recto cultu roborarent; exquisitos verò undique Magistros illos liberalium artium, & vivendi præceptores, tota mente in eam præcipue curam incubuisse, ut Philippum ad suorum majorum & Parentum imitationem totum fingerent. Atque eam quidem rem illis ex sententia successisse, præsertim cum quæ eò pertinent, omnia ejus singulari voluntate fierent; & futuræ virtutis maximæ indicia statim in puero fuissent, quippe animo virili jam esset: itaque sic primùm fuisse comparatum, deinde etiam institutum; ut ab eo, quæ a summa virtute, summoque ingenio expectanda essent, expectarentur.

Neque verò cujusquam falsam fuisse opinionem, quòd, cum acta laudatissime adolescentia, factus fuisset vir; quos quasi florens pollicitus fuisset, maturiori ætate fructus edidit uberrimos, atque in eo omnes quidem virtutes enituerunt, sed præsertim regis: fortitudo; justitia, severitas, gravitas, magnanimitas, largitas, beneficentia, liberalitas, quibus multò magis Regis animus ornatur; quam ejus caput diademate, manus sceptro, reliquum corpus purpura. Has tot tantasque virtutes cum, qua erat sapientia, Karolus pater in filio esse intelligeret, & jam senio confectus, a maximis laboribus tandem vellet requiescere; ei omnem regnorum suorum curam transmisit sciens, eum facile suis humeris posse tantam molem sustinere.

Hoc loco Isocrates moneret, nihil sibi opus esse, ipsis factis ostē-



dere, quas diximus virtutes esse in Philippo, quod ejus non facta solum, sed etiam dicta per gentes omnes ita vulgata sint; ut nihil cuique cognitum, atque perspectum sit magis. Commemoraret tamen in optima regnorum administratione præcipue summum, ac singulare religionis, justitiæque studium; neque taceret inauditam clementiam, & mansuetudinem, ex quibus maximi viri eximia, singularisque virtus eluceat, & Philippum præclare intelligere, tantam potentiam Regis esse, ut ejus quasi dei cujusdam animantis nutu, ac ditione maria, & terræ gubernentur, pax & bella gerantur: se verò etiam regibus aliquot imperare; itaque diligenter cavere, ne quæ facit, sua potentia inferiora sint. Ac primum quidem, quod mirum est, in magna licentia licere sibi nihil, nisi quod justum sit, censere; & cum præsit legislatoribus, se putare subiectum legibus, & se ipsum non minus quam alios continere ac regere; atque ob id recte quemquam regem appellari existimare: Philippum unum in toto terrarum orbe ex animo justitiæ amicum esse, eam apud ipsum plus valere, quam cætera omnia; & præferri amori, benevolentia, & arctissimis quibusque cognationis & affinitatis vinculis: inde celebrari omnium mortalium fama ejus sanctitatem, & severitatem, ita tamen, ut non minorem laudem mereatur ob æquitatem, cum faciat id, quod beato Regi faciendum censebat Isæus; ut leges severas quidem ferat, sed tamen lenius, quam illæ jubeant, puniat. Et mirum esse, quanta prudentia eximiam lenitatem cum summa potentia conjungat. Ut potentissimi regis, & mitissimi principis exemplum sit; & cum potestate, & potentia Regibus omnibus antecellat, comitate & facilitate par infimis esse videatur: qua facile superat Cyrum, Agesilaum, & Antigonum, quorum regum summo in imperio nemo unquam verbum ullum asperius audivit. Atque ideo eundem amore ab omnibus, & veneratione, non assentatione, non timore dignum censeret; ejusque clementiæ ac mansuetudinis indicem vultum venerandum quiddam & amabile præ se ferentem, & jucundissimum illum ipsius conspectum, dignitatis plenissimum, omnes homines ad sui contemplationem, observantiamque allicere. Eò autem usque ejus moderationem progressam esse, ut in victoria, quæ natura insolens atque superba est, hostes sæpe conservarit; & se nihil aliud conari, nisi pacem quærere, turbas tollere, de omnibus benemereri (id quod jam ejus maxime proprium existimatur) declararit.

Sed quis non novit locum? quis non videt ubi se jactaret Isocrates? ubi, quæ commemoravimus, dicendo amplificasset atque ornasset; & ad eximium religionis studium pervenisset: cum, quibus verbis

üteretur, non assequar; eorum sententiam paucis complecti posse videor, hoc modo: maximis laudibus, & admiratione dignam esse Philippi pietatem, & veræ religionis studium: eum præter cætera omnia studere id esse, quod audit; nempe catholicum, quasi dicas communis atque universæ Christianorum Ecclesiæ regem, ac defensorem. Testem esse Hispaniam, testem Africam, testem Britanniam, testem Galliam; testes denique gentes, ac nationes ad alterum cæli verticem conversæ, veteribus incognitæ, eorum quæ Philippus gerit pro religione, quam sartam testam ab omni periculo conservat. Nuper verò ejus auspicijs importunissimum hostem summo cum dedecore ex Melita (a), illo Italiæ, immo verò totius Europæ propugnaculo, magna suorum clade debilitatum, ac pene attritum expulsam fuisse, omnibus orbis Christiani oris Plaudentibus, antea tantum impendens malum pertimescentibus; adeo ut male ageretur cum Christiana religione, nisi Philippus nefariis illius atque aliorum hostium conatibus ab Occidente se opponeret. Quod satis notum sit, quosdam Principes vel in speculis esse & observare, quam partem invadat barbarus, vel nihil curare, quasi vero non ad ipsos pertineat; quosdam etiam eum ultro arcessere non dubitasse. Hæc omnia quasi majora quædam membra regni magna cum laude administrati, ubi persecutus fuisset Isocrates, deligeret unum atque alterum, qui regnandi laude cæteris prælati fuissent: & ex contentione more suo ostenderet, his factis, his virtutibus nemini dubitandum esse, quin Philippus tantò ipsis antecellat, quantò ipsi reliquis omnibus præstiterunt, quod nihil fuerit in singulis laudabile, quod ex omnibus collectum in hoc non sit; apud quem virtutes quidem omnes vigeant, quæ singulæ omnium prædicantur: qui ex singulis gubernandi rationibus præstantissimum quodque selegerit, & ad suam administrationem transtulerit: itaque cognomen illud optimi jure optimo addi posse, quo omnes aliorum laudes facile continentur. Jam vero illud inter omnes constare, regnum omnibus bonis & divinis & humanis, & magnitudine & amplitudine & dignitate longe præstare; dignissimumque esse, de quo omnis contentio suscipiatur; eum igitur, qui rem omnium, quæ in natura sunt, pulcherrimam, omnium pulcherrime administret, nunquam digne satis laudatum iri; neque ullam ubertatem ingenii, ullam dicendi copiam, ullum licet divinum, atque incredibile genus orationis, ejusdem laudibus par ullo modo futurum. Concluderet autem totum hunc locum ita, ut diceret; licet magnificentius locutus fuer-

(a) Contigit ea Melitenis obsidionis liberatio anno 1565. Vide Cæsarem Campanam, *Vita di Filippo II.* pag. 161.

rit, nihil tamen periculi esse, ne majora dixerit Philippi meritis: quod non fabula sit de licentia poetarum, nec opinio de fama veterum; sed manifesta res, & probata. Immo contra non parum veræ laudis a se omissum, ab iis quibus res notæ sunt, desideratum iri, qua de re alibi quoque monuerit; sed non minus considerandum esse, quid facultas sua possit, quàm quid tanto Regi debeat.

Ex iis, quæ dicta sunt, colligeret Isocrates: non temere Philippum ad tantam gloriam pervenisse, ut ejus laudes omnium sermone celebrentur, & suis ipsius meritis notior omnibus gentibus redditus fuerit, cum tamen non posset esse nobilior; adeo ut illum fama, illum gloria, illum populorum admiratio & laudes in cælum efferant. Nam, si gloria, ut est notum, est illustris, & pervagata multorum & magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum; neminem, quàm Philippum, solidiorem, veriorumque gloriam unquam sibi peperisse, quod nullus sit de tot ac tantis populis ei subjectis, qui hæc illi accepta non ferat: pacem, ocium, tranquillitatem, securitatem, sacra majorum publica & privata, ipsam denique salutem.

Ubi verò Philippi gloriam paucis attigisset Isocrates, nullam simul aliam felicitatis partem in eo desiderari ostenderet; quod tales sit majores ac parentes nactus, ut omnium optime natus sit; ea formæ dignitate, ut vel eo nomine majori etiam dignus imperio censeatur; quod regna a patre accepta sine ulla controversia obtineat, & qua virtute est & fortuna, augeat; quod tanta sit potentia, ut rex sit regum; quod omnium aliorum regum fortunam superet etiam bonis consiliariis, & præsertim hoc Senatu nostro Europæ totius ornamento; quod fortunatus sit Karolo filio (a), egregia quadam, & præclara indole & spe summa; fortunatus eo denique, quod cum mortalis natus sit, immortalis sui memoriam posteritati commendabit. Id. facile autem inde probaret, quod doctissimus quisque de Philippo jam scribit, & scribet; ut ejus facta illustria, præclara, & immortalitate digna, memoriæ prodant, & optimi Regis exemplum non tam ad imitandum, quàm admirandum posteritati proponat: quæ quidem omnis illum cantabit, atque magis licere sibi existimabit de Philippo, quàm Poetis de aliquo veterum dicere; illum Deum inter homines fuisse, aut Numen, non autem aliquid mortale. Immo, si quis ob res præclarissime gestas, ob maxima beneficia in omnes collata, ob bene administratum regnum,

(a) Unicus Philippi II. filius, juvenisque annorum duntaxat 22, aut 23. morte functus anno 1568. Murator. *Annali d' Italia* tom. 10. pag. 441.

ob defensam, ac propagatam religionem post mortem in Divorum numerum refertur, non dubitaret, quin Philippus idipsum esset consecuturus; præsertim cum felicissimus, & Deo gratissimus semper vixerit; atque illum deinceps etiam felicissimum diutissime victurum speraret. Quod ut fieret, Deum oraret, ad ipsum Regem, tanquam præsentem, orationem convertens suam! Deum obsecro, Philippe, ut omnia quæ facis, quæque facies, secunda eveniant tibi, Reipublicæ, nobis; vel si brevius sit precandum, tibi, in quo & Resp. & nos sumus. Utinam quàm diutissime vivas nobiscum, paci, tranquillitati, & saluti nostræ consulens; neque tuum celeriore ævi sempiterni fructum nostris commodis præferas, sed Karolo filio paternis, & avitis virtutibus orbem terrarum regente, & gentes omnes beante, tum demum ubi volueris ipse in Divorum numerum evoles. Quæ a Deo Opt. Max. precatus sum, ita rata, firmaque sint, ut hoc votum non solum est meum, sed etiam bonorum omnium, qui sibi se ac liberis suis intelligunt precari, quæ pro te, atque incolumitate tua precantur.

Hæc precatus Isocrates, eundem Karolum in extrema oratione adhortaretur, ut admonitus hisce laudibus, paternæ virtutis, quod facit, esset æmulus; conaretur autem se excusare, quòd inflammare videretur satis per se incitatum: ideoque laudaret simul a majoribus, & a Patre tanto; quòdque adolescentulus jam non minus re, & maturitate, quàm spe & expectatione probaretur.

Sic nos quidem, Adolescentes, conjecturam quandam de Isocrate ex ipsius consuetudine facientes. At ille re, verbis, & omni genere orationis multò melius etiam, quàm nos animo ipsi nostro capere possumus; licet animus ipse semper aliquid immensum, infinitumque desideret. Nam quæ nos breviter, simpliciterque sine ulla exornatione exposuimus, ille dilatasset, atque amplificasset; omnes verborum, omnes sententiarum in hac præclara laudatione illigans lepores, omnem undique delectationem aucupatus, omnes undique flosculos carpens, & delibans; neque verò in ea ullum pigmentorum colorem, ullum orationis lumen desiderari passus fuisset. Sed nos, licet neque satis æstimare propter summum splendorem Regis virtutem, neque animo quidquam tam altum incohare possimus, neque eloqui, quod tanti Regis majestate sit dignum; & licet opus esset ipso Isocrate in tali ac tanta laudatione: tamen non æquum fuit, dicturos de Isocrate in laudando ratione aliud exemplum ponere. Etenim ejusmodi Princeps est ut, qui cum non laudet, se pro invido probet: qui non auguste reveretur, & plurimum se ei debere non profiteatur, injustus sit, & ingratus, &

præsertim literatus homo : cum ejus auspiciis pax vigeat, bonæ literæ foveantur; quippe qui Hercules alter est Musagetes. Nos vero, qui numquam satis laudati Regis nostri jussu hunc locum tenemus, redibimus ad Helenæ laudationem, ab Isocrate singulari artificio scriptam; quod quidem artificium ut tenere possitis melius, redibimus item ad ea eloquentiæ præcepta, quæ ab adolescente Cicerone tradita, etiam senibus negotii non parum possint facessere.

DE VITA ET MORIBUS  
OCTAVIANI FERRARII  
PHILOSOPHI CLARISS. ET MEDICI NOBILISS.

ORATIO III. (a)

**S**I Octavianus Ferrarius, Peripateticorum hujus ætatis facile princeps, Mediolani pro suis meritis cum in singulos homines, tum etiam in patriam universam laudandus esset, viri Mediolanenses, non solum in hoc loco, sed etiam in frequenti Medicorum, & plenissimo Jurisconsultorum collegio ab ipsis & Medicis, & Jurisconsultis, eorum quæ plane perfectum sapientem constituunt non ignaris, tanquam de tribus hisce ordinibus optime meritis, laudandus esset. Hic est primus ingressus orationis meæ: quo ut mihi aditum ad omnia, quæcumque dicturus sum, patefaciam; in hoc tanto viro summa quædam beneficia in universam patriam collata, quædam in quosdam singulos homines agnoscenda sunt; ea quæ vel ad tales laudes causa posteritatis excitandas, minime tacita ferenda sunt. Medicos sibi devinxit, & hic, & alibi ad medendi facultatem celebri sapientia sua illos perducens; in rebus dubiis velut alter Apollo consultus, & magno ingenii acumine quærentibus satisfaciens. Jurisconsultos ad jurisprudentiam, qua res humanæ gubernantur sic, ut ex justitia sit concordia, ex concordia civitates coalescant, & ubi coaluerint, eadem perdurent, reddidit paratior: dum eos a Rhetoribus informatos, quæ de moribus ab Aristotele divinitus sunt scripta, quæ juris scientiæ sunt tanquam basis, ac fundamentum, docuit. Verum hæc ejus merita in utrumque collegium, hoc est, in duo patriæ nostræ lumina clarissima, sic omnibus

(a) Vigesima sexta Cicereii oratio, anno dicta 1587 die 13 Novembris, ut in MS. Belgiojano, unde sumpta est, adnotatur.

nota sunt, ut nulla orationis luce indigeant; non aliter in omnium oculos, atque meridiani solis radii incurrant; ut, qui illa velit illuminare, idem lumen soli velit addere. In lucem, atque in conspectum hominum protrahenda sunt illa, quibus quosdam cumulavit. Longiori oratione illustranda sunt illa, quæ in singulos homines, atque in me unum præcipue contulit. Neque verò tam demens sum, qui velim alium quemquam sui debiti commonefacere, aut cuiquam officium memoris animi & grati præripere: de me uno loquar, qui ut ex hoc loco docerem, ipse potissimum auctor Senatui, populoque Mediolanensi fuit; neque hoc contentus, me hanc Spartam nactum, sic condocesecit, ut eam exornarem, & annum jam VII & vicesimum non sine fructu eorum, qui me quotidie docentem audiunt, hunc locum teneam. Idque eò fiet, ne tanti viri memoria obsolescat; sed nostro labore illi debito splendescens, posteros ad idem faciendum excitet. Quare, si quid est in me facultatis dicendi (quod quam sit exiguum, scio); id ipsum, quantulumcumque est, jure meritissimo in celebrandas Octaviani Ferrarii laudes conferre debeo. Sunt igitur, utcumque poterimus, tum commemorandi ejus mores, virtutesque; tum, quæ iis affectus, in vita gessit, dicenda. Atque id quidem a nobis fiet non penitus eo, quo laudatores solent, modo, omni videlicet ornamentorum genere adhibito; sed quasi quodam Historicorum more potius. Atque in hoc mihi satis fuerit; si aliquod animi grati in hominem amicum mortuum signum ostendens, præstantibus in dicendo hominibus commentarium parvero eorum, quæ ipsi pro sua facultate mirabiliter olim exornare dicendo possint. Et est illud quidem artis, atque disciplinæ laudantium (nunquam negabo); ut in eo, quem laudandum, atque oratione exornandum sumpserint, omnia laude digna esse faciant, omneis laudis partibus exæquent. Quod mihi in hoc præsertim homine non libet facere: malim summa quædam vere commemorare; unde quisvis omnem hominis vitam possit conjicere. Ac, quanvis in hoc orationis genere non ita de veritate laboremus; tamen nihil impedit, quin laudatio, quod verior est, eò etiam præstantior esse censeatur. Igitur Octavianus Ferrarius, puer adhuc, usus est præstantibus Magistris, atque iis quidem acri judicio delectis Hieronymi patris (1) viri nobili genere nati, magnique animi; qui bis Hierosolymam tum studio religionis, tum disciplinæ causa peregrinatus est, cui Octavianus maximam gratiam vel eo

(1) Ad hunc fortasse Ferrarium Hieronymum epistola illa est Lucilii Philalthei Kal. Januariis 1528 in libro Epistol. ejusdem, Papiæ per Bissium 1574.

nomine se habere jam grandis natu fatebatur; quòd nulli unquam sumptui in eo, quod ad filii institutionem pertineret, parisset. Ac primum usus est Bartholomæo Presbytero (1), quem Joan. Baptista Specianus (2) Karoli V. Imp. Senator, & Duumvir rerum capitalium perpetuus, hominum æstimator acerrimus, erudiendis liberis suis postea præfecit. Deinde magistrum habuit, ad quem . . . anno fere ineunte CIOIOXXXI, Jacobum Majetum (3), summum juventutis moderatorem, discipulorum

(1) Quis fuerit Bartholomæus Presbiter Ferrarii, itemque filiorum Speciani Præceptor, inexploratum mihi est.

(2) Cremonensis in *Scriptoribus Exteris* apud Argelatum; ubi & ejus epitaphium, quod habetur in insigni tumulo in Templo S. Mariæ Pacis.

(3) Eo ipso in libro, ex quo Majeti epitaphium excipimus pag. 114, duplex alia epigraphes in eundem occurrit:

Prima.

*Heu fata impia! jacet hic Jo. Jacobus Majetus, summa præditus doctrina, qui incorruptam semper (ut cotidie moriturus) exigebat ætatem. Laura de Vegiis castissima ejus conjux, & Dareus filius mærentes erexerunt tumulum.*

Alia est hoc titulo:

*Jacobi Majeti, qui Mediolani profitebatur bonas litteras ab Arone Bataleo.*

*Si doctrina solet fatis occurrere, mores*

*Nec violare sacros mors, Jacobe, potest,*

*Te periisse nego, tibi nec Mayetæ sepulto*

*Marmora jam possunt comminuisse diem.*

Mediolanensem fuisse Jacobum Majetum ex Lancini Curtii epigrammate lib. 16, pag. 73. satis liquet. Quem mox nominavimus Arontem Bataleum, ab Argelato collocatum inspicimus in *Appendice ad Bibliothecam Scriptor. Mediolanens.*, hunc tamen fugit illius carmen \* in 4 sub titulo *Plausus*, quod alibi citatus Index Oporinianus exhibet. Mediolani græcas, latinasque litteras professus est Batalius, sociumque in Oratorio docendâ munere habuit Colam Montanum. *Joannes Cola Montanus latine, Aron Batalius græce, & latine*, inquit Terzagus in suis *Precibus ad Senat. Mediol.*, qui paulò supra dixerat: *Tempore Galeatii Sfortiæ Secundi Ducis legimus apud Corium, & Morigiam docuisse Joannem Colam Montanum, cujus extant grammatices regulæ, & cum eo Arunta Batalium in quodam Dialogo loquentem inductum.* Hujus auditor fuit Marcus Antonius Majoragius, quod adnotavit Brucherus (a), imo testatur Majoragius ipse (b). Ex Cod. MS. Benedicti Jovii penes Abbatem Masnagum colligo Bataleum etiam Belitionem concessisse Insubriæ oppidum in Helvetiis, ubi litterarium Ludum aperuit; pag. enim 31 illius Cod. est *Sylva ad Arontem Bataleum Ludi Magistrum apud Belitionem*, quæ incipit: *Sylva per umbrosas.*

Non abs re erit, quoniam de Joanne Cola Montano sermo incidit, aliqua de eo adnotare. Fuit is de Sagio Bononiensis, & Mediolani litterarum latinarum præceptor. Inter ejus discipulos præter historiographum Bernardinum Corium adnumerantur Hieronymus Olgiatus, & Carolus Vicecomes, qui unacum Andrea

(a) *Histor. Crit. Philolog.* tom. 4. par. 1. pag. 192.

(b) *Reprehensio.* lib. 1. cap. 16.

discipulorum frequentia, & nobilitate per illa tempora florentem, cui magistro treis annos perpetuos operam dedit Ferrarius; postremò sub Othone Lupano Casalensi, qui gravissimus interpres scriptorum cum Græcorum, tum Latinorum diu magna cum laude hunc locum tenuit, multosque annos meruit. Audiebat etiam identidem hujus municipem, & privatorum laborum socium ac participem; præterea publice ex hoc loco docentem græce, Josephum, Stephani Nigri (1), qui annos octo in Græcia græce discendi gratia fuit, fratris filium. Quæ quidem paullò diligentius persequi libuit, ut intelligatur, ex quibus jactis fundamentis tam eximii parietes, quàm eximios mox dicemus, surrexerint; & quibus radicibus nixi, tam alte se rami extulerint, ex se se frondes, flores, poma postmodum miranda proferentes. His igitur magistris cum non parum profecisset, & sibi viam ad majora muniisset; jam sapere per ætatem, atque optimam institutionem incipiens, existimavit, ut erat egregiæ indolis, & summæ expectationis adolescentulus, sibi ad ea, quæ a natura, quæque a fortuna essent data, animo menteque addenda esse illa, quibus animum rebus optimis expoliret: natus primùm ad præclara intelligenda, deinde ad præclara ex iis, quæ prius intellexisset, agenda; ut, hoc modo informatus, omnibus quibuscumque posset, prodesset, noceret autem nemini. Itaque continuò in liberales artibus totus incubuit; & diffusus ingenio suo, patria relicta, peregre profectus, quæsitivè adjumenta doctrinæ, ut in philosophum, ac medicum non vulgarem aliquando evaderet. Italiæ Gymnasia sive Academiæ, aut ab imperiosis populis, aut a Rebuspublicis, aut a summis Principibus institutæ, in quibus homine libero digna omnis ars, omnis disciplina, omnis scientia denique a magistris magnis traditur, quò ex universa Europa, tamquam ad rerum pretiosissimarum mercatus, atque

Lampugnano in cædem conspirarunt Galeatii Mariæ Sfortiæ Mediolani Ducis, cui conjurationis incentor fuit etiam ipse Cola Montanus. V. Corium, Campium (a) Orlandum (b), Crescentium (c), ubi de Lampugnans; & Tiraboschium (d), qui hujus tantum orationem ad Lucenses memorat, quæ impressa habetur, extatque illius exemplar apud laudatam Masnagum. Ex Terzagi tamen allato testimonio Colam Montanum Grammatices etiam regulas composuisse discimus. Utrum vero MSS. hæc tantum fuerint, an typis editæ, affirmare non ausim.

(1) Quem laudat inter Mediolanenses litteratos Picinellus, inter Cremonenses Arisius, & *Scriptoribus Exteris* accenset Argelatus. Nigrum Casalensem fuisse hinc intelliges, cum is Othonis Lupani eo loco orti concivis dicatur.

(a) *Historia de' Duchi, e Duchesse di Milano.*

(b) *Scrittori Bologn.*

(c) *Anfiteatro.*

(d) *Letterat. Ital. Tom. 6. par. 2., & Tom. 9.*



emporia confluunt ad capiendum animi, atque ingenii cultum excelsi animi adolescentes, multæ sunt; sed, quas Octavianus Ferrarius frequentavit, tres sunt tantummodo; Patavina, Pisana, Ticinensis. Nam primum omnium, patria relicta, Patavium se contulit, ubi in summis doctrinæ gravioris occupationibus nunquam tamen elegantium literarum studia intermisit; audiens subinde amicum ac familiarem suum, Lazarum Bonamicum (1), literatorum omnium illius ætatis longe principem. Atque hic Remigio Meliorato (2), cujus extant multa vere sapientibus valde probata, sed maxime liber *de Putredine*, ex Aristotelis, quem potissimum sequebatur, sententia conscriptus, in dialecticis exercendum se tradidit. In his diu ac multum commoratus, & bene subactus adeo, ut ad disputandum, velut alter Chrysippus, ad miraculum usque paratus, atque exacutus esset; ad omnis naturæ contemplationem gradum fecit optimis Magistris usus. Etenim Ticini audivit Brandam Porrum Castelleonium (3), tantum philosophum, quantum nostra civitas, virorum in omni genere præstantissimorum mater, ad ea usque tempora nunquam peperisset. Patavii rursus audivit Vincentium Madium (4), quo naturæ parentis illustratore, & summo Aristotelis Interprete, Brixia jure optimo gloriatur, & Joann. Franciscum Beatum (5), Prædicatorum Ordinis decus, atque ornamentum, quem tanti fecit, ut, cum a Florentinorum Duce honestioribus præmiis ab Academia Patavina ad Pisanam traduceretur, eum illico fuerit secutus. Cujus quidem Beati extant quidam in Aristotelis *Metaphysica Commentarii*, omnium magnorum Philosophorum judicio laudatissimi; quos auctor ipse

(1) De quo Ghilinus, Tiraboschius, & alii. In Codice 269 Ambrosianæ multæ sunt Lazari Bonamici epistolæ latinæ, & aliquæ etiam italicæ ad varios scriptæ, nempe ad Onuphrium Panvinium, Alexandrum Ferrazzum, Guidonem Rangonum, Fregosium, ac tres etiam ad Aldum Manutium, duæ nempe latinæ, & alia græca Ferrariam scriptæ, græca 1508; latinæ autem, alia 1509, & alia 1510. Bonamici annotationes in librum primum Ciceronis *ad Herennium* caractere Cicereii conscriptæ in Codice extant Belgiojosephiano. Eiusdem Bonamici Vita, per Jo. Baptistam Verci habemus. (*Nuova Raccolta d' Opuscoli* Tom. 28.)

(2) In Burgo S. Sepulchri, seu Biturgiæ in Tutcia ortus, Patavii, ac Pisis Peripateticam docuit. Ejus liber, quem Cicereius indicat, in Ambrosiana extat impressus, Venetiis 1561.

(3) Castelleonium in *Bibliotheca* sua Argelatus, ac in *Athenæo* Picinellus repofuere, laudatque Morigia *della Nobiltà di Milano* pag. 220.

(4) De quo Ghilinus *Teat. de' Letterat.* par. 2.

(5) Cujus mentio in *Bibliotheca Ord. Prædicator.*, ubi tamen *Commentaria* ejus in *Metaphysica* Aristotelis non indicantur, sed ea tantum, quibus secundum Physicorum illustravit.

præposita epistola in aliquot auditorum suorum, ac maxime Octaviani nostri gratiam se in vulgus edidisse, testatur. Hoc loco, viri Mediolanenses ipsi per vos, etiam me tacente, satis intelligitis, cum tale ac tantum ingenium, tam ab omnibus artibus paratum, omnis naturæ investigandæ cupidissimum, in taleis ac tantos magistros, ejusdem naturæ quasi quosdam promos, ac condos, pene dixerim arbitros, incidisset, quantum philosophum informarint; præsertim cum illud verum esse recordamini: *Bonus dux bonum reddit comitem* (a). Jam vero Medicina tantum naturæ contemplatorem ad se vocabat; & suum fieri sectatorem, atque amatum impensius cupiebat. Ergo Ferrarius primum Patavii Joannis Baptiste Montani (b), deinde Pisis Matthæi Curtii (1) fit auditor, atque discipulus, duorum Medicorum præstantissimorum, quorum nomen universam Europam sic est pervagatum, multis utriusque invulgatis operibus; ut nihil sit in eo genere illustrius, nihil omnibus cognitum magis sit. Per quos ubi quamplurimum in Medicina profecit; Ticinum, uti Philosophiæ, atque Medicinæ doctor fieret, rediit. Miles emeritus utriusque facultatis ejus, quam dixi, rûde donari, & doctor fieri a Branda Castelleonio voluit; cujus primum magno ingenii acumine fretus, quasi ingenti lumine menti prætenso, omnem naturæ obscuritatem tenebrasque ex animo dispulerat. Attendite Viri Mediolanenses, a quo potissimum doctoris insignibus fuerit decoratus; ut mox, non sine causa vos hoc ipsum attendisse, intelligatis. Nihil unquam majori cum virtutis admiratione in eo Gymnasio ab omnibus magnarum artium peritis spectatum est, atque hujus philosophi, ac medici creatio. Ita sapienter, & exprompta memoria ad eas quæstiones, quæ a doctoribus proponebantur, respondebat; ita fortiter, & copiose rursus a se positas admodum admirabileis quasdam thesibus paucis diebus ante tutatus fuerat, ut omnes partim novum quendam Aristotelem Athenis, partim alterum quemdam Galenum Pergamo ad nos remissum, disputantem audire sibi viderentur. Gravissimus quisque magnarum artium doctor; diu, ac multum in Ticinensi Academia spectatus, illum maxime dignum censebat, non qui in patriam ad Medicinam faciendam mitteretur, sed, qui Ticini retentus, alios publice doceret; & tum

(a) Inter *Adagia* Manutii, & Erasmi. (b) De quo Ghilinus parte 2.

(1) Qui Ticinensis patria, Philosophiam, ac Medicinam in Ticinensi, Patavina, Pisana, & Bononiensi Academia magna cum laude professus est, laudaturque ab Jo. Jacobo Mangeto (a), & aliis. Nonnulla ejus opera extant in Ambrosiana. Ad eundem epistola legitur Christiani Lazari Ticinensis.

(a) *Biblioth. Scriptor. Medic.*

Dialecticos, tum Philosophos, tum Medicos, si non sibi pares, at saltem sui simileis faceret. Id quod mox evenit. Nam Senatus Mediolanensis statim admonitus, atque edoctus de Octaviani Ferrarii mirando ingenio, summaque doctrina, cum Dialecticæ præfecit explicandæ; eique in hac publici muneris functione Ludovicum Trinum (1) in ea facultate summum, maximumque opposuit: quo quidem in ordinario loco, ac munere tres annos versatus, strenue se gessit. A logicis jussu ejusdem Senatus ad physica gradum fecit; in eisque explicandis (quod mirum fuit omnibus, eundem in eodem genere scientiæ habuit antagonistam, quem in eadem Academia paucis annis ante magistrum habuerat, quem, quanto minor erat & ætate & auctoritate, tanto præstabat labore, & diligentia; ut, cum gravitate apud omnes polleret Castellionius, magis tamen auditoribus se probaret Ferrarius. *Multi discipuli præstantiores magistris (a)*. Neque vero hac de re gravissima tam præclarum certamen paucorum dierum, aut certe nonnullorum mensium fuit; sed inter senem, longo usu rerum edoctum, & sapientia polletem, & juvenem sane quam diligentem, & magno ingenii acmine valentem, comparatum, in novem annos est productum, & processisset etiam longius hoc certamen, nisi res magna quædam Octavianum Ferrarium in patriam revocasset. Nam Paullus Canobius, homo nostræ civitatis nobilissimus, & vir in omni genere elegantissimus: quid ego, inquam, vir, aut homo? immo heros nunquam intermorituri nominis, aut gloriæ, incredibilem suum in patriam amorem ostendit anno salutis MDLIII. Etenim testamento Hospitalis magni Præfectos omnis patrimonii sui amplissimi hæredes, atque administratores ea lege instituit, uti fructuum, quos eis relicta prædia redderent, fere tertiam partem ad sustentandam pauperum egestatem conferrent; de reliquis duo summi Doctores conducerentur, atque in æcis suas traducerentur: quorum alter juventutem dialecticis ab Aristotele scriptis, ad ratiocinandum exaceret; alter moribus & publicis omnis civitatis, & privatis cujusque hominis ab eodem Aristotele in artem redactis, expoliret; de eisdem fructibus quotannis certis & stans diebus publica disputationum certamina fierent; & sua præmia iis darentur, qui theorematum mirabilia quædam, a se ad discutiendum proposita, strenue tutati fuissent, & vicissent; eoque pacto non parva suæ doctrinæ dedissent documenta.

(a) Græcorum sententia apud Ciceron. ix. *Familiar.* 7.

(1) Ludovicus Tridinus, seu Trinus Logicæ Professor Papiæ 1548. V. Jacobum Parodium, *Elench. Actuum Ticinensis Studii*; ubi & Cæsar Cafatus, de quo Vol. I pag. 53, Papiensis patria, atque ibi juris Canonici Professor fuisse anno 1536 dignoscitur.

Domum suam satis amplam, & adfabre exædificatam, eum hortis amœnissimis in rivum, ac fossam, qua urbs nostra cingitur, protensis, ac procurrentibus in scholam, & gymnasium, duorumque Doctorum, quos dixi, domicilium converti jussit; ita tamen, ut, si domus ea forte parum commoda huic usui visa fuisset, quod a civium frequentia paulld̄ esset remotior, nempe in Divi Ambrosii area, ædem Divo Petro sacram; super dorso constructam prope contingens, divenderetur, & in ampliorem, & ipsius principis curiæ, in urbe media constitutæ vicinam, commutaretur: id quod aliquot annis post, quam doceri cœptum est, ab Hospitalis magni Præfectis probe curatum est; atque insuper in iisdem ædibus amplissimum auditorium forma rotunda exædificatum est. Quo quidem tempore ex Bononiensi Academia Mediolanum accitus, Christophorus Mauricius (a) Bononiensis, philosophus, ac medicus jam Logica docebat, quod etiam nunc summa cum laude facit: homo in Canobiana schola colenda mire studiosus, & omni doctrina & virtute ornatissimus. Hujus autem institutionis, atque voluntatis suæ Protectores, Collegii Mediolanensis Jurisconsultos in eodem testamento scripsit Canobius. Hanc porro tam præclaram senis nunquam satis laudati voluntatem, atque immortale factum perpetuo volumine aliquo decantandum, & ad cælum mehercule tollendum verissimis ac justissimis laudibus, acerrimi judicii vir, Alexander Crassus (b), Petri Antonii filius, Francisci Magistrat. Ordinar. Præsidis, & Cardinalis, & Canobii ipsius uxoris germanus frater, suo testamento, aliquot annis post, nempe anno *CICIDLXIX* condito, ita comprobavit; ut ad eos reditus, quos Paullus Canobius legaverat, addiderit vigesseis *CIOCCXXC* annuos, ut, iis ad priorem summam additis, eo præstantiores interpretes majoribus præmiis conducerentur. Quoniam vero Canobius in testamento scripserat, se Octavianum Ferrarium, cujus Aristotelici philosophi summam doctrinam semper suspexerat, quemque unice dilexerat; ut omnium primus in Schola a se instituta doceret, & civem hortari, & amicum rogare; iccirco neque amici voluntati, neque patriæ commodis in tali casu deesse voluit Ferrarius. In patriam igitur rediit, & obsecutus tanti herois voluntati, & communis patriæ commodis interveniens, Aristotelis Ethica, & Politica Mediolani primus omnium in Schola Paulli Canobii docuit; idque annos duodeviginti facere perrexit, ex tanti in testamento præscriptis omnia, & dicens, & faciens. Jam igitur constabilita erat Canobiana schola; jam aliquoties egregio ingenio

(a) Ad hunc epistola habetur Ericii Puteani.

(b) De quo Morigia *Histor. di Milano* p. 472.

juvenes statis temporibus documenta dederant suorum progressuum, quos non parvos in logicis, & philosophia de moribus fecerant; jamque suæ virtutis præmia ceperant, fructus suorum laborum uberrimos; jam in docendo annos decem & octo, sicuti diximus, processerat Ferrarius, cum jussu, imperiove Senatus, Physica Ticini docendi primo loco munus capessit; ejusdem muneris collega, Hieronymo Casonio (1), homine non solum ab omni Philosophia, sed etiam ab omni & solutæ & numeris adstrictæ orationis elegantia paratissimo. Jam laborem hunc maximum septem annos sustinuerat animo infracto Ferrarius; cum infirmæ senectutis incommoda sentire cœpit maxima. Quæ res hominem, ut ad Senatum supplicem libellum hujusmodi mitteret, compulit. *Illustris. Præses (a), & Senatores clarissimi, novo morbi genere, quo hyeme proxima superiore laboravi vehementer, tantum amisi virium; ut ex iis quantulumcunque mihi superest, id labores docenti in Gymnasio Ticinensi subeundos, posse amplius tolerare profus desperem. Quapropter rogare vos, & obtestari cogor universos, præferim cum munus hoc annuum jam expleverim; nunc ut & ab eo in posterum vacare, & domum redire vestro concessu mihi omnino liceat. Ticini MDLXXXII. D. IX. Augusti. Octavianus Ferrarius. Octaviani Ferrarii desiderium.* Porro, venia, & missione ab invito Senatu impetrata, Canobianæ Scholæ munia repetit, honestioribus, amplioribusque præmiis multò, quam prius, affectus. Iterum igitur in patria Aristotelis Ethica, & Politica publice docet annos IV; idque magno amicorum, & familiarium applausu. Vix Ticino abscesserat Ferrarius, cum Cæsar Rovidius (2), ejus disciplinæ Alumnus, ordinario muneri explanandæ naturalis philosophiæ a Senatu præficitur; juvenis græcæ, & latine doctus a puero, & artibus ingenuis valde eruditus; tantæ porro diligentiæ, studii, laboris, industriæ non solum in publice docendo, verum

(a) Qui Joannes Baptista Rainoldus tunc erat. Ita ex Libello *Dierum Utilium*.

(1) Hieronymus Casonius Utinensis Philosophiæ Professor Papix (a), ad quem Baldinus in *Lusibus* distichon pag. 107, & epigramma habet pag. 42., itemque epistolam Christianus Lazarus.

(2) Nobilium Medicorum Mediolani adscriptus Collegio, atque in Ticinensi Academia publicus Philosophiæ Interpres, de quo vide Picinellum, Argelatum, Sylvaticum, Crescentium, & alios. Erudita plura reliquit MSS., quæ in Ambrosiana servantur. In *Appendice* carminum Bernardini Baldini pag. 43 epigramma \* ad Cæsarem Rovidium legitur. Quatuor extant epistolæ italicæ Francisci Cicereii ad eundem in Cod. Belgiojoviano, atque latina epistola Lucilii Terzagi in Bibliotheca nostra, Cod. 260, quam post hanc Orationem afferemus.

(a) V. Parodium *Ticin. Stud.*, & Ghilin. *Test. de' Letter.*

etiam in privatim exercendis adolescentium animis; ut non mirum sit, si incredibili ejus virtutis fama impulsus Patavinæ Academiæ Præfetti illum expectant, & aliquoties jam ad se traducere fuerint conati. Sed mihi ad alia, quæ restant, properanti, manum quidam injicit, & jubet hoc loco consistere, hac me urgens interrogatione: quid causæ est, quodd hic, quem tu tantum interpretem naturæ, atque morum facis, tam paucis auditoribus fere stipatus erat? Dicam, inquam ego, si audies: & ita dicam; ut, quod tu de Ferrarii existimatione detrahere putas, id ego ad ejus laudem augendam vel maxime facere existimem. Nullo pacto eò se demittebat, ut, quod fere fieri solet, auditores ambiret. Primum omnium verba Aristotelis constabilire, græca cum latinis conferre, adhibitis veteribus libris novos emendare; nihil denique, quod non vulgarem interpretem deceret, non facere solebat. Hæc qui faciunt, non ita multos auditores habent. Majore corona sunt stipati, qui ad studiorum exitum festinant: quod illi, qui properant ad lucrum, vehementer expetunt. Sed hunc summum Peripateticum nihil vulgare, nihil populare, delectare poterat. Sciebat enim, philosophiam paucis contentam iudicibus, multitudinem consultò fugere. Denique hic interpres, cui tu certe aliquo livore suffusus auditorum paucitatem loco probri objicis, vitioque das id, quod philosophiæ proprium, peculiareque est; magnis præmiis propositis, ter invitatus Patavium fuit; primum quidem per Hieronymum Cargam, valde bonum Poetam, & apud Principes homines gratia pollentem; deinde per Joann. Baptistam Rasarium, omnis Philosophiæ, Medicinæque græce scriptæ correctorem, atque interpretem eximium; postremò etiam Rasario mortuo, per Vincentium Pinellum (1), omnis politioris atque elegantioris doctrinæ, omnis philosophiæ, sive illa sit de natura ac moribus, sive ad differendi subtilitatem pertineat, cultorem perpetuum. Sed adhibeat oratio modum; & redeat illuc, unde deflexit. Hactenus, qualis ac quantus philosophus fuerit Octavianus Ferrarius, longa usi oratione diximus, nunc breviori Medicum describemus. Officium Medici (ut inquit Asclepiades) est; ut tutò, ut celeriter, ut jucunde curet. Quæ tria in

(1) Qui Patritius Genuensis fuit. Ejus vita typis edita est, autore Paulo Gualdo, Augustæ Windelicorum anno 1607. Bibliothecam optimis Codicibus instructam possidebat, post cujus mortem plures ejus Codices pretio sibi paravit Cardinalis Fridericus Borromæus, atque in Ambrosianam intulit; vide Petrus Paulus Boscam *de Bibliotheca Ambrosiana* pag. 29. Plures ibi sunt Oberti Gitanii epistolæ ad Pinellum, ut vidimus, ubi de Gitanio. Nonnullæ sunt etiam ad eundem typis editæ epistolæ Caroli Sigonii, Manutiorum Pauli, & Aldi, itemque Ericii Puteani.

Ferrario fuisse, ego in mea ipsius valetudine ejus artem expertus, vere possum dicere, atque affirmare; quinimmo pro ea familiaritate, quæ mihi cum illo fuit, animadverti, illum non fere quemquam, nisi amicum, atque familiarem curare fuisse solitum; ac gratis quidem: neque hoc contentum, si in pauperem incidisset, eum pristinæ sanitati restitutum, etiam pecunia insuper, atque aliis opibus juvisse. Quæ omnia cum in Octaviano Ferrario fuerint, quid amplius quisquam in Medico desideret? Sed heu nos infelicis! Hic in latine, græceque scribendo, atque in omni rerum genere tam elegans, tantus dialecticus, hic tantus omnis naturæ arcanorum scrutator, tantus morborum tam animi quàm corporis propulsator; tam in amicos liberalis, in suos civeis beneficus: nos moriens miseros perdidit; nos hic mæstos reliquit, atque abiit. Amisimus autem hunc tantum virum pessimo quodam nostro fato, anno infelicissimo proximo superiori CIOICLXXXVI. Obiit autem die Dominico, qui dies Solis fuit III. Non. Octobris, hora XXI in villa Secura (1); cum subito in morbum recidisset, creditus ad eam usque diem ex longa ægritudine resipiscere, quod carne convestiri, & pinguescere cœpisset. Cum ejus cadaver, arca inclusum, in urbem delatum fuisset, postridie eadem hora, qua pridie exhalarat animam, sepultus est die Martis mane in monumento patris, majorumque suorum, quod in Ambrosiani Templi cella, D. Hieronymo dicta, dicataque (2), conspicitur.

Tantum

(1) Scire mihi sane quam jovit, Securæ mortuum Octavianum Ferrarium fuisse; cum enim exinde Parochialis Ecclesiæ S. Georgii loci illius (qui milliaria 6 Mediolano distat) monumenta perquiri, & expendi curassem, aliqua tum de Octaviano innotuere, tum de alio Scriptore nostro æque celebri, eidemque cœvo, Annibale Cruceio. De Octaviano hæc novi, Juliam ejus uxorem extitisse, filium ipsius, præter Hieronymum, de quo a nobis dictum supra, alium Franciscum nomine; tum Octavianum eundem Sacrorum celebrationem in dicta Ecclesia S. Georgii legasse Securæ, aut Seguræ, sicut in veteribus chartis utroque hoc nomine locus ille appellatur. Quæ de Annibale Cruceio percepi, hæc sunt; ejus filios Jo. Franciscum, Jo. Antonium, & Gabrielem, ex quibus Jo. Franciscum Securæ habitasse, uxorem habuisse Elisabeth Biragam, Pauli Antonii sororem, ac dictam Ecclesiam S. Georgii hæredem instituisse.

(2) Sacellum hoc illud est, quod primum occurrit e Sacratio DD. Canoniorum exeundo, ac modò sub S. Mariæ ad Præsepe nomine appellatur propter ejus SSmæ Virginis effigiem, quæ ibi colitur. Dicitum olim fuerat S. Hieronymo, atque etiam S. Augustino propter Sacerdotium sub hoc titulo illi adnexum, idemque Sacellum dicebatur S. Mariæ septem lampadarum, cui propinquum olim extabat Sacellum aliud S. Bassiani, exinde ablatum, ut porta aperiretur ab Canonialibus ædibus ad ipsorum Sacrarium ducens. Hæc omnia constant ex Instrumento Testamenti Hieronymi Garbagnati, qui Sacellum illud sub titulo S. Hieronymi erigi jussit, redditibusque ditavit anno 1569, ubi & ejus cineres com-

Tantum autem moriens sui desiderium omnibus, qui illum bene norant, reliquit, ut pene dolore contabescant; qui tamen dolor aliquo modo lenitur, cum variorum ejus simulacrorum corporis assidua contemplatione, tum corporis atque animi ejusdem imagine continua cogitatione comprehensa, tum sæpe legendis aliorum summorum virorum æternis de illo testimoniis, tum quotidie volvendis immortalibus ejusdem ipsius animi monumentis, tum denique æternæ salutis ab eo partæ recordatione. Nam Bernardinus Campius Cremonensis (1), Pictor insignis, Octaviani Ferrarii oris lineamenta, temperatis oleo coloribus, in tabula non ita magna sic non adumbravit, sed expressit; ut illum adhuc annis florentem animasse potius, quàm pinxisse videatur. Rursus hujus imago, ad vivum expressa, Joann. Angeli Marini (2), Siculi, egregii artificis manu ex ligno dolata apud Hieronymum Capram, Juris Consultum, conspicitur. Idem statuarius Ferrandi Gonzagæ, tanti Principis judicio probatus, atque e Sicilia in Galliam Cisalpinam ab ipso ductus, Octaviani Ferrarii Hermetem ad vivum plasticè primò ex argylla, & gypso mire effinxit; de candidissimo deinde marmore scalpello vivum Ferrarii vultum duxit, qui diligentissime apud Bartholomæum Capram adservatur. Fecit item Siculus idem Hieronymi, Octaviani Patris Hermetem vero simillimum, quem Alexander Rovidius (3),

diti sunt cum inscriptione apposita, quæ e regione ipsius Sacelli visitur. Instrumentum illud rogatum est per Notarium Lucam Porrum 29 Decembris ejus anni, servaturque in Archivo DD. Canonicorum, in quo antiqua Diplomata, & Codices magnopere æstimandi extant.

In dicto Sacello S. Mariæ ad Præsepe lapis sepulcralis extat summa superficie admodum detritus, in quo nullæ litterarum apparent notæ, ac vix annus dignoscitur, nempe 1506; atque hic ipse fortasse Octaviani Ferrarii, ipsiusque majorum est tumulus.

(1) Prima picturæ elementa ab Julio Campio ejusdem patriæ, alius tamen familiæ, percepit. Enim vero Campii Cremonenses depingendi arte magnum sibi nomen peperere; præter enim dictos, eadem arte floruit Antonius Campius Julii frater, itemque Architectus, atque Historiographus, necnon Vincentius, frater alius minor. Italica extat in Codice Belgiojofiano epistola Francisci Cicereii ad Antonium Campium, Mediolani scripta 1579, ubi & fratrem Vincentium salvere jubet, & in epistola ibidem ad Franciscum Zavam Mediolani scripta 1582 eisdem pariter salutatur. Bernardini Campi vita habetur per Alexandrum Lamum Cremonæ impressa. De hoc, aliisque pictoribus Campiis sermo est apud Arisium, (a) *Abecedario Pittorico*, Zait (b), & alios.

(2) V. Georgium Vasari, *Vite de' Pittori* Vol. 2. par. 3. pag. 21., & Carolum Turrium *Ritratto di Milano* pag. 71, & 76.

(3) Senatoria dignitate decoratus, & variis legationibus, ac muneribus apud

(a) *Cremona Litter.* (b) *Pittori Cremonesi.*  
Vol. II.



Cæsaris philosophi ac medici, de quo modo, frater, patronus optimus, clientibus ad se venientibus, in bibliotheca monstrare solet. Hannibal Fontanius (1), Mediolanensis, cujus artis præstantia, pulcherrimis signis ex Lunensi marmore elaboratis, Virginis Dei Matris Templum, cum Æde D. Celsi conjunctum, exornatum videmus; tam egregius statuarius, ut cum Florentinis artificibus de præstantia contenderit, & longe vicerit, & cum veterum præstantissimis facile comparari possit; utque immaturum ejus interitum omnes elegantes homines nuper ingemuerint: Hannibal, inquam, Fontanius in aliquot numismatis partim æneis, partim argenteis, ita præclare expressit hujus nostri caput, & summa pectoris, ut tantum non spirare videatur. Ex quarum quidem varii ac diversi generis imaginum expectatione prope quotidiana Octaviani Ferrarii amici ejus mortui desiderium non parum leniunt, & dolorem valde levant suum. Mihi verò animum ad Octavianum Ferrarium referenti (puto autem idem aliis etiam ejus amicis evenire), semper illa imago ejus corporis, atque animi se se offert, ut præsentem intueri videar hominem ea totius corporis dignitate, proceritate, multa prolixa, & decora barba; ut etiam tacentem, eximium quendam philosophum judicares, doctissime de quavis re proposita disputantem, hominum primum: ea denique specie, ut dignus videretur imperio. Tristis severitas inerat in vultu, quam tamen multa comitate condiebat; in verbis fides, quam etiam datam semel, servabat omnibus. Scio, hic adesse inter eos, qui me nunc audiunt, Jurisconsultum Collegii Mediolanensis præstantissimum, quem nominarem, nisi omnem assentationis suspensionem abhorrescerem. Hic igitur, cujus ego judicium verum esse multis in rebus sum expertus, ita de Octaviano Ferrario judicabat, ut diceret: si sic jurisprudentiæ, ut philosophiæ huic vacare contigisset, futurum fuisse, ut in gubernanda republica excelsum aliquod tribunal invaderet, honestissimam aliquam sellam occuparet; homo

exteris Principes perfunctus est. Servatur apud nos ipsius scriptum, Cod. 261, *Discorso di Alessandro Rovida della Religione Cattolica in Inghilterra, mentre egli si era Reggente*. Rovidæ tumulus cum honorifica epigraphe, quam Argelatus, & Sitonus referunt, in Basilica extat S. Stephani.

(1) De quo Morigia (a), Turrius (b), Petrus Paulus Bosca (c), aliique. Duo epigrammata sunt Bernardini Baldini in ejus obitu pag. 39, & 40. Conditus jacet in Regio Ducali, multaque religione insigni Templo S. Mariæ prope Divi Celsi, ibique ejus epitaphium, quod tyris vulgarum legitur in libro, *Notizie storiche intorno alla miracolosa Immagine dell' Insigne Tempio della B. V. M. presso S. Celso, Mediolani* 1765 pag. 38.

(a) *Histor.* pag. 289. (b) *Ritratto di Mil.* pag. 71. (c) *Biblioth. Ambros.* pag. 172.

ea animi celeritate, magnitudine, præsentia, ut ad regendum, atque imperandum plane natus esse videretur. Sed quid causæ est, Viri Mediol., quin ea ipsa verba, quæ hic totum hominem contemplatus, proferebat, recitem? Hiccinè vir, aiebat, tanta vi animi, atque ingenii vim, & aciem non ad naturæ contemplationem, sed ad juris civilis scientiam convertisset, & jurisconsultus esset; & jurisconsultus esse, quam philosophus maluisset; qui, ac quantus aut in gubernanda re-pub. fuisset, aut in rerum civilium administratione, aut in consilio Principibus viris suggerendo? Quid? Lazarus Bonamicus, elegantium literarum pater, ad quem Pátavii docentem, sicuti diximus, primò se applicuit, perspecto Octaviani Ferrarii admodum adolescentis ingenio atque eruditione, ut Phidiæ signo, quod Cicero dixit (a) de Q. Hortensio, quàm valde honorificum judicium de eo statim fecit? Etenim putare se nihil Mediolani tale jam pridem ortum; neque tantum se in eo genere vidisse, audivisseve dicebat. Porro Franciscus Vicomercatus (1) Mediolanensis, qui Lutetiæ, velut ætherius sol, universam naturam cum omnium auditorum ex tota Europa eò confluentium admiratione illuminavit, non ita multis annis ante Taurini moriens, tantam fidem Octaviano Ferrario habuit; ut testamento illi omnia sua scripta, quæ nondum vulgarat, emendanda primùm ab ipso, deinde in lucem proferenda, legaverit. Sed nimis longus sum, Viri Mediol., si aliorum summorum hominum testimonia explicare velim. Quare cogavi in angustum, & uno fasce constringam omnia, quæ vos ipsi, cum in lucem sint prolata, & sæpe legistis, & cum vultis, singula atque omnia legere potestis. Præclara sunt & vera, quæ Paullus Manutius in multis epistolis, & ad ipsum Ferrarium, & ad alios scriptis, quæ Petrus Victorius (2); at qui vir, & quàm bene de literis Græcis, & Latinis, quæ illi receptum pristinum nitorem debent, deque omni liberali cognitione ac scientia meritis! in *Commentario in Aristotelis Lib. III. de Repub.*, quæ M. Antonius Rovilius philosophus, ac medicus præ-

(a) In *Bruto*.

(1) Multorum præconio celebratus Picinelli, Argelati, Morigiæ, Ghilini, Gesneri, Tiraboschi, & Brambillæ.

(2) Septem italicæ epistolæ autographæ Petri Victorii anno 1566 Florentiæ Romani scriptæ ad Oaufrium Panvinium, itemque latina ad Gregorium XIV. in Ambrosiana fervantur. Eiusdem Victorii numismata aliqua sunt in *Museo Mazzuchelliano*; legiturque inter alias ipsius epistolas una ad Franciscum Cicereium, Florentiæ apud Junctas in fol. 1586, ibique est lib. 9. pag. 198; Cicereii autem responsio est inter *Epistolas Clarorum Italarum, & Germanorum* ad Petrum Victorium 1758, 1760 in 4.

G g ij

stantissimus, Patavinæ Scholæ alumnus in *Theorematis de Reb. Physicis ac Medicis* ipsi Ferrario inscriptis, quæ Vincentius Pinellus in Epistolis ad ipsum Octavianum missis, prodidit. Hi, inquam, quos dixi, multique alii de Octaviani Ferrarii ingenio, doctrina, sapientia, auctoritate, humanitate, & officio, & de sexcentis aliis rebus maximis, multa quidem suis scriptis, quæ interibunt numquam, mandarunt; sed præsertim de eloquentia, & præclaro dicendi genere, adeo ut potissimum Manuttus, nostri sæculi eloquentiæ decus, ac ornamentum, tantum hujus hominis eloquentiæ tribuat; ut nunc Octaviani Ferrarii epistolas dicat jucundas, & elegantes, nunc scriptionem in philosophia politam, nunc ejusdem philosophiam elegantem & præstantem; quod non faceret certe, si, quæ dictitant quidam, vera essent existimanda. Nam hoc loco videor audire quosdam lividulos, & angustioris animi homines, qui æquis auribus non patiuntur quemquam pro meritis laudari; qui, cum ipsi scribere nesciant, volunt tamen de aliorum scriptis, tamquam Apollinis Palatini judices, suam ferre sententiam: quos non nominare certum est; ne vera dicendo, illos offendamus. Ipsi Octaviano Ferrario objiciunt genus dicendi obscurum, & durum; quodque habere illam suavitatem, quam in Paulli Manutii, & M. Antonii Mureti (1) scriptis agnoscunt, negant. Qui hoc faciunt, imperiti faciunt, & de præclaris rebus male judicant. Rei subjectæ naturam sequitur oratio. Atque ideo T. Lucretium Carum, Latinæ linguæ parentem, in dicendo difficilem esse dicit M. Fabius (a); cum tamen hujus Poetæ exordiis, sive proemiis, egressionibus, sive digressionibus, nihil dulcius, nihil magis lepidum esse possit. Si, qui in dicendo dulces quibusdam videntur, sibi eas res scribendas sumpsissent, quas Ferrarius; non illis tam dulces, aut suaves, quàm amari, atque asperi viderentur. Si Paullus Manutius, si Muretus, homines & a natura ipsa formati, & ab arte ad præclare dicendum probe instructi res difficileis, & obscuras sibi subjicissent in hominum lucem, atque conspectum protrudendas, & e tenebris, & latebris scalpendas sibi proposuissent, id quod gravissimus Philosophus magno cum humani generis commodo faciebat; inamœni profecto, & asperiores istis delicatulis lectoribus esse viderentur. Quæ scripsit Ferrarius, sumat in manus, diu ac multum versatus

(a) *Institus. Orator. lib. 2.*

(1) Mureti italica epistola Tiburi scripta ad Panvinium 10 Octobris 1567 autographa extat in Ambrosiana; ubi etiam Octaviani Ferrarii *Censura* MS. habetur in primum caput *Variarum Læctionum* Mureti.

in utriusque linguæ Scriptoribus optimis; expendat singula diligenter, & recta trutina examinet: intelliget, ejus dicendi genus esse solidum; neque quidquam in eo esse, quod a recta scribendi semita usquam declinet: amabit, si sapiet, tale dicendi genus; atque illi simile suum dicendi genus (si modo fieri possit) esse cupiet. Videas summos quosdam Philosophos ita dicendi imperitos, ita infantem, ut nihil illis aridius, incomptius, atque impeditum magis sit. Agnoscas contra quosdam literatos homines, qui omne vitæ tempus in solis verbis consumpserint; imperiti interim omnis philosophiæ, sive illa ad differendi subtilitatem, sive ad mores, sive ad naturæ contemplationem pertineat. Addo etiam id, quod mirandum est magis, omnis mensuræ, ac numerorum ignaros. Hic noster contra, præterquam quod erat disputator acerrimus, & omnis naturæ, morumque perscrutator eximius, atque singularis, ita bene græce loquebatur, ac scribebat, ac si Athenis & natus, & enutritus fuisset; illa latine, ut si, flore adhuc imperio Romano, in medio foro caussis agendis linguam exacuisset, aut in explicandis rebus abditissimis, usu linguæ latinæ adhuc vigente, se in media Roma diu ac multum exercuisset; adeo ut dubitet quis, eloquentior ne, an doctior fuerit. Nam, si eloquentiam quis attendit, hoc unum in omni vita egisse videri possit; sin excellentem rerum omnium magnarum doctrinam, nihil penitus illi temporis, quod exponendæ orationi impenderet, superfuisse, juret. Atque hæc de genere dicendi pluribus, propter quosdam iniquos Octaviani Ferrarii hac illum laude orbare cupientes. Neque verò hoc loco præmittam de tanto viro potius fidele testimonium, quàm judicium hominis neque doctrina, neque auctoritate cum aliis comparandi; sed qui propter familiaritatem, quæ mihi cum illo fuit, certum quoddam homini testimonium, verumque dare possim. Fuerint igitur me tacente in Octaviano Ferrario præter ea, quæ a nobis ex aliis proxime dicta sunt, præclara multa & magna, & omni laude dignissima. Ut nihil dicam de iis, quæ ego in illo fuisse, mea magna cum voluptate & commodo sum expertus; de summo ingenio, acri judicio, prudentia, sapientia, comitate, benignitate, amore in homines innocentes singulari adeo, ut se putaret natum ad mortalium animos ad illa, quæ præclara sunt, erigendos; tamen non tacebo vel quamplurima Octaviani Ferrarii in me merita. Ego igitur jam triginta annis ante, admiratione hominis tam multis virtutibus affecti captus, ejus amicitiam expetivi, expetitam nactus sum magno Dei beneficio. Hac enim fretus summum virum hunc adibam interdum. Ille vero bono quodam meo fato doctissimos sermo-

nes suos mecum habeat; & delectu facto eorum, quæ ipse peregrinatus, de Lazaro Bonamico, & aliis ejusmodi literatorum primis hauserat, quæque in privatum usum observarat, minime vulgaria maxime recondita quædam, scitum verò, ac cognitu dignissima in me transfundebat omnia. Quid? quod idem ille certas quasdam vias minime quemquam errare patientes, ad omnem philosophiam mihi monstravit? Nec mirum: ille enim omnium hominum optime, quos ego quidem doctissimos unquam in omni vita noverim, libris & Græcis & Latinis (ut mihi quidem est visus) utebatur. Sic Ferrarius suis monitis me non paulò reddidit meliorem adeo, ut vere dicere possim: me nunquam ad illum accessisse, quin ab illo doctior abierim. Ego verò in discendis literis, percipiendisque disciplinis, multis quidem egregiis sane magistris usus sum; quorum tantum principes, ut eò, quò institui, pervenire possim, paucis recensebo. Othonis Lupani Casalensis in elegantioribus literis diuturnus auditor fui primum, deinde longo post tempore successor. Josephus Niger Othonis civis & socius in privato docendi labore, quem etiam alibi una cum eo nominavimus, me græce docuit Cornelius Siculus Messanensis, Franciscani Ordinis philosophus atque theologus, me cum privatim, tum etiam publice in Dialecticis exercuerunt. Ludovicus Ferrarius Bononiensis, Hieronymi Cardani polyhistoris discipulus, me in mathematicis erudit. M. Ant. Majoragius Mediolanensis, tantus rhetor, quantum hæc nostra civitas florentissima nunquam tulit, cujus domi tres annos vixi, privatim docendi laboris particeps ac socius, me dicendi præceptis instituit. Ludovicus Codebos Mediolanensis, disputator egregius, philosophus, ac theologus insignis, de Eustorgiani Cœnobii principibus unus, quem nuper mortuum deflevimus, me physicæ auscultationis rudem esse non est passus; quemadmodum ego rursus illum Græce linguæ ignarum esse non tuli. Multò meliora ex uno Octaviano Ferrario paucis congressibus, quàm ex longissima aliorum doctorum, quos dixi omnium (illorum pace dictum sit) consuetudine didici. Neque verò ipsi Ferrario illud visum est satis; me ad Rhetoricam publice docendam crexit, ipse omnium maxime testimonium de me apud Senatum, populumque Mediolan. dedit. Ipse præfertim hunc locum, & ad dicendum, & ad docendum honestissimum, mihi conciliavit. Idem, ut per se partum honorem tenerem, tuererque, me ad interpretandi munus aptiorem paratioremque, ipse nobilissimus interpret, virtute, admonitionibusque suis effecit. Propter quæ merita maxima ego me quamplurimum ei & viventi debuisse, & mortuo debere, debiturumque esse, semper professus sum, &, dum vivam, profitebor

etiam. Gloriarī solitus erat Ferrarius amicis non multis, sed veris, iisque partim jam mortuis, partim adhuc viventibus, & mortuis quidem Paulo Canobio Canobianæ Scholæ parente, Alexandro Crasso, ejusdem scholæ parente altero (a), qui neminem Octaviano Ferrario, neque fideiorem, neque cariorem habuit in vita; in quem moriens etiam suum amorem testatus ei annuos X 100 legavit: Hieronymo Menclotio, & Hermete Delphinonio (1); quos duos juvenes genere nobileis, virtute præstanteis, multos annos auditores habuerat: L. Hannibale Crucejo, ab epistolis Senatus, quem, non minus virum bonum, quam poetam egregium, æque, ac se ipsum dilexit. Viventibus vero Karolo Antonio Brebio (2), ornato viro, comi, in omneis liberali ac benefico, omni laude digno: Capris fratribus (3), non minus orationis elegantia, & jurisprudentia insignibus, quàm generis nobilitate, & vitæ integritate claris; cum quibus semper ita vixit, ut ab illis inter domesticos numeraretur, & non secus apud illos, atque si domi suæ esset, commoraretur: & Bartholomæo quidem præ ceteris, quem semper habuit socium, ac participem studiorum suorum, quemque moriens omnium suorum scriptorum, & bibliothecæ hæredem instituit. Is igitur vir, ad quem mea properabat oratio, ut ab omni ambitione remotissimus, ita omnium optimarum artium studiis deditissimus, hoc Octaviano Ferrario elogium, in quod omnes, qui illum optime noverant, ad unum consentiunt, attribuit, hoc, inquam, testimonium ei dedit; & in marmore Lunensi Hermi, de quo aliquid ante dictum est, subjecta grandioribus literis incidi: & in loco maxime conspicuo Ticinensis Academiæ propediem collocari jubebit. *Octaviano Ferrario, tutori Aristotelicæ philosophiæ jam aliquot sæcula orbæ, Bartholomæus Capra amico opt. mer. P.* Sed extremo loco nequaquam omittendum est id, quod sibi vivens fecit, Epitaphium, quo testimonio nihil certius esse possit, cui ipsius auctoris amicus summus, cui creditum fuerat, unum atque alterum verbum, ubi necesse fuit, adjecit. Est autem illud hujusmodi: *Octaviano Ferrario Hieronymi Filio Mediolanensi philosopho Aristotelico, ac Medico, Græcis, Latinisque literis egregie erudito, Ticini publice qui ordinario loco docuit Logica annos III., Physica annos IX., Ethica, &*

(a) V. supra pag. 229.

(1) Medicinæ Professor fil. M. Antonii, & frater Tranquilli ex instrumento 6 Febr. 1561 rogato per Hieronymum Gluffanum.

(2) Brebius hic fil. Hieronymi, & Angelæ Casatæ, quibus Monumenta duo ipse fieri paravit apponenda in Templo S. Hieronymi, quæ affert Morigia *Histor.* lib. 4. cap. 13. Ad Hieronymum epistola italica est Cicereii in Cod. Belgiojof.

(3) Tres Capræ fratres Jurisconf. Coll. Mediol. Bartholomæus, Hieronymus, & Jo. Baptista. V. Siton. *de J. PP. Coll.*

*Politica Mediolani, primus omnium in Schola Paulli Canobii, an. 11XX., Physica iterum Ticini primo loco an. VII., postremò Ethica, & Politica Mediolani an. 1111. Vixit annos LXIIX. mens. V. dies XII. &c.* In qua inscriptione est brevis quædam summa, & denique compendium tanti viri vitæ, quod æternæ memoriæ posteritatis consecratum est. Porro omnis vitæ Octaviani Ferrarii ducem, atque imperatorem animum ipsum nullus artifex, ut corporis formam coloribus, ligno, argilla, gypso, marmore, ære, argento expresserit; sed amici, ut jam ostendimus, scriptis. Nemo tamen alius unquam, licet eloquentissimus, melius hoc fecerit, quàm is ipse operibus (a) sui ipsius animi immortalibus, quæ paucis describemus, sive jam invulgata sint, sive adhuc supprimantur nondum edita, aut etiam imperfecta. Jam doctissimorum hominum manibus teruntur, iisque sunt in deliciis & amoribus liber *de Disciplina Encyclio*, liber item *de Sermonibus Exotericis*, qui sui parentis nomen jam vel trans alpeis notum, magis atque magis illustrant. Quæ etiam efficient opera nondum edita, illa videlicet: *Hippodamus*, sive locus Aristotelis, contra M. Antonium Muretum a calumnia defensus, contra Paullum Manutium, *Disputatio de Problemate XII. quintæ ac vicesimæ particulæ sententia*; *De Origine Romanor. liber*; item liber *de via docendi, qua usus est Aristoteles*; in quo etiam *de sciendi modis, & de demonstratione, utrum sit instrumentum, agitur. Problematis primi, tricesimæ particulæ interpretatio imperfecta; de Calore naturali, & alia nonnulla.* Qui quidem libri cum ab omnibus viris elegantibus vehementer desiderentur, neque minore in pretio, quàm qui jam apparuerunt, apud omnes sint futuri; Octavianus Ferrarius vigebit memoria sæculorum omnium, non minus operibus suis ipsius propriis, quàm aliorum, quos diximus, clarissimorum virorum scriptis, quæ nulla oblivione posteritatis extinctum iri confidimus, quæque dum stabunt, etiam Octaviani Ferrarii nomen stabit. Quorum quidem omnium monumentorum splendorem si attendimus, sunt plus, quàm aurea; sin stabilitatem, non solum quovis marmore, aut ære durabiliora, sed etiam quovis adamante magis æterna sunt. Ergo egregii quidam artifices corporis formam ignotis notam fecerunt; amici vero aliquot animi imaginem, & quoddam simulacrum suis scriptis diligenter expresserunt. Nemo tamen melius animi præstantiam, atque sollertiam mentis, ac ipsiusmet labor aliquot voluminibus effinxit, quæ tanti viri spiritum ad omnem posteritatem perferent, & ejus memoriam cum omnibus

(a) Quæ hic opera enumerat Cicereius, partim vulgata, partim MSS. sunt in Ambrosiana.

nibus futuris sæculis exæquabunt. Sic hujus tanti viri præstantia in nullis cujusquam melius, quàm in ejus ipsius scriptis, cernitur expressa; quæ ad omnium sæculorum posteritatem illius nomen ab interitu vindicatum perferent, & immortalitati consecratum, omnibus post nos futuris notum facient. Quæ scripta avidè pervolutantes literati homines hujus summi viri memoriam retinebunt; quem & natum esse, & vixisse hæc nostræ civitas, dum stabit, jure merito gloriabitur, non modò gaudebit. Cum igitur tam præclaris monumentis nominis æternitas, atque immortalitas sine dubio Octaviano Ferrario parta sit; non tam morte illius tristari, quàm æterna gloria lætari debemus. Verùm enim verò illis Ferrarii æternæ gloriæ monumentis, quæ modò commemoravimus, unum illud, quod ego vel omnium maximum puto, addendum est, Viri Mediolanenses, ut de Schola Canobiana, hoc est de expoliendis suis civibus, quantum semper laborarit Ferrarius, aliquid etiam hoc loco dicamus. Nam, ubi Octavianus Ferrarius Paulli Canobii summi viri, & senis sapientissimi, divinum consilium de schola constituenda, propter familiaritatem, qua cum illo conjunctus erat, cognovit; nunquam illud laudandi ullum modum aut finem fecit usque eò, donec, qua pollebat apud eum auctoritate, illud ipsum consilium executus est Canobius. Jam vero scholam nuper a Paulo Canobio parente institutam, & ab Alexandro Crasso, altero parente incremento dotis comprobata; scholam, inquam, quasi tum primum ex alta Canobii mente creatam, ac veluti obvæ Crassi ulnis exceptam, Octavianus Ferrarius, tamquam nutricius quidam aluit, & quasi sinu parvulam fovit, donec grandesceret; & ad decimum octavum ætatis annum perveniret. Eam porro jam grandiolem rursus colere non destitit: cumque jam xv. annos ejus commodis iterum inservivisset, in ejusdem obsequio vitam finire voluit. Idem igitur Ferrarius nascenti Canobianæ Scholæ affuit, natam excepit, exceptam aluit, altam, quamdiu potuit, miro in suos civeis, & patriam carissimam affectu colere non destitit. Ferrarius igitur Paulo Canobio, viro nobilissimo, civi suo, ut jam animo institutam scholam re ipsa constitueret, quæ nunc fere conjuncta Curie Principis a Canobio parente ipsa Canobiana nomen habet, auctor fuit & impulsor; natam atque constitutam aluit; altam auctoritate sua auxit, & exornavit sic, ut nunc, Diis gratia, habeat successorem, quem ex omnibus unum exoptatum, ipse sibi destinasset; quem nostræ Civitatis primæ nobilitatis principes summi viri hinc expetiverunt, & delegerunt, illinc expetitur, & delectum appro-

*Vol. II.*

H h



barunt Zachariam Caimum (1) qui, cum in omni reliqua vitæ summa cum laude hominum corpora curando sanaverit; nunc, cum ad senectutem pervenerit, animis etiam mederi, eosque philosophia incolumis præstare studet: ut de tota denique mortalium vita meritis optime Caimus, Dei immortalis, cui genus humanum tantæ curæ est, gratiam, atque benevolentiam sibi in perpetuum promereatur, atque conciliet. Hæc cum ita sint, Viri Mediol., quibus gaudiis comulari? quibus lætitiis incedere Canobium, Crassum, Ferrarium existimare debemus (si quis benefactorum est sensus mortuis, ut certe est): intelligentes, civibus suis de prima nobilitate delectis, tantæ curæ esse suam scholam, ut in eam exornandam omnes toto pectore, quod ajunt, incumbere videantur? Ex quo scire est, quàm cara nobis esse debeat Octaviani Ferrarii memoria, nominis immortalitas, æternitas: quem vel ex hoc immortali facto communibus patriæ commodis semper inservivisse constat; quemque patriæ natum esse, patriæ vixisse, manifestum est, quo vel uno nomine eum maximo in honore semper apud nos futurum esse confidunt, quicumque de rebus humanis non male judicant. Hæc cum ita sint; ego illum & esse, & fuisse plane beatum existimarem. At in extremo vitæ tempore adversa fortuna jactatus est; & aliquot annos vitæ extremos infeliciter egit, ægro animo, & corpore. Hic est videlicet præpotentis ac minacis fortunæ ludus, hic triumphus; ut homines summa virtute præditos potissimum infectetur, quo in virtutem imperium habere videatur. Sed tamen quis, quo animo adversam fortunam tulerit, animadvertat; admiretur, & temeritatem fortunæ rideat: quæ cum maxime nocere conatur, tum maxime magnis viris prodest. Præterea ita tulit casus, ita fuit in fati; ut in extremo vitæ tempore adversa fortuna jactaretur, & minus prospera valetudine affligeretur Ferrarius. At quid dixi ego Christianus homo fortunam, casum, fata? facessant ista Ethnicorum figmenta, aut potius deliramenta. Dicamus id, quod verum est, Viri Mediol., & quod nos instituti rebus optimis, tenemus. Deus, quos amat, castigat; & ut aurum igni probatur, ita durioribus temporibus experitur Deus bonorum constantiam. Immo verò, quod bonus quis, & sua virtute clarus atque illustris vir, quo tempore fuisset illi quiescendum, adversa fortuna exagitur; certissimum est id argumentum immortalitatis, & vitæ cum Deo futuræ. Vel, qui procul erant, remoti ab optimis Chri-

(1) In *Bibliotheca* Argelati laudatum, & in *Athenæo* Picinelli. In volumine 1. *Carminum Varior.* MSS. in *Bibliotheca* Belgiojossiana extat *Tetrastichon* græcum Zachariæ Caimi.

stianorum hominum institutis, olim putabant, Heroum animas infestis fortunæ casibus exercitas, & bene subactas, purgatiores fieri. Aliquot diebus ante, quam ferus exportari juberet Ferrarius, cum & ego, & aliquot alii amici illum periculose ægotantem circumstaremus; monentes subinde, ut bono animo esset, convaliturus propediem: quæ verba protulit? quàm magnanimi! quanta sapientiæ plena! quàm philosopho, & Christiano philosopho digna! mitto alia multa. *Vos, inquit, & amice facitis, & perbenigne dicitis. Verùm parvi mea refert; utrum nunc, an aliquot mensibus post vita excedam: modò Dei Opt. Max. impetrata pace, & ut Christianum hominem decet, moriar.* Et fuit Octavianus Ferrarius laudis, atque gloriæ, & nominis sui ad posteritatem transmittendi appetens; sed vitæ æternæ, una cum Deo, Divis, Divibusque omnibus degendæ, semper quidem, sed maxime in hac postrema ægritudine maximo amore flagravit. In qua diu ac multum cum adversis fortiter decertavit, & vicit; ut aliquando coronetur, & exempta labe, quæ concrevit animæ; cum corpore conjunctæ, voti compos effectus, præclarissimam illam, & salutis plenissimam misericordis Jesu Christi vocem audiat. *Quandoquidem, Octaviane Ferrari, humanum genus, quonam pacto ratione niteretur, tanto munere a summo Artifice donatum, cumulatamque, & idem ipsum de Patris mei operis constructione, fabrica, & pulchritudine docuisti; morbos ex eodem genere humano expulisti; hominum mores ita formasti, ut illi bene beateque viventes, eodem opere diutissime perfruerentur; in omni vita denique omni sapientia homines expoliens, omnibus, quantum in te fuit, prodesse studuisti: esto ejus beatitatis particeps, quam ab æterno Pater meus omnipotens iis, qui cætus hominum auxissent, coluissent, & conservassent, imperitam esse voluit.* Atque utinam hanc vocem brevi audiat Octavianus Ferrarius. Hoc enim more precari, quàm illo, quo Romani veteres, ut ejus Manibus, & cineri bene sit, me magis decet. Et rursus hoc facere me magis decet, quam alium quemquam: qui quod hoc anno, longissimi laboris septimo & vicesimo, totus sim in ea elocutionis parte explicanda, quæ conversa, atque mutata a M. Tulio dicitur, tum in Latinis Scriptoribus, quanta maxima diligentia possum, cum Græcis Euripide duce conjungendis; id totum, cum a Deo, Senatuque Mediolanensi discessi, muneris est Ferrarii. Hæc fere est, qualiscumque est, mea, viri Mediolanenses, Octaviani Ferrarii, & inter vos amicos auditores, ejusque civeis honesta commemoratio, non ut in funere laudatio. Sed, cur non potius, cum ociosus essem ab animo, cumque egregiæ voluntati meæ pares vires sufficere possent; laudandus

mihî fuit Ferrarius? Ut ego illum ex suis virtutibus, & meritis exornatum dedissem! quonam ego illum pacto laudassem! qualem philosophum, ac medicum descripsissem! Attamen nec sic quidem aliquo modo non laudatus erit tantus vir Græcæ, Latinæque linguæ cognitione: tantus vir eloquentia, exquisita denique omnium liberalium artium notitia; ac præsertim omni differendi ratione, & naturæ, atque morum absoluta perscrutatione. Quod si in illum diligentius inquisitura posteritas, nempe talium ingeniorum studiosa, forte fortuna in hoc nostrum commentarium olim inciderit, Octaviani Ferrarii vitæ, & morum admodum poterit; &, quod nos inchoatum atque rude reliquerimus, id in tam magni viri gratiam perficere, & polire volet, ejusdem viri nominis, ac memoriæ tuendæ cupida posteritas.

Ego vero, iniquis temporis spatiis exclusus, ne nimius sim, Octavianum meum dimidiatum, & (quod magis mihi dolet) discerptum, & lacerum cogor vobis ostendere; ommissa omni pueritia, adolescentia, denique omni pene juventute. Qua in re illud me solatur, quod, quæ nunc auribus vestris subducimus, oculis ea subjiciemus aliquando; ut Ferrarius noster tamdiu vivat, donec ab eo, quem mens mea divinat, reficiatur; &, omnibus numeris absolutus, omnem latinum orbem pervegetur, atque perambulet.

## EPISTOLA

LUCILII TERZAGI AD CÆSAREM ROVIDIUM  
P. PHILOSOPHUM, AC MEDICUM NOBILISS.

ARGUM. *Oblatum docendi munus acceptat.*

**E**TSI præclara fama tua, quæ ubique ita percerebit, ut similis sit lucis, quæ quò longius tendit, eò multipliciores radios jacit,

*Mobilitate viget, viresque acquirit eundo (a),*

ut inquit Poeta, antea commovebar ad literas ad te dandas, cum præsertim, qua sis singulari humanitate, comitateque præditus, mihi compertum esset; tamen, cum nunquam mihi satis idonea, justaque occasio oblata esset, qua fretus tibi in gravioribus quàm in iis, quæ sibi nomen ab humanitate asciverunt, studiis in tanta juvenum ἀπόροις (b) occupato obstreperem, non audebam subrustico quodam pudore deterritus literas meas ad te mittere, sed postquam Franciscus

(a) *Enid.* 2. (b) *Audientia.*

Cicereius, vir literatissimus, tuam ad se epistolam mihi legit hoc animo, ut, si modo cuperem suscipere onus imbuendorum literis elegantioribus Mortariæ adolescentium, quos Theophilus Carentius (1), cujus Manibus bene sit, sibi a te commissos erudiebat, aliquid literarum ad te darem, quibus tamquam μαρτυροι (a) doctrinæ meæ, quid de me sentire, liberius loqui posses; affectus id quod exoptaram, omni pudore, ac timore deposito, has literas ad te scripsi, ex quibus si me cum esse, cui id muneris deferri possit, judicaris, nequaquam, mihi crede, beneficium male collocabis. Siquidem in eum tuum beneficium conferes, qui quid in literis græcis, & latinis valeat; tum ex duabus orationibus præximo superiori anno a me per meos auditores in scholis Canobianis in laudem, & vituperium linguæ græcæ habitis (b), quæ in medium tuo arbitrato, ac voluntate proferentur, tum ex multorum sermone, qui de me iudicium facere possunt, cognosces. Ego verò, qualiscumque sum, gravissimum iudicium tuum de mea eruditione factis comprobans, & fidem tuam liberans, dabo operam, ne sit obscura tua in me benignitas; memoria quidem, & voluntate, si re ipsa minus potero, certe gratus ero. Mediolani III. Non. Febr. MDLXXXVIII. Vale.

(a) Testibus.

(b) Ambæ hæc MSS. in eodem, quo hæc habetur Terzagi epistola, Cod. 260. Bibliotheca nostræ continentur.

(1) Carentius Mediolanensis in Palatinis Scholis Oratoriæ Professor, ut dictum hic pag. 183, & Argelato in *Bibliotheca* laudatus; præter duas epistolas Aristæneti e græco in latinum versas, ac Mediolani editas, alias quoque ejusdem omnes latine reddidit; cumque & has editurus foret, legendas prius obrulit Cicereio nostro, & Marchesonio, ut de iis iudicium ferrent. Ita ipse Carentius in dedicatoria duarum epistolarum, de quibus supra, ad Senatui Mediolanensem, in qua hunc simul obsecrat, ut in Palatinis Scholis Damiani Arrigonii Oratoriæ Professoris demortui locum sufficeretur. Tres habentur Sigismundi Foliiani ad Carentium epistolæ \*.

DE VITA ET MORIBUS  
 VIRI CLARISSIMI, ET DE LITERIS  
 ET LITERATIS HOMINIBUS  
 OPTIME MERITI  
 BARTHOLOMÆI CAPRÆ  
 MEDIOLANENSIS JURISCONSULTI  
 IN COLLEGIUM COOPTATI  
 TICINI ALIQUOT MENSIBUS ANTE MORTUI.

O R A T I O IV. (a)

**A**GITUR mensis septimus, ac ferme octavus, Viri Mediolanenses, cum Ticini vitam cum morte commutavit Bartholomæus Capra, Juriscons., vir nominis immortalitate dignissimus; ex quo numquam hominis illius imago ab animo meo discessit, meque perpetuè monere visa est, ne virum de litteris, deque litteratis hominibus, ac præsertim de me benemeritum, silerem. Quod cum ita sit, iniquum, atque turpe, addo etiam impium mihi esse existimarem; si, qui qualicumque modo res cujusquam commemorare possum, tacerem. Itaque ego ille, qui illaudatos non tuli mortuos Paullum Manutium, Hannibalem Cruceium (b), Octavianum Ferrarium, Bartholomæum Capram, quoquo modo potero, non silebo. Neque tamen dubito, quin quidam me immerentem damnarint jam; cum ante aliquot dies cognoverint ex hujus concionis indictione disseminata, dispersaque me ad quædam de vita & moribus Barthol. Capræ. Juriscons. V. C., & de litteris, & literatis hominibus optime meriti, Ticini aliquot mensibus ante mortui, commemoranda accinctum esse, quos credibile sit dixisse: me amisso jam tempore mortuum laudare, & in quodam laudandi genere plane flaccido, atque exoleto versari. Sed tamen isti, dum in me parum bene animati, sic judicant; primum non vident, non licere mihi concionem advocare, nisi semel in anno, atque nisi hoc ipso tempore, quo studiorum ineunda sunt auspicia. Deinde vero bene agendi occasio, ut exemplo aliorum ad laudabiliter vivendum excitemus homines, semper datur; &, ut rerum bonarum exempla prodamus, nunquam non tempus est. Alioquin cum eorum, qui vivunt nunc, dolore non parvo, & cum magno poste-

(a) Quæ vigesima octava Cicerei Oratio fuit, dictaque in Templo S. M. Rosæ 1589, die 19 Novembris, hora fere 17, ut in eodem Cicerei Codice, ubi hæc Oratio, ipsius manu adnotatum est.

(b) Oratio hæc deperdita; aut saltem mihi nusquam visa.

rorum damno, delentur penitus una cum corpore manifesta virtutum vestigia, immortalis vita digna. Quam enim multa, bone Deus, hæc florentissima civitas nostra præclarissimarum rerum ferax, cum in maribus, tum etiam in fœminis pulcherrima morum exempla fert! Quæ quia non dico, philosophus... (hic enim cum præclare possit, laudare tamen non vult), sed quia non accedit aut Orator, aut Poeta, aut Historicus, plane pereunt; & quod ad gloriam, & ad exemplum æternæ memoriæ prodendum attinet, funditus interit, atque perinde est, ac si numquam fuerit: quæ res valde dolenda est, si cum animo suo is attendat, qui se ad gloriam, & ad decus natum esse, intelligit. Denique si cum docendi initiis aliquam laudem nobilissimi civis nostri, atque ejusdem hominis doctissimi, atque eloquentissimi, & raræ cujusdam felicitatis hominis, conjungo; quid tandem mali facio, aut quid vituperationis commerui? Rogo igitur vos, V. M., ut me non longæ oratione usurum, pro æquitate vestra attente audiatis; & si mereri videbor, me de hoc labore, aut certe de hac bene faciendi voluntate, & posteritatis juvandæ conatu ametis. Caprarum familiæ, quæ Mediolani floret (nam Vicentiæ etiam, & Faventiæ, & Vercellis ejusdem nominis gens viget, atque in honore habetur), nobilitatem, vobis, V. M., quam mihi, notiores, oratione longa non persequar; cujus præstantiæ testata tam multis illustrium virorum facinoribus, multis summorum Principum privilegiis commendata, amplissimis denique honoribus est aucta. Quis enim, præsertim ortu civis vester, ignoret, quæ suæ civitatis annalibus, atque historiis, Principum privilegiis, veris vivorum, mortuorumque laudationibus, publice descriptis, & omnium oculis subjectis, ne dum propositis, contenta sunt? nota hæc & testata sunt omnia illustribus monumentis, quæ vulgò omnium manibus atteruntur; incutunt in omnium oculos testimonia de viris hujus nobilissimæ familiæ illustribus, sacris, profanisve litteris, consilioque pollentibus, aut contra rebus gestis, armisque potentibus. Itaque non ero multus in celebrando Caprarum genere nobilissimo. Neque tamen illud, quod non ita multis hæc innotuit, omittam: Capræ, nostri cives in longa majorum suorum serie, quam una cum cæteris suæ gentis monumentis publice describendam curaverunt, sui generis originem referunt ad Bennum, quem ex membranis hujus actæ familiæ complectentibus, quas ego nuper vidi, constat anno M C C L I I. domum non longe ab Romana porta positam emisse: existimarim ego in ea urbis Mediolani regione non ignobili, quæ etiamnum Caprarum regio dicitur, indito illi nomine ab incolarum frequentia, quam, opinor, Benni posteritas effecit,

ut, si quis rationem temporis ineat, ultra quadringentorum annorum numerum, Caprarum Mediolanensium originem extendat. Sed ad rem. Sine ulla etiam justa cujusdam reprehensione taceri possunt laudes Joann. Francisci Capræ (a), Bartholomæi Jurisconf. in Collegium cooptati sapientissimi viri, filii; Joann. inquam Francisci pauperum tutoris, & locorum, in quibus apud Mediolanensibus præcipue pietas colitur, patroni summi; qui jussu, imperiove Alfonfi Davali (1) Mediolanensis Provinciæ Præfecti, apud Hospitalis Magni Præfectos, ejusdem Principis vice, summa integritate, fide, & diligentia sex annos perpetuos functus est. Quod eò dico, quia hujus eximii, ac singularis viri virtutes in quatuor liberis adhuc superstutibus, omnes expressæ cernuntur: de quibus singulis ordine, sursum versus converso contra, quam in lucem prodierunt, pauca dicam. Etenim in Ludovico omnium liberum natu minimo est diligens, & eruditum venationis studium, elegantium litterarum, & multarum scientiarum omnium rerum expolitio; quid autem? pene omisi illud, quod primum fuerat dicendum: qui agri colendi studio tenentur, ubi Ludovici villas, hortos, vinea, fata semel conspexerunt, eorum sibi quisque exemplum expetit, inde sibi quisque simile sumit; nec mirum: tam est enim ejus omnis res rustica bene eulta, & fructuosa, ut nil possit esse nec usu uberius, nec specie ornatius. Joann. Baptistam (2) hæc omnia, summa integritas, juris omnis exacta cognitio, magistratus præclarissime gesti, amor in patriam singularis duris temporibus spectatus (3), sic nostro Regi Regum maximo commen-

(a) Ad Franciscum epigrammata duo sunt Lancini Curtii.

(1) Hujusce, aliorumque complurium rerum magnitudine præstantium virorum effigies coloribus rite expressas exhibet Codex Bibliothecæ nostræ, num. 27. Eiusdem numisma est in *Septalio*. Obiit Davalus, ut dictum pag. 8, 30 Martii 1546, ac die 13 Aprilis ejusdem anni Mediolanum delatum ejus corpus fuit eum magnifico comitatu, qui descriptus legitur in MS., *Memorie Fossane*, apud D. Carolum ex Marchion. Trivultii, qui etiam possidet orationem italicam in ipsius funere habitam in Templo majori, 13 ejusdem Aprilis.

(2) Cæsareus Com. Palatin.; ex LX. patriæ Decurionibus, Mediolani urbis Præfectus, Cremonæ Prætor, ac Senator, obiit 1598. Gentilibus suis tumulum, atque inscriptionem ipse posuit in Templo S. Petri in Glaziate. V. Puccinellum, qui eam refert. *Mem. ant. di Mil.* pag. 109.

(3) Sermo est de infausso pestilentia Mediolani anno 1576, quo Præfectus Urbis fuit Joannes Baptista Capra, quam vero tunc beneficium in patriam se gesserit, legi queunt Gaspar Bugatus (a), & Jacobus Philippus Besta (b), qui

(a) *Fatti di Milano al contrasto della peste.*

(b) *Vera Narrazione del successo della peste.*

commendarunt; ut illum nuper omnibus bonis plaudentibus, quod bonum faustum felix fortunatumque sit, in Senatum legerit. M. Antonius, Paterfamilias sapientissimus, in eo mores Joann. Francisci parentis exprimit maxime; quod sacrarum ædium tuendarum, religionis studio ductus, curam non levem suscipit; neque (quantum per valetudinem licet) cuiquam nostrorum civium in colenda pietate cedit. Apud Hieronymum porro nulla est commissatio, nulla alea, nullus luxus; omnis sermo de honestate, de amore patriæ, de tranquillandis hominum animis; de iis, quæ afferuntur, nuncianturque ex omnibus orbis cogniti partibus. Quæ verò ad Collegii Jurisconsultorum Mediolanensium dignitatem, magnitudinem, amplitudinem attinent, in iis totus est Hieronymus; adeo, ut sit optimus Collegii Jurisconsultorum Mediolanensium patronus: putat enim id, quod verum est, in hac florentissima civitate (si sacra, & quædam ipsis sacris proxima, excipias) nihil esse majus, nihil honorificentius. Ad Hieronymum confluunt ipsius similes, Jurisperiti, Medici, Philosophi, Senatus ab epistolis, homines omni doctrinæ genere exculti, tamquam in totius civitatis nostræ nobilissimam Academiam. Et vero Hieronymi Capræ domus, ornamentum est nostræ civitatis, omnium videlicet elegantiarum domicilium; immo vero, si quis, emunctæ naris homo, domum hanc bene norit, vix aliquid tale uspiam esse, dicat. An vero taceam singularem hujus Jurisconsulti modestiam? qui plus quam decies a LX. viris civitatis nostræ in Ædilem (1), deinde in Senatoris etiam locum & numerum semel atque iterum, ac sapius a Senatu ipso nominatus; postremo unus de tribus delectus, qui ex Pii IV. Pontif. Max. instituto ad munus Judicis Auditorii Romani a Jurisconsultorum Collegio, leguntur; solo Civitatis, Senatus, & Collegii judicio de se contentus, tantum abest, ut hosce honores unquam sibi petendos esse statuerit, ut etiam de suo jure non parum aliis concesserit; ut videlicet in Summi Pontif. Gregorii XIII. gratiam Collegium Gasparem Vicecomitem, præclarum omnis & divini, & humani juris Interpretem Ticini, nunc immortalis etiam omnium

etiam alios memorato ex eadem familia pietate in patriam tunc insignes fuisse, nempe Marcum Antonium, & Hieronymum, Joannis Baptistæ fratres, nec non Aurelium patrem Balthassaris in *Bibliotheca Mediolanensium* ab Argelato laudati, cujus etiam meminit Cl. Angelus Fabronius. *Vitæ Itatorum doctrina excellentium* Vol. I. pag. 17, 18.

(1) Intelligit Præfectum Urbis, vulgari locutione Vicarium Provisionis dictum, sic autem eum appellavit Cicereius exemplum secutus Aonii Palearii in Supplicatio- nibus ad Senatum pro immunitatibus; ut ipsemet adnotavit in suo epistolarum Codice (apud Principem Belgiojohum) pag. 531.

*Vol. II.*

I i



laude Mediolani Archiepiscopum, ad Judicis munus in sui locum sufficeret. Post Hieronymum reponendus fuisset Aloysius, nisi præpropere morte interceptus, puer magna dignitate præditus, quam de se spem apud omnes concitaret, præstare non potuisset. Sed non vereor, V. Mediol., ne cuiquam videar contra, quàm decreveram, facere, qui me de Caprarum nobilitate multis acturum esse, negaveram; nam, non esse diutius in his morandum, hoc meum fuit consilium, sed per hos quasi pertranscundum ad unum Bartholomæum, ad quem unum mea festinabat oratio. In hoc quædam admiranda commemorabo. Nam, si velim omnia persequi, quæ in hoc homine fuerunt, non brevi oratione, sed longissimo volumine opus sit, ut explicentur illa, propter quæ memorabilis sit omnibus viris non indoctis; ac præsertim mihi, de quo ille (quemadmodum commodiore atque opportuniore loco dicam) optime est meritis. Quæ licet commemoratione sint dignissima, non tamen ita sunt omnibus nota; ut, in illustri loco posita, posteritati (sicuti par est) exemplo esse possint. Igitur Bartholomæus Capra, sicuti fratrum natu maximus, ita eorundem doctrina præstantissimus fuit; quod ut, una cum aliquot aliis, æterna memoria dignis, verum esse appareat, placet servare illum ordinem, qui in *Merexeno* apud Platonem, in laudando servatur: ut primo spectemus, ex quibus originem quis ducat; deinde ejusdem educationem, & disciplinam; postremò ita vixisse ostendamus, ut dignum erat tali genere orto, & tali disciplina instituto. Horum trium omnium primum oppido paucis verbis eget; nosque hoc labore levare videmur eò magis, quò magis recordamur, egisse nos modò de summa gentis Caprarum nobilitate ita; ut ejus amplitudo nota omnibus mihi silentium potius indiceret, quàm me ad dicendum excitaret. Post hujus majores, rursus virtutes Jo. Francisci, Bartholomæi parentis, cujusvis eloquentissimi hominis eloquentia multò majores mihi sunt visæ. Quid porro præstantius dici potest quatuor hujus nostri, quem laudamus, fratribus, tam multis ac magnis virtutibus cumulatis? Nobis igitur tacentibus plane sciri, atque intelligi potest, qualis ac quantus esse debuit, ac fuit; nactus hosce fratres, hunc parentem, ejus generis majores, Bartholomæus. Non repetam neque educationem ab incunabulis ipsis, neque institutionem a primis literarum rudimentis, cum, etiam me tacente, plusquam satis manifestum sit, Barthol. Capram cum optimorum parentum Jo. Francisci præstantissimi viri, & Claræ Vicomercatæ lectissimæ fœminæ cura fuisse educatum; tum eorundem partim diligentia, partim sua ipsius voluntate (erat enim natus ad litteras) diligenter & græce, & latine

fuisse institutum. Illud quidem dicam: adolescentem hunc, qui jam apud rhetorem diu, ac multum in declamando se exercuisset; ad graviora studia gradum felici quodam fato fecisse, cum una cum Octaviano Ferrario, magni atque excellentis ingenii homine, in literis viveret; cumque & alios quosdam egregios magistros eodem tempore attentius audiret, docenteis magna cum laude dialectica, mathematica, omnis naturæ contemplationem, morum omnium scientiam. Atque hæc omnia accedebant ad juris civilis studia, in quibus erat totus modò Patavii, modò Ticini, ducibus magnis magistris, ac præsertim Andrea Alciato V. C. Sub quibus magistris tantum profecit, ut anno sexto post, quàm illos adire cœpit, in eximium jurisconsultum evaserit, omnibus illis adjumentis, quibus jus civile splendet, cumulatus; non in eo desiderabatur latinorum verborum splendor, non græcæ linguæ peritia, non historiæ notitia, non differendi ratio, non philosophiæ, sive ad mores, sive ad naturam pertineret, cognitio. Fuit enim Barth. Capra Jurisconsultus non ejusmodi, qui lucro ductus, aut ambitionem sectatus, se aliorum controversiis frangeret; sed qui, quantis maximis ingenii viribus posset, eloquentiam cum jurisprudentia conjungeret. Atque adeo frequens, & assiduus erat in pervolutandis scriptis Budæi, Alciati, Antonii Augustini, Cujacii, & aliorum ejus generis, quos nescias, sapientiores ne, an eloquentiores putes; quo de genere unus in primis semper, uti erat, ita etiam habitus fuit Barthol. Capra. Cum jam in Jurisconsultorum Collegium ab Hieronymo Montio, qui deinde aliquot annis post Senator est factus, cooptatus fuisset; & in jure civili jam aliquot annos publice suis civibus explicando, magna sapientiæ suæ dedisset documenta, & jam aliquot causas in senatu non infeliciter perorasset; cumque posset honestis rationibus, & patrimonium mirandum in modum augere, & ad omneis honoris gradus faciliè pervenire, mature, hoc est, ætate adhuc integra, ambitionem omnem procul a se relegavit: nactus occasionem excolendorum studiorum suorum, patrimonio suo contentus, totum se litteris, & magnarum artium studiis tradidit; totum se libris involuit, & quotidianæ, & assiduæ consuetudini viri illius summi, ac prope singularis, Octaviani Ferrarii se denique totum immerisit; quibus omnibus, ut diutius frueretur, semel tantum in die, idque ad vesperam cibum sumere consueverat. Quod vitæ genus multi quidem expetiverunt, sed pauci sane assecuti sunt. Ego vero felicissimum illud esse, jure semper censui; præsertim cum animadverterem, hanc ipsam vitam olim sapientes homines amplissimis Regum fortunis longe anteposuisse; cumque audirem lepidissimum Poe-

tam (a) ejusmodi sententiam ad citharam concinentem, Beatum esse illum, qui agro a patre relicto contentus ab omni ambitione abhorret, liber a sœnore, bello, navigatione, foro, & civium fastu. Quod si, qui in agro colendo conquiescit, ceteris curis solutus, bene beateque vivit; quantò beatior is est censendus, qui in animo rerum scientia alendo, ab aliis omnibus liber, totus est? Cum igitur nulla avaritia ferveret Barthol. Capræ animus, nulla libidine frangeretur, nulla ambitionis levitate sollicitaretur, nullis contentionum procellis agitaretur; sed in sublimium, hoc est divinarum, humanarumque rerum contemplatione conquiesceret, rerum præclararum cognitione animum aleret; illum ego beatum meritò semper esse duxi: neque enim humanus animus alium pastum, quàm unum literarum suavissimum desiderat; quod cum præclare intelligeret Empedocles, ut est apud Aristotelem, beatam hominis vitam a studiosa nunquam sejunxit. Quærat quispiam de me; hoc genus vitæ sequutus, & tanto in ocio constitutus Barthol. Capra quid tandem effecit? multò plus revera, quàm alii hujus loci, atque ordinis homines suis summis studiis, & contentionibus honoris, utilitatis, & voluptatis maximis assequuntur. Nam cum ita, ut dixi, vitam suam instituisset Bartholomæus; operæ præteritum erat animadvertere, quid virtus in eo effecisset, hoc vitæ genere utenti. Etenim, cum ei narrabatur, æqualeis aliquos ipsius in aulis Regum florere; aut dotatas uxores duxisse, aut caterva hominum stipatos, in forum petendi magistratus, vel patrocinandis gratia ascendere, miræ æquanimitatis hominem nihil penitus perturbari, neque morsum ullum perpeti, apparebat; qui etenim adversus talia imperterritus est, neque iis mulcetur, eum constat jam ita, uti debuit, captum devinctumque philosophia esse: quod fieri non potest, ut mirari desinamus, quæ vulgò in admiratione sunt, nisi ingenerata sit nobis jam virtutis admiratio. Cum igitur in literarum studia se totum immerisisset, neque aliud quidquam, nisi doctrinam, atque eruditionem cogitaret; quoties mihi dixit, & quàm magno studio atque amore in omne genus literarum, atque doctrinæ inflammatus, dixit: *Quorsum natos nos esse putamus, nisi hæc omnia planissime intelligamus? Ecceur ab aliis tanto labore inventa, excogitata, in ordinem digesta, in artem redacta, omnium oculis subjecta, labore quantumvis maximo nobis non comparamus? Ego me quovis malo dignum depretem, nisi vel maximis vigiliis illa omnia didicero.* Itaque sua studia avidè recolens; Rhetorica, Dialectica, Mathematica, Physica, mores, omnem

(a) Horat. Epod. 2.

philosophiam, omne jus & civile, & pontificium regustavit; omnem Medicinam perlustravit, omnem Theologiam denique sibi penitus notam esse voluit. Hinc non mirum est; si excelsa animo vir, non in speciosa familia, non in equis, non in rhedis, non in pretioso vestitu, non in stragula veste, aut aulæis, non in reliqua suppellectili (quamquam & in iis bono modo tantum, quantum satis erat homini modestissimo) magis; quam in decoris, selectis, atque in optimis libris, libidinem suam habebat. Si quid novorum librorum, summis ingeniis scriptorum, Mediolanum, aut Ticinum advehebatur; & si geographicarum tabularum, aut id genus aliquid adportabatur, id ad Barthol. Capram confestim adferebatur; neque is ulli sumptui parcebat. Quis enim eximios globos illos cum propter amplitudinem, tum etiam propter artificium, quos sibi e Belgica usque magno sumptu adferendos curavit, summa cum admiratione non contemplatus est? quos cum primum conspexit, illud carmen cecinit (a):

*Me vero primum dulces ante omnia Musæ,  
Quarum sacra fero, ingenti percussus amore,  
Accipiant; cœlique vias, & sidera monstrent.*

Libros Octaviani Ferrarii ejusdem testamento possedit omnes, atque ejusdem scripta omnia item accepit; cum jam antea universam bibliothecam, ex selectissimis libris constantem, Hannibalis Cruceii, Senatus ab epistolis, oratoris & poetæ valde boni, eo mortuo, non parvo pretio coemisset, quasi dudum præstantissimorum virorum, & summorum amicorum, quibuscum conjunctissime in omni vita vixerat, postremos spiritus reliquos hauriens, oculis tamquam ore eosdem legeret, aut sorberet; atque in pectus intimum reconderet. In summa hominem privatum Italum esse puto neminem, qui aut plures, aut meliores, & pretii majoris, quàm Barth. Capra, libros haberet; qui & majori, & pulchriori librorum suppellectili ornatus, quàm Barthol. Capra idem, esset; qui denique tantam librorum omnis generis melius copiam (quod caput est) & diutius coluerit, quàm hœllo librorum Barthol. Capra coluit. Et, ut erat bene affectus in libros, & literas; ita erat bene animatus in doctos, & literatos ipsos homines. Quod verum esse, declarant multa; atque in primis illa, quæ in præsentî commemorabo. Quos videbat ingenio excellere adolescentibus, aut juvenibus; eos excitabat ad illa, quæ magna, quæque præclara sunt: adeo civis reipub. amans, & generis humani cupidus erat. Cæsar Rovidius, philosophus, ac medicus præstantissimus, Octaviani Ferrarii summi viri doctrinæ alumnus, ex horum numero, quos dixi, unus est; qui, quanta summæ virtutis

(a) *Georgic. 2.*

documenta in Ticinensi Academia, licet adhuc juvenis, jam dederit; norunt omnes, quibus doctrinarum studia cordi sunt. Quod quidem officii genus, licet Bartholomæus insigniter coluerit; tamen proprium, ac peculiare semper fuit Caprarum domus. Nam hæc etiam Octavianum Ferrarium, quantumcumque fuit, fecit. Cohortatus est etiam me jam olim adhuc juvenem. Sed juvat hoc loco, quandoquidem de hoc agimus, ejusdem tanti viri erga me beneficia commemorare. Hic non eo contentus, quod una cum Octaviano Ferrario, & Hannibale Crucejo in petendo, & parando hoc ipso publice interpretandi munere obnixæ, multumque me juvisset; commodato insuper mihi dedit cum libros, tum non vulgaria doctissimorum virorum scripta, per quæ me præsertim eo tempore non parum profecisse, intelligo. Quoties idem me monuit, & (si fas fuit) oravit, ut, cum jam huic loco infedissem, primam curam in latine loquendi rationem impenderem; ut unius elocutionis essem diligentissimus; hoc unum juventutem Mediolanensem potissimum docerem. Ego igitur quasi formatus hujus summi viri voce, atque institutis, jam annos prope xxx. doceo: ejusdem doctissimi viri cohortationibus excitatus, amantissimis admonitionibus parens, consiliis obtemperans, profeci; si modò aliquid in hoc docendi genere profeci: eodem duce denique, hoc ipso anno constitutum habeo meas explicationes, partim ad Euripidis *Orestem*, partim ad Ciceronis orationem pro *Lege Manilia*, & *Partitiones Oratorias* institutas, persequi; qua ex re quantam utilitatem capturi sint auditores mei, aliorum potius, qui me norunt, judicium esto, quàm meum. De me autem ipso ego nihil aliud vobis, V.M., ausim polliceri; quàm fidelem liberum vestrorum doctrinam. Quid? quod idem defendit me acriter decertans adversus duos non parvæ existimationis homines, & toga, & honoribus decoratos, olim cum primum mihi publice docendi tradita est provincia, de fama mea, quantum poterant, detrahentes; asseverans, non parva, neque vulgaria de me adhuc juvene speranda esse, quod & laboriosus essem, & non parum diligens; ut ille quidem pro summo in me amore & sentiebat, & loquebatur. At enim fieri potest, ut illi meliori causa starent, quàm Capra (non enim facile patiar, ut me meus amor fallat); meum tamen est, nisi plane ingratus esse velim, signa singularis in me amoris agnoscere, & tantæ benevolentiae significationem animo grato complecti. Idem etiam mihi, rei pecuniariæ angustia laboranti, obtulit, si accipere voluissem, ducentos aureos in singulos annos per triennium: eosque se mihi publico monumento curare paratum esse, est pollicitus. Qua tamen hominis

liberalitate uti nolui; arbitratus, ingenuum esse magis, me Deo, & meæ diligentia, quam alii homini cuiquam debere id, quod per laborem, approbantibus Superis, ipse mihi parare possem. Quæ cum ita sint, ut illi viventi debuerunt; ita mortuo debent, debebuntque, quantum persolvere numquam potuerunt, omnem conatum meæ, qualescumque sunt, literæ. Quin idem Paulo Manutio dabat dono quorundam aureos, ducentos. Jam vero eundem incunte autumno Genuam, ut ibi proxima hieme hibernaret, properantem, retinuit apud se mensibus amplius octo: idque triennio ante, quam Romæ mortuus est. Et retinuit quidem magna cum voluptate Senatus universi, cui carus erat Manutius; ne dum etiam aliorum literatorum omnium, qui tum erant Mediolani. Porro hospitalitatis studium prope singulare in hoc homine, tam multis virtutibus cumulato, enituit etiam in externos; non modo in Italos. Vidi ego comiter, atque benigne exceptos ab hoc non solum Italos, sed etiam Hispanos, & Gallos, & Germanos, atque aliarum nationum homines, Mediolanum, aut Ticinum venientis. Cum hoc animo esset Barth. Capra in omnes præstantes viros, eruditione, atque doctrina insignes, omnium nationum, atque gentium, sicuti jam diximus; nihil jam mirum est, V. M., si illustribus viris, disciplinis, & omni virtutum genere cumulatis, erat admirationi, eumque etiam de facie nosse cupiebant. Norant eruditi homines Barth. Capram unum esse de tribus omnium Mediolanensium doctissimis (1); idque sapientum iudicio pro certo teneri. Sciebant, hunc virum quamplurimis doctissimorum hominum voluminibus fuisse decantatum. Etenim (ut eorum pauca quædam mihi notiora recenscam) extat Hieronymi Montii Jurisconsulti clariss. (nondum enim erat Senator) luculenta oratio, Lugduni, & Mediolani publice descripta planissime (2), qua hunc admodum juvenem, in Jurisconsultor. Collegium cooptatum, suis coloribus describit, & veris laudibus afficit. Valde honorificam mentionem hujus facit in epistolis, & initio librorum *de Legib. Romanis* Paullus Manutius. Aldus, hujus filius, libellum de *Tibiis* (3), quibus modi co-

(1) Alii duo Annibal Cruceius, & Octavianus Ferrarius, tres enim hosce simul, parique cum laude commemorat alibi Cicereius, nempe in Oratione de Paulo Manutio pag. 201, tum etiam in hujus sine, idemque de iis iudicium tulit etiam Manutius, ut in hujus epistola ad Franciscum Cicereium 10. lib. x.

(2) Lugduni editam hanc Orationem 1547 memorat Argelatus, quæ etiam extat apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultiis; Mediolani vero eandem quoque impressam nunc primum intelligo.

(3) Aldi Manutii libellus *de Tibiis* impressus est in *Terentio* (de quo hic) per M. Antonium Muretum emendato, in 8 apud eundem Aldum, Venetiis 1575; habeturque etiam inter Aldi *Quæsitæ per epistolam*, Venetiis 1376, & Tom. 6. *Theauri Antiquit. Grævii*.

mœdiarum fiebant, Terentio a se edito adjunctum, eidem dedica-  
vit. Octavianus Ferrarius, numquam intermorituri nominis aut gloriæ  
philosophus, libros duos *de Exotericis, & Acroamaticis Sermonibus*  
Aristotelis, hujus nomini consecravit. Idem præterea in privilegio, a  
Maximiliano II. Ro. Imp. Caprarum genti concessò, summa cum laude  
describitur. Scripta Bartholom. Capræ, quam paucissima me legere me-  
mini, sed valde eleganter elimata. Adjecit quædam libro Octaviani Fer-  
rarii *de Origine Romanorum*, Danesii Filiodoni, Magni Cancellarii,  
summi, & singularis viri, jussu scripto. Legi aliquot mensibus ante  
duas inscriptiones (a), subiiciendas statuis æneis duorum Pontif. Ma-  
ximorum Collegii Jurisconsultorum benefactorum, in Templo eidem  
Collegio nuper addito dedicandis; quibus nihil neque appositum ma-  
gis, neque elegantius de tot, in eam sententiam ejusdem Collegii no-  
mine scriptis, vidisse me, juratus dixi. Hæc, quæ dixi, paucula scrip-  
tis a Barthol. Capra mandata legere me memini: quæ si quis, cujus  
sit intelligens judicium, sine livore, qui in vivis non in mortuis viget  
fere, diligenter expendat, veterum scripta non desideret. Sed, quod  
ad eorum paucitatem attinet, multa legebat quotidie; multa item quo-  
tidie observabat, cum esset totus in literis (sicuti jam diximus) Bar-  
thol. Capra. Ea ipsa observatio multa, omnis erat posita in collatione  
similium, dissimilium, appositorum, oppositorum, consentaneorum, &  
contra dissentaneorum, inter se locorum, de rebus omnis doctrinæ illu-  
strioribus, atque observatione dignissimis, quæ omnis locorum hujusmo-  
di collatio notis arithmeticis ad oram libri cujuslibet consignabatur; re  
interim, ad quam illi numeri pertinebant, in angustum coacta, atque  
in suos locos ordine digestos regesta. Quæ quidem observandi con-  
suetudo ab heroe illo, literatorum illius ætatis, Lazaro Bonamico Bas-  
sianate,

Hæc ad calcem paginæ in Codice, quæ sequuntur, sunt: *Bartholomæus Ca-  
pra, postquam sapere cepit; nihil umquam aliud fecit in omni vita, quam ut ea,  
quæ accepisset ab Octaviano Ferrario, summo philosopho, peripatetica prope fami-  
liari, græce, & latine de omni philosophia, de omni differendi ratione, denique  
de omni dicendi ratione græce, & latine accepisset, illa inter se conferret, notis  
numerorum diligenter librorum marginibus adscriptis eorum omnium auctorum, unde  
illa didicerat. Hoc suavi quodam animorum passu oblectatus, neglexit novi aliud  
aliquid de illis scribere, cum alioquin posset, tam bene paratus ab his omnibus.  
Hoc modo colligebat Senator, hujus frater, quare non plura scripsisset, aut certe  
non aliter.*

(a) Inscriptiones posite nomini Pii IV., & Sixti V., quæ a Sitono exhibentur *de J. PP. Coll.*  
pag. 12, & 960.

lianate, qui nunc Beatorum ordinibus propter excellentem virtutem in cœlo adscriptus videri potest, maxime celebrata fuit primum; deinde ab Octaviano Ferrario, Lazari discipulo; ab Octaviano in Bartholomæum, & Cæsarem Rovidium hujus studiorum socium, & laborum participem omnium, transit, quem etiam alibi nominavimus, quemque idem Bartholomæus numquam audire intermisit cum intra privatos parietes disputantem (ambo enim in iisdem ædibus habitabant), tum publice physica Aristotelis explicantem. Quod si cui, harum rerum bene intelligenti, ocium fuisset, si studium, ac voluntas explicandi hos locorum numeros, marginibus præstantium utriusque linguæ scriptorum adpersos, & jam digesta dilatandi; tum vero immensus Barthol. Capræ labor apparuisset, & excrevisset in maxima volumina annotationum, observationum, variarum lectionum, rerum certe lectu dignissimarum. Quæ volumina elegantissimis hominibus in honore, ac pretio, immo vero in amoribus, & deliciis essent omnibus. Quæ licet ita sint, V. M., non possum tamen adduci ad credendum, aliquot eximia opera non latere alicubi ab illo perfecta, qui tam multa legerit, quotidie; neque ea sine selectarum rerum observatione, atque in proprios quosdam, & certos libros, tamquam thesauros, relatione legerit. Quæ si modo, uti speramus, sunt scripta, non sinent ea interire fratres quatuor, Bartholomæo superstites, omnes literis, & doctrina perpolitæ. Verum enimvero, ubi se jam ingravescere ætate sensit Barthol. Capra; (qua sapientia semper fuit) aliquot anni sunt, cum cogitare cœpit de altera, hoc est de æterna vita, qua perpetuo una cum Christo vivitur. Quo quidem tempore totus erat in sacrorum librorum lectione, humana pene despiciens omnia. Huic igitur sacrarum literarum studium omnium studiorum erat maximum. De quibus eas partes sibi desumebat, quæ sibi viam in cœlum, cui uni rei totus inhiare videbatur, non tantum monstraret, sed etiam eodem aditum patefaceret. Cum vero circiter Kal. Martias in morbum incidisset, diligentia domesticorum Medicus arcessitur, quem ubi primum conspexit, ad se conversus, illud Lucretii protulit (a):

*Cur non, ut vitæ satur conviva, recedis?*

ut appareret, eum æquissimo animo mori paratum esse; id quod optimus quisque facere solet. Statim Sacerdoti peccata sua detexit, & Dei pace impetrata, cum Deo ipso in gratiam rediit, cælesti Eucharistiæ munere donatus. Ingravescente verò morbo XVI Kal. Aprilis,

(a) Lucretius lib. 3. versus finem, ubi verus textus sic:

*Cur non ut plenus vitæ, conviva, recedis.*



testamentum ita fecit, ut sapientem hominem decet; habita primum ratione æternæ vitæ, deinde cognationis; postremò exilimationis etiam suæ. In quo (ut hoc tantum dicam) libros forti exceptos legavit duobus Jurisconsultis fratribus; ea lege, ut illa pars, quæ proprie ad Philosophiam, & Medicinam pertineret, eorum arbitratu, ac præsertim Joann. Baptistæ Senatoris, de mente testatoris edocti, Cæsari Rovidio, Octaviani Ferrarii auditori, & successori daretur. Cum verò motus mentis languescere sentiret, ipse voluit Postremæ Unctionis Sacramento se muniri; ut, hoc oleo perfusus, in illa postrema lucta e potentissimi, atque acerrimi humani generis hostis manibus elaboretur, & ad Dei Opt. Max. bonitatem, atque clementiam perfugeret: ipse Sacerdotem, conceptis sacris verbis de more præuntem, tanta cum animi hilaritate, ne dicam alacritate, subsequeretur; ut mirum esset iis, qui adessent, omnibus. Tam porro jucundo sensu inunctus est; ut, licet certò sciret, se non ex eo morbo revaliturum; tamen hoc adhibito Sacramento, etiam ipsorum Medicorum judicio totus quodammodo recreatus fuerit. Ex quo facilè intelligi potest; quàm pie vixerit; quàm bene de majorum nostrorum religione senserit. Moritur admirandus hic vir hoc anno ipso MDLXXXIX, Kal. Aprilibus, hora XVI; cum quatrimum ægre spirans, ne aquam quidem gustasset. Ejus corpus eodem die cisio Mediolanum defertur, & in Divi Petri Gypsati (a) æde, ubi est monumentum ejus majorum, tumulatur. Sed heu jam perierunt tres illi viri, in quibus, si quid erat modo uspiam politioris literaturæ apud nostros, judicio sapientum erat; qui ut erant eruditione, atque doctrina omnes inter se pares, sic vixerunt in litterar. studiis omnes inter se concordēs. Quid? quod eodem ætatis anno, hoc est LXXIX. omnes tres obiisse constat, qui in vita eodem studio detenti fuerunt? Sed quid autem periisse, dixi? Vivent suis ipsorum, vivent aliorum etiam æternis monumentis, ære, & adamante perennioribus; quæ ad omnium sæculorum memoriam pervenient, & cum omni æternitate exæquabuntur. Erat Barthol. Capra tantæ, tamque admirandæ eruditionis, atque doctrinæ vir, ut omnibus sapientibus dignus videretur, qui numquam mori debuisset. Hæc omnia, quæ in nostro cive, V. M., magna, atque admiranda sunt, cum hinc attendo, cumque cum animo ipse meo antiquitatem omnem illinc contemplor; videtur mihi Barthol. Capra in multis sane jure optimo cum T. Pomponio Attico comparandus, atque in his potissimum: studiorum cultu, eloquentia græca, & latina, ambitionis fuga, factionum odio, in viros præstanteis liberalitate, & de-

(a) Seu ut alii dicunt *Glanate*, vulgo *in Gessate*.

nique vitæ longioris radio. Quod nisi viderem, mihi jamjam perorandum, & ad orationis finem properandum esse, si denique vacaret; singula singulis, atque omnia omnibus contenderem ex arte, ut etiam fieri solet ab iis, qui omnino infantes non sunt. Sed tamen vel unum illud dicam. Moriendi genere nisi Capram Artico longe anteferremus; eximie hujus nostræ institutioni vel in eo, quod ad sanctissimam religionem attinet, insignem injuriam faceremus. Nam horum alter, gravioris morbi, atque adeo insanabili, impatiens; quasi desperata salute savior in se effectus, & deliberatæ morte ferocior redditus, inedia sibi mortem conscivit. Alter naturæ ipsi, omnium parenti, nulla vim inferens, donec a Deo arcesseretur, expectavit; & senescentis vitæ plurimam, maximaque incommodam, melioris vitæ expectatione fretus, æquiori animo ferens, mortuus est. Alterum illud mortis genus etiam Ethnicorum doctissimi quique, atque adeo eloquentissimi, nedum Christiani homines, maxime vituperarunt. Quandoquidem, cum illos vitæ taderet, animam; quam magno Dei munere, atque beneficio retinerent, contempserunt, & abjecerunt. Quam si iterum recipere, & factum quod est, infectum facere, & iterum in vitam redire possent, vehementissime cuperent, contemptis inter hæc malis quibusque maximis; cum ideo æternis pœnis apud inferos eruciantur: quod sibi, ut pios omnes facere decet, non retinendam esse animam in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo illa est nobis data, ex hominum vita migrandum esse censuerint, ut munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videri possint. Hoc contra alterum, quod noster Capra obivit sic, ut Christianum hominem decet, vel sanctissimo cuique maxime probari, necesse est. Etenim jam aliquot annos (quemadmodum jam diximus) totus erat in laudabilis mortis meditatione, nihil prius, potiusve commendabatur: quam ut Deo reconciliatus, Deo gratus & acceptus, ex corporis vinculis, tamquam e carcere, cum ipsi Deo visum esset, evolaret; & hanc nostram vitam, quæ licet dicatur vita, tamen mors est, in veram illam vitam, quæ cum Deo, Divis, ac Divabus in cælo perpetuè vivitur, commutaret; quam ut a Deo corporis custodia liberato, sibi in cælum pateret aditus: existimanti, iis eam vitam viam esse in cælum, & in Beatorum cœtum, qui omni vita justitiam maxime coluerint, & pietatem, quæ cum sit magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima est. Itaque horum alterum ingratum Deo periisse, existimare debemus; alterum, si & vitæ genus upiverum, & moriendi rationem omnem diligenter attendamus, gratam Deo, & acceptam mortem obiisse, qui donec a Deo, non solum duce, atque

que imperatore vitæ mortalium, sed etiam auctore atque datore accesseretur, ex ejus ipsius præscripto interim vivens, expectavit; & æquissimo animo, uti sapientem, immo Christianum hominem decet, est mortuus. Jam vero apparêt, V. M., quod adeo initio proposui; justis de causis, & illa præsertim, ne posteritas hoc exemplo privaretur, me ad laudandum Barthol. Capram, virum jure optimo semper memorandum, adductum fuisse. Exprimenda igitur mihi fuit, quacumque ratione possem, imago, atque simulacrum tam admirandi viri: cum quia debui in illum memor esse, & gratus; tum quia posteritas talis, ac tanti nostri civis specimine non erat fraudanda, sed potius talis, ac tanti viri exemplo, prodito literis, instruenda. Venio nunc ad Barthol. Capræ vitæ compendium, hoc est, epitaphium, sive sepulcri inscriptionem. Cuperem ego, si modo fieri posset, o Barthol. Capra, pro tuis erga me, & alios meritis, te digno aliquo elogio mortuum prosequi; neque eo, quod sacro parieti aut Mediolani, aut Ticini, aut uspiam alibi tantum affixum spectaretur, sed quod eò usque perveniret, ubicumque latinus sermo legentibus est notus; non quale quidem Fratres tui quatuor superstites, honestissimi homines, mihi dictarent, exile, modicum nimis, & simplex admodum, denique te parum dignum: quippe qui, quàm par est, verecundiores, nollent videri, se fratrem suum mortuum venditare, licet dignus esses, qui propter excellentem virtutem seorsum sepelireris; sed elogium profecto tale, omnes illud in te consentientes, cuperem ego in tuo sepulcro incidere, quale literati homines mihi præscriberent, copiosius videlicet, verius, luculentius, & te multò dignius. Nam fratres tui illud, opinor, tibi monumentum facerent. *Bartholomæo Capræ Mediolanensi Juriscon. in Collegium cooptato; græce, latineque erudito, qui nat. annos LXVII. M. paullo plus VI. mortem obiit anno MDXXXIX. Kal. April., Fratres IV. Fratri cariss. posuer.* At literati homines, quibus impensius favebas, tibi magnificentius sepulcrorum conderent, hujusmodi: *Bartholomæo Capræ de summa nobilitate Mediolanensi Joan. Francisci F. Bartholomæi J. C. Collegii Mediol. N. in Collegium Jurisconsultorum itidem cooptato, sanctissimæ Religionis cultori eximio, ab omni ambitione procul remoto, græce, latineque doctissimo, eloquentia clarissimo; omnis doctrinæ, & liberalis disciplinæ, & magnarum rerum scientiæ supra quàm quis credat studiosissimo, hominum literatorum insigni fautori, qui immortalitate nominis virtute, eruditione, liberalitate, hospitalitate, parva immortalis vita dignus mortem obiit Kal. April. anno MDLXXXIX. annos natus LXVII. M. paullo plus VI. natus vi-*

*delicet anno MDXXI. mense Septembr. literati homines, viro multis de causis mirabili, & memorando optima de se merito faciund. curaver.* Erit igitur, V. M., B; Capræ nominis memoria non solum iis, qui nunc sunt, sed etiam iis, qui post nos futuri sunt, illustris, clara, cara, commendata, æterna denique; idque multis de causis. Ac primum omnium hujus memoria erit ejusmodi, quod summa nobilitate, optimis parentibus procreatus, ab iisdem summa cura educatus, atque institutus fuerit; quod jurisconsultus eloquentissimus, nempe omnium liberalium artium, omnium disciplinarum, maximarumque rerum omnis scientiæ studiosissimus fuerit; quod ambitionis, & quæstus inimicus, vitæ genus ab omni ambitione, & quæstu procul remotum, & maxime cum virtute conjunctum, probavit; studiis literarum, & præsertim omnis philosophiæ, alia omnia, præter unam Religionem, posthabuerit; in quibus ut esset assiduus, magno cum incommodo patria caruit, & Ticini quàm Mediolani esse maluit: Literarum fautor eximius, in doctos homines liberalissimus, rem literariam meliorem fieri semper concupiverit; summo in pretio, atque honore vixerit; aliquot sapientum libris editis laudatus (1), admirationi fuerit etiam exteris; quod pauca quidem, sed illa quam accuratissime scripserit; quod, sacrarum literarum studio deditus, de æterna vita cogitans, & in meditatione mortis defixus, summa cum laude, &, ut Christianum hominem decuit, mortuus sit; quod sanctissimæ Religionis cultor semper quidem fuerit insignis, sed maxime in ipsa morte, nominis immortalitate, parta, & immortali vita dignus, eximius apparuerit; vel ipso genere mortis, Attico, cum quo in multis comparatur, longe anteponendus. Et dubitabit quisquam, modò sensus communis non expers, quin ejus viri memoria, in quem unum tam multa miranda competant, æterna sit futura? quod si facit tamen; posteritatem parum gratam pro tantis, tamque multis virtutibus statuit. Verum enim vero, cum dico, hujus nomen tantæ curæ futurum posteritati; doctos homines intelligo, non imperitos. Nam illorum judicio, non horum ineptiis, serviendum est; neque laborandum, quid latret imperitorum turba; ut præclare scriptum reliquit valde bonus Poeta, Antonius Vulpus, Novocomi nostri Episcopus, homo in omni genere elegantissimus. Ego vero, V. M., existimarim, mirum in modum gaudere, Barthol. Capræ maneis; quod ejus vita, & mores in hoc religiosissimo Templo commemorentur; quod

(1) Videlicet Octaviani Ferrarii, qui librum *de Sermonibus Exotericis*, & Aldi Manutii, qui suum *de Tibiis* Capræ dicavere; laudatque hunc insuper Paullus Manutius in epistola ad Franc. Cicereium.

Templum magna cum voluptate invifere confueverat, Sanctiffimæ Virgini Dei Matri, Rosæ decoro rubore perfusæ nomine insignitum, dictum, dicatumque, unde pacem Dei Opt. Max., Divorum, Divarumque, cum quid offenderat, exposcere, & erratorum veniam impetrare folitus erat, Beatifs. Virginis Numini devotus cliens Barth. Capra vehementer lætari hac vitæ suæ commemoratione, in ædē Rosæ ab amico facta (1); sed multo magis lætaturos, cum, exempta labe, fatis longo vitæ tempore concreviffe, atque inoleviffe necesse est, perpurgati, ab immortalī Deo ad perfuendum regnum, ab æterno præparatum, advocabuntur; cumque una cum fuis Manutio, Cruccio, Ferrario, omnibus malis carentes, omnibus contra bonis affluentes, brevi (ficuti fperamus, atque confidimus) immortalis laudeis Uni, & Trino Deo in perpetuum concinent.

(1) Bartholomæum, ejusque Fratres laudibus exornatos a Francisco Cicereio perhibet Morigia in libro: *Nobilità, e Progenie del Consiglio Gener. di Milano* pag. 23.



MARCI MAPHÆII CICEREII

EPISTOLARUM

LIBER SINGULARIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 350

## M. MAPHÆII CICEREII

## EPISTOLA I.

BARTHOLOMÆO CAPRÆ S. P. D.

ARGUM. *Ticinum perrecturus studiorum causa Capram rogat, ut in proprias se se ibi ædes recipiat. Impudentiam, atque audaciam narrat plurium Ticinensis Gymnasti studiosorum adolescentum, quos vero Odescalchi Senatoris adventu, & cura resipuisse, & ad officium rediisse, affirmat.*

JAM, optime Capra, duo abierunt anni, ex quo Pater meus, cum me intelligeret in iis artibus, quibus ad humanitatem informari solent, pueri, processisse aliquantulum, mihi gradum ad graviora studia faciendum esse existimavit, & ad magnos magnarum artium magistros audiendos, esse proficiscendum. Neque vero diu, multumve dubitavit, cum tot essent gymnasia, quæ viri eruditissimi publice docentes illustrarent, quodnam potissimum mihi petendum censeret; occurrit enim illi statim Ticinense, cujus tanta est celebritas, nobilitasque, ut illud jure, & merito possis cum omnibus, quæ sunt ubicumque terrarum, & gentium contendere, ac comparare; ea porro propinquitas, ut omnis Mediolanensis juvenus non aliud potius, quam illuc, tamquam ad mercatum eruditionis comparandæ gratia confluat. Quod si me idem Patavium, aut Bononiam, aut Pisas, aut aliud denique quovis potius, quam Ticinum mitteret, in eo civium nostrorum, qui hoc gymnasium cæteris longe præferrent, semperque prætulissent, morem, ac consuetudinem negligere, deque illorum judicio judicare (quod admodum grave est) videbatur. Huc accedebat etiam, quod idem ejus ipsius, cui multis jam nominibus se debere profitetur, Octaviani, inquam, Ferrarii, viri ornatissimi, atque in philosophia exercitatissimi, disciplina me imbui mirum in modum cupit, cui munus ibidem publice docendi aliquot ab hinc annos Senatus noster demandavit. Atque hæc quidem erant causæ, quamobrem Ticinense Gymnasium maxime probaret. Verumtamen qui de motu illic exorto ad nos afferebantur nuntii, non nihil Parentem meum movebant. Non enim semel ex multorum sermone, quibus fides habenda videbatur, audiebat bonam illorum ado-

Vol. II.

L 1



lescentium partem, qui studiorum causa Ticinum se contulerant, decoris sui, atque adeo expectationis, quam de se concitarant, oblitos omnino ab honestis studiis abhorretere, totosque esse in nugis, licentius vagari, arma gestare, turbas multas, magnasque concire, nullum metuere, nulla se lege teneri putare, luxuria, lasciviaque diffluere, in obvios quosque debacchari, petulantissimis verbis, ignominiosisque dictis quemcumque libitum fuisset insectari, ne Doctoribus quidem ipsis, qui publice interpretarentur, parcere, cædes etiam, si diis placet, se facturos minitari; quoscumque vero spem de se conceptam non modo non fallere, sed etiam superare intelligebant; frugi, modestos, continentem esse, totaque (quod ajunt) diametro a se distare videbant, eis se acerrimos hostes fore profiteri, eos quo jure, quaque injuria læderent, omnique, si possent, modo excruciant, causam querere; quibus permotos non paucos, optimo ingenio adolescentes, qui saperent, cum se immerito invisos illic viderent esse, eorumque audaciam, & impudentiam, qui injurii erant, neque ferri poterant, vererentur, e medio excedendum duxisse, quamquam anniversaria illius gymnasii feria nondum indictæ erant, Ticino abiisse aliudque, ut otiosi liberius studiis operam darent, secedere decrevisse. Hæc, aliaque id genus non pauca de Ticinensi Gymnasio huc afferbantur, quæ quantum patri meo molestiæ afferrent, ipse, qui ejusdem sensum pulchre calles, unus omnium optime possis intelligere. Neque id injuria, cum mihi, dum illæ silescerent turbæ, manendum hic fortasse multo diutius præter animi sui sententiam existimaret. Hæc autem non ipsius tantummodo, sed etiam aliorum Patrum animos angebat cura, qui diutius quam par erat ob eam rem, quos eodem mittere cogitabant, apud se suos retinebant liberos; veriti videlicet ne si eos a se in præsentia ablegassent illuc, cum perditis adolescentibus frequentes essent, & aut a virtutis itinere, quod ingressi fuerant jam, pedem referrent, quique alicui rei essent (*ut ingenium est omnium adolescentum a labore proclive ad libidinem (a)*) facile ab illis, ut sibi similes essent ad nequitiam adducerentur, aut si forte cum illiusmodi conflictarentur ingeniis, neque corrumpentur ab eis tamen, oleum nihilominus, & operam (quod ajunt) perderent, cum præclara illa, quorum causa domum, patriam, parentes, amicosque reliquerant, sibi comparare non possent eorum culpa, qui tamquam communis omnium quietis hostes perturbarent omnia, neque quemquam æqualium commilitonumque otioso animo esse paterentur. Ut ut hæc

(a) Terent. *Andria* act. 1. sc. 2.

erant, tamen in sententia perstabat, neque de pristino consilio me illuc mittendi mutabat quidquam. Non enim Senatui nostro, cujus de sapientia dici, ut dignum est, non potest, tantam rem neglectui futuram credibile illi, aut verisimile videbatur. Timendum enim erat, ne nimia illæ licentia in magnum aliquod evaderet malum, adeo ut plane divinaret. Nam ejus anni, qui proxime infecutus est, initio amplissimus Ordo universus Thomam Odescalchum Senatorem (1), virum omni laude cumulatissimum, quem unum omnium maxime aptum esse norant ad id munus suscipiendum, misit ad tenenda Civitatis Ticinensis gubernacula, quò facilius errantes adolescentium animos in viam reducere, atque in officio continere posset. Atque hic quidem vir, ut alia multa omittam, quæ tibi, qui hisce rebus interfuisti, notissima sunt, effecit non tam optimo quoque cupiente, quàm insperante, ut quicumque Ticinum venerant, quò meliores, ac doctiores fierent, ab armis sese abstinere (hinc enim omnes illas procellas prius exortas fuisse sentiebat), in quo quidem uno tantum momenti fuit, ut omnium adolescentium mentes in tranquillo collocarit; a quibus etenim paullò ante nihil egregium, nihil præclarum, nihil excellens expectasses, iidem nunc ex errore in viam reducti, frugaliore, quàm illi volunt, quibus cordi sunt, esse constituerunt, omnique animi conatu in eam curam incumbunt, ut amissi temporis jacturam diligentia, industriaque sarciant. Adeo immutati sunt, ut, qui antea fuerint, nunc eisdem esse non cognoscas. Itaque tantum abest, ut aliorum ad laudem contendentium, cursum impediunt, ut suo quoque ipsorum exemplo illos impellant, & inflamment. Quamobrem quod quidem ad hoc pertineat, cum nemo quemquam interpellat, sua cuique studia feliciter successura sperandum est. Neque dum Civitas Ticinensium tam sapienti utetur rectore (quod ut maxime diuturnum esse velit, a Deo Opt. Max. petere debemus) periculum est, ne quis exoriatur, qui aliquam denuo det pugnam. Cum hæc patri meo grata erant, tum multò gratiora fuere, ubi eos ipsos omnes, quorum parentes non satis Ticinensi Gymnasio fidebant antea, eò profecturos non multò post esse comperit. Ac illi quidem tum sibi abundum esse censuissent, nisi adulta jam ætate prope adfuisset, cum de more a studiis feriretur; quò factum est, ut satius esse duxerit pater, si medio fere ego autumnno discederem, ut ibi adessem solempni die illa, qua more institutoque majorum intermissa studia renovarentur, repeterenturque. Indictæ fuerunt interim trimestres illæ publicorum munerum vacationes. Tu vero Idib. Sextil., si bene memini, huc te contulisti, cumque pater meus, ut solet, ad te visendi gratia

venisset, post alios sermones quæsit de Gymnasio vera ne an falsa audisset, consilium suum de me Ticinum mittendo tibi exposuit, tuamque, quæcumque de hoc esset, sententiam ut aperires, rogavit. Ibi suum a te consilium collaudatum ferebat, qui me expoliri, excolique doctrina tantopere cuperet; narrasse etiam ordine, quæ Ticini adolescentium culpa evenerant, cognovisseque ex te omnium nostrorum opinione eadem illa minora fuisse; Thomæ Odescalchi adventum eos reveritos respiciisse, atque ad bonam frugem sese recepisse. Velle porro te dixisti, si modo mihi illic vivendum fuisset, me tuo uti contubernio, eoque impensius cupere te id, propterea quod a Cæsare Rovidio, convictore item tuo Academia in iisdem ædibus nuper instituta fuisset philosophiæ causa ad studiosos juvenes exercendos, plurimumque in eo esse adjumenti ad eruditionem capessendam. Multa item verba fecisti de Rovidii ipsius egregio in patrem meum animo, illique me carissimum, commendatissimumque fore non semel confirmasti. Tua denique postrema fuit oratio, abiturum te quidem non multò post, sed paucis diebus interpositis tibi negotii causa redeundum, biduumque te hic, aut quadriduum ad summum esse commoraturum, discessus tui me (nisi aliter sentiret pater) comitem futurum. Tuus hic sermo incredibili quadam voluptate ejusdem patris mei animum perfudit, gaudioque delibutum reddidit, quippe cum ex te audivisset ea, quæ maxime optabat, levioraque multò fuisse illa comperisset ex oratione tua, quæ ipse pergravia esse in animum suum induxerat, nuncque multo apertius (quod & antea multis in rebus perspexerat) intelligeret se a te amari. Quamobrem tibi, ut par erat, gratias egit de ista tua tam præclara in nos voluntate, quod mihi tam ex animo factum velles, cum quod nunquam ausus fuisset a te petere, id ultro tu ei detulisses. Ad ea vero, quæ de reditu, discessuque posteriori tuo addideras, ita respondit, ut facile intelligeres (quandoquidem etiam id me a benignitate tua sperare volebas) non moleste ipsum laturum, si ad singulare tuum illud in nos beneficium aliquis etiam hoc facto cumulus accessisset. Inrevera hinc discessisti, neque multò post Ticino literas dedisti ad nos, quibus monebas, ut prius, quam viæ imbribus corrumperentur, lutoque impedirentur, quæ mecum simul eram laturus, si visum fuisset, eodem ad te curaremus comportanda; placuit tum id nobis, monitisque tuis fidelissimis, amantissimisque comestim parvimus. Extremo fere Octobri te iterum ad nos retulisti. Pater, ubi de tuo adventu cognovit, te domi Joannis Baptistæ fratris tui adiit; quod idem ego biduo post feci, ejusque nomine tibi salutem dixi. Tu vero statim ultro tuo-

rum te minime oblitum esse promissorum ostendisti, memoriamque sermonis illius, quem olim cum Patre meo habueras, mihi refricuisti. Verum dolere te ad conficienda quædam haud parvi momenti, quæ te urgerent, neque differri deberent, aliquot tibi dies sumendos; adeo ut in sequentem hebdomadam discessum tuum differre cogereris. Ego nos tibi non instare, sat habituros, si ubi tu voluisses, ubi molestum non fuisset, tum promissa tua apparerent. Sed, cum non illi tantum quos tibi sumpseras dies, sed integer pene mensis exactus esset, die D. Thomæ festo, ut ad te visendum venerat pater meus, te domo egredientem offendit, ac congressus tecum est; postque bene longum, ac varium sermonem tecum habitum, quousque hic esse velles quæsit, & Ticinum ne redire cogitares (verebatur enim, ne proficiscendi consilium abjecisses omnino) percunctatus est. Respondisti jam transacta esse illa omnia, quæ te mature discedere prohibuissent, tunc nihil in te moræ, paratam esse navim, qua tu, Cæsar Rovidius, qui forte fortuna diebus illis Mediolanum venerat, egoque una veheremur. Postero die a mane usque ad vesperam frustra expectavi, qui (hoc enim te curaturum per tuorum aliquem priori die fueras pollicitus) mihi de discessu tuo renuntiarent. Ubi vidi noctem imminere, ad te cum Hannibale Delphinonio (2), qui domum ad nos venerat, ire perrexi, ut quid prorsus te de sententia dimovisset, intelligerem. Nautæ perfidiam accusasti, qui cum se navim paratam, & ad manum habiturum, præstoque eam tibi futuram eo die, sæpius affirmasset, tamen promissis non steterat, per te non stare, neque de profectiois dilatione ullam te culpam commereri, devorandam esse mihi paucorum dierum molestiam; hanc enim si minus potuisses, aliam te navim omnino ante Kal. Januar. conscensurum, quod tamen numquam ad rem contulisti. Ego, ut aperte quod sentio eloquar, scire percupio quid consilii hac de re ceperis, quidve sit sententiæ. Ita perturbasti mihi rationes omnes, ut incertus sim quid agam; nam neque toties mihi ad te veniendum arbitror, ne tibi molestus sim, cum te urgere videar, aut impudenter faciam si mea causa tantum tibi abeundum censeam, neque tamen satis commode hic vivo, quippe qui multa ad cultum pertinentia desiderem, quæ quidem te auctore superioribus diebus Ticinum præmisimus. Quapropter te oratum velim Capra, ut quantum potes ad hæc rescribas, consilii que tui nos participes facias, & quid designaveris, significes, ut, dum licet, nobis prospiciamus, egoque alius contubernio uti possim; si forte quid est, cur nolis me in ædes tuas recipere, ne retice. Nihil enim quidquam tibi esse hic incommodi vo-

lumus. Quare audacter quidquid est illud, profer. Ac ne putes iccirco te nobis ægre facturum, pristina voluntas nobis pro facto erit, tibi que etiam, si quid in præsentia fidem in eo quod sæpe dixisti servare prohibuerit, nihilominus tamen, æque ac si me tibi convictorem abduxisses, semper debebo. Vale. Ex ædibus nostris .... Kal. Mart., anno MDLXXXI.

(1) Comi illustri genere ortus Thomas Odescalchus, primusque ex Comensibus, qui Senatoria dignitate Mediolani ornatus. V. Tatti (a), & Ballarinum (b). Curator idem fuit testamenti S. Caroli unacum Francisco Alciato Cardinali, & Francisco Bernardino Cribello; tum etiam judicandi arbiter constitutus unacum Joanne Fontana Archipresbytero Metropolitanæ in iis, quæ circa hæreditatis dispartientiæ bona oriri possent, controversiis. V. Oltrochi (c), & testamentum ejusdem S. Caroli, quod typis impressum habetur inter miscellanea nostra, n. 245. Dux sunt Francisci Cicereii ad Thomam Odescalchum italicæ epistolæ in Codice Belgiojofiano. Papiæ obiit Odescalchus hic, non anno 1780, quod mendose scribitur apud Ballarinum (d), sed eodem hocmet anno, quo hæc scripta epistola, ac mense Martii die 25; ejusque corpus Comum delatum in tumulo majorum suorum conditum fuit in Templo S. Joannis Pedemontii (e). Eidem, ac simul Galeatio Brugoræ Senatoribus opus suum *de Stellis &c.* inscripsit Bernardinus Baldinus, qui in *Lusibus* pag. 44 distichon, atque tetrastichon ipsi Thomæ dicavit, confecitque funebre ejus elogium pag. 89. Inter eosdem *Lusus* pag. 63 epigramma est ad Joannem Antonium Odescalchum Senatorem laudati Thomæ (f) nepotem. Hujus vero tumulus cum adjecto elogio Mediolani visitur in Templo S. Barnabæ; ita autem se habet, pro ut illud in Codice nostro lego, n. 304.

JOANNI ANTONIO ODESCALCHO COMENSI

REGIO SENATORI

VIRO INTEGERRIMO

ANNA CARCASOLA MEDIOLANENSIS

PATRIBVS CÆTERISQVE VIRVM CHARISSIMVM

AD SALVTEM COMMENDANS

MÆSTISSIMA POSVIT

OBIIT VI. ID. NOVEMBRIS MDXXCIX.

(2) Qui filius Tranquilli ex instrumento 1579, 25 Augusti, rogato per Danielelem Delstrate. Ejus mentionem facit Argelatus, ubi de Cæsare Rovidio, atque hujusce academix fuisse adscriptum.

(a) *Annali di Como* Decade 3.

(b) *Croniche di Como*.

(c) *Vita S. Caroli* pag. 774.

(d) *Croniche di Como*.

(e) V. Tatti *Annali di Como* Decad. 3.

(f) V. Tatti in *Appendice*.

## EPISTOLA II.

FRANCISCO CICEREIO PATRI OPTIMO S. P. D.

**ARGUM.** *Pro trimestri convictu pretium se Capræ solvisse significat; hujusce filio in studiis adiutorem esse; crebriores in posterum litteras daturum spondet, dein alia de statu, ac rebus suis.*

**P**OSTRIDIE ejus diei, quo cum Sylvio (a), ut ad te nuper scripsi, collocutus sum, quam scis, pecuniam Capræ obtuli; verum quia simul atque illam accepisset, chirographum mihi se confecturum ajebat, (quo tibi morem gereret, qui istic, licet paucis, cum rogaveras, ut id facere ne gravaretur) tunc autem dextri oculi dolore vexabatur; pecuniæ perceptionem distulit, donec dolor ille quidpiam sibi remisisset. Itaque diebus sane paucis post ab eo accersitus dedi; addidique illam, nisi majori opus fuisset, pro trimestri convictu meo dari, libere diceret, quid sentiret, alioquin ægre te id laturum, cum satis magno beneficio te affecisset, qui id insperanti tibi detulisset ultro, quodd nonnullis peccentibus antea denegasset; quodd scilicet me contubernio suo dignum duceret, in eaque domo mihi esse liceret, unde multa suppetere ad-jumenta doctrinæ. Respondit pecuniæ satis esse, illicoque chirographum, quod ego asservavi, confecit, in quo se a me V. Idus Martias scutatos octodecim fatebatur accepisse pro convictu meo trimestri. Hoc ego ubi legi, curavi, ut idem sua ipsius manu adderet: trimestris hujusce convictus initium fuisse iv. Kal. Martias, quo primum die una cum ipso esse cœpi. Unum oravit, ut interdum, quæ Theodorus ipsius filius, latine scriberet, legerem: quando, cum tamen ante me neminem unquam, studiorum gratia Ticini vivere cogitantem, sibi convictorem esse passus fuisset, volebat me in iisdem esse ædibus tum ob suum ipsius in te studium, tum, ut ex mea consuetudine Theodorus aliquem fructum perciperet; cum neque id mihi futurum inutile videretur, ego me id, ac perlibenter facturum fuisse confirmavi. Quapropter Theodoro patris sententiam exposui statim, quidque a me fieri vellet is, demonstravi. Theodorus biduo post mihi legenda dedit quædam & vernacule, & latine scripta, quæ quidem olim a te mihi, cæterisque discipulis dictata fuisse memini; in iis, quæ latina erant, cum perpauca peccasse animadverti, vernacula quidem, quin Hannibalis Delphinonii,

(a) Fortasse Gambaloita Silvius de quo hic pag. 74.

quo cum plurimum est, aliquod exemplar nactus, descripserit, mihi dubium non est; utrum autem, cum illa in latinum convertebat, idem eum adjuverit, an non, compertum non habeo, ipse viderit: ego, ut id ne faceret, sum dehortatus. Tuas literas amantissime scriptas, IV. Idus Martias a te datas, Capra mihi XII. Kal. April. reddidit, ex quibus meas a te requiri intellexi. Ego vero non committam posthac, ut officium meum desideres; quod & antea literarum assiduitate explevissem, nisi mea scripta tibi, homini multis occupationibus assidue districto, molestiæ plus, quàm voluptatis putassem allatura; quando igitur eò me vocas, crebro ad te vernacule scribam, interdum etiam latine, idque aliquantò accuratius, quàm nunc faciam. Quod autem cupere te scribis, me non nisi una cum Capra, aut Rovidio domo exire; scito Capram, cum adhuc recentes veneramus, bis, terve fuisse foris, meque ab ejus latere non discessisse. Sed, cum mihi per id tempus quædam, quibus perincommode carebam, essent comparanda; necesse habui servo ejus uti, qui me viarum ignarum non pateretur errare. Est omnino & alter servus, sed raro alterutri ab re domestica otium esse solet, adeo, ut neque sæpe operam illi mihi dare potuerint, neque ego postulaverim, ne verecundiæ, cujus mihi rationem habendam duco, fines transirem. Venimus interdum ad scholas, ego & Hannibal, aequæ tamen quispiam nobis molestus fuit. Quæ hic III. Idus Martias evenerunt, te istuc ex sermone multorum cognovisse credo. Philosophiæ, jurisque civilis studia per aliquot dies intermissa fuerunt, nondum indictis publicorum munerum vacationibus; eo ipso die, quem modo dixi, vesperi Capra, cum ex Rovidio cognovisset non paucos, qui studiis operam dabant, immerentes in carcerem conjectos fuisse, idemque reliquis ejusdem generis hominibus, si in publico apparerent, impendere periculum, me, & Hannibalem monuit, ut, dum illæ silescerent turbæ, domi nos contineremus, cui monito, propterea quoddam fidele, amansque nobis videbatur, parvimus ambobus. Saturni die, qui fuit XV. Kal. Apr. fere omnes, ut idem Rovidius referebat, qui per eos dies comprehensi fuerant, e carcere emissi fuere, Doctoresque jussu Magistratus a prandio ad suum pensum, ac manus sese revocaverunt. Hoc fretus ego postero die, quia festus erat, rei divinæ interfui, mox domum me retuli, neque me inde commovi amplius, donec mihi quærenti Capra respondit, licere prodire, ac tu id, Rovidius fere quotidie ter interpretatur privatim, vel cum publice docet, nec nisi prope jam occidente sole negotii causa pedem domo efferre consuevit. Quæ cum ita sint, minime mirum tibi videri debet, si solus ambulo interdum, etsi hoc raro, nec nisi coactus facio. Idem

Rovidius

Rovidius istuc cogitabat, & ix. Kal. Apr. mane rhedam cum duobus adolescentibus, discipulis suis, conscendit. De libris tibi permitto, plus scis, quid facto opus sit. Pilatum, cujus fidem in illis, quæ hic habeo, huc comportandis, perspexi, quoniam quæ commemoras, alii recte ne credantur, an non, ignoro; quæsi non uno in loco. Sed cum convenire mihi nondum licuit. Nonnullis mandavi, eosque etiam, atque etiam rogavi, si cum forte viderint, ut orent, ut ad Bartholomæum Capram veniat; esse enim apud illum, qui ipsum conventum velint, nihilominus ego eum inventum, curabo, & quam celerrime ad te missum. Te cum omni familia valere volupe est, idque ut diuturnum sit opto; ego item valeo, quod divinæ benignitati acceptum refero. Matri, patruo, ceterisque domesticis salutem meo nomine plurimam. Vale. Ticini, vi. Kal. April. anno MDLXXXI.

## EPISTOLA III.

EIDEM.

*ARGUM. Litteras, librosque habuisse, atque in Rovidianam Academiam se receptum significat.*

LITERAS tuas xix. Kal. Jul. datas, & libros, de quibus ad me jam sæpius scripseras, qui eos a te acceperat, idem mihi tradidit, nempe Lexicon Græco-latinum, Simplicium, Philoponum, atque The-mistium. Ostendi Rovidio; dixit, opus esse præterea Simplicii ejusdem commentariis in Aristotelis Physica, quæ ipse privatim fere quotidie interpretatur, neque ( ut ait ) interpretari desistet prius, quam eorum, qui ad audiendum conveniunt, numerus fere ad nihilum redigatur; ex quo apparet eum non parcere labori, modo eos, qui se Doctore utuntur, proficere intelligat; hoc assidue saxum volvere; huc ipsius curæ ac cogitationes referri videntur. Scito me nuper, hoc est x. Kal. Jul. ab ipso, sodalibusque in Academiam, quam is philosophiæ causa constituit, fuisse cooptatum (a); statimque ad eisdem oratiunculam habuisse, qua & cunctis gratias egi, & Academiæ leges, sive decreta, me hite servaturum promisi. Neque vero per me stetit, quominus in eandem maturius reciperer. Forte enim accidit, ut eo ipso tempore oratiunculæ meæ, ut ut est, extremam manum imponerem, quo Rovidius totus

(a) De Maphæio Cicereio in Academiam hæc cooptato mentionem facit Argelatus *Biblioth.* pag. 1243.



erat in dialogis conscribendis, quos mox ediscendos daret adolescentibus illis, quos exercere decreverat ad disputandum in contrarias partes, de utraque quæstione proposita, Logica videlicet, ac Physica. Prædie Idus, & Idib. Jun., neque publice, neque privatim, ut consueverat, docuit; priori die prior quæstio, posteriori vero posterior examinata est, atque discussa, neque sine magna omnium fere, qui aderant, attentione. Hoc actum est in ædium earum, in quibus habitamus, porticu satis ampla: idque quando ex sententia successit, nescio quid aliud molitur, & apparat, quod istic, ut audio, coram Senatu vestro propediem edere cogitat. Hoc vero postremum me scripsisse, tibi, ac fratri tantum, præterea nemini velim innotescat. Ego valeo, vobisque omnibus istic recte esse cupio. Hæc (etsi serius fortasse, quam par fuit) tibi nota esse volui, cum quia tibi non omnino ingrata fore intelligebam; tum quia nisi, quotiescumque habeo quid scribam, te literis appellem, mihi videar accusandus. Vale, matri, patruo, reliquisque domesticis salutem meis verbis plurimam. Ticini, vi. Kal. Jul. anno MDLXXXI.

## EPISTOLA IV. (a)

FRANCISCUS CICEREIUS BARTHOLOMÆO CAPRÆ

V. C. S. P. D.

*ARGUM. Litterarias habitas disceptationes nunciat. Cur Octavianus Ferrarius in iis minime laudatus, causam ex propria conjectura indicat. Ad scripta sua, ut in lucem prodantur, perpoliendâ Capram hortatur.*

**C**AESAREM Rovidium nostrum, præstantis animi juvenem, coram Senatu Mediolanensi excellentis ingenii sui documentum, laborumque suorum specimen daturum; hoc est, disputationes duas, quas Aristoteli more conscripserat, per aliquot discipulos suos [propediem] habiturum, extremo fere Quintili mense mihi fuerat nuntiatum. Id animo meo tam gratum acciderat, ut nihil eo gratius esse posset; nihil enim non præclarum, eximiumque ab eo, quem nunquam doctrinæ studia intermittere sciebam, expectandum videbatur. Verumtamen,

(a) M. Maph. Cicereius scripsit epistolam hanc Francisci patris nomine, ubi, quæ lineæ includit, a Francisco sunt addita, sicut & caput illud: *Hæc ad se usque in finem.*

propterea quod adolescentium illorum, quorum opera in ejusmodi exercitatione uti cogitabat, alium aliud dilapsum esse, rumor erat; hoc ut ad rem conferri posset, nonnihil verebar. Meam porro suspicionem & illud deinde auxit, quod, cum nonnullis familiaribus suis Rovidius huc se venturum dixisset, ac constituisset, neque ad dictam diem, neque una, aut altera proxime insecutis ad nos venit. Adeo, ut ego cum illis simul, qui [una mecum] ejus adventum avidè expectabant, de eodem prope tunc desperaremus; cum ecce paucis post diebus apparuit, & omnes, quotquot disputaturi erant, præter opinionem nostram [ex disjunctis, atque inter se diversis locis collectos] huc secum adduxit; itaque quod voluerat, sibi que faciendum in animum induxerat, id plene, cumulateque perfecit. Priori die, nimirum Eidibus Sextil., prior quæstio proposita fuit, atque de Cœli materia in contrarias partes est disputatum, postridie altera, quæ de ejusdem forma erat, allata est; atque de illa, [ut etiam de priori] dictum copiosissime. Utramque attentis animis, quicumque aderant, exceperunt; tum quia res illæ, quæ in disceptationem veniebant, attentionem ipsæ per se promerabantur [ & facile tenebant auditores ]; tum quia [ & Doctoris ipsius, & ] adolescentium omnium, qui disputabant, actione cum dignitate, ac venustate conjuncta mirifice delectabantur; [ tum quia admirabantur omnes eorundem eloquentiam, non illam quidem ad fallendum instructam, sed ad investigandam veritatem comparatam ]. Fuit omnino Eidibus sextil. major auditorum numerus, quia festus erat dies, quàm qui proxime insecutus est, profesto; quo tamen die plures adfuerunt doctiores, ac intelligentes magis, quàm superiori. Utrique disputationi interfuit Moronus (1) Episcopus, Ludovicus Magentius; posteriori vero Galeatius Brugora, qui in priori desideratus est: quod cum advenere alii quoque clari viri, quibus pergratum fuit, atque jucundum, hunc admodum antiquum disputandi morem, quem, ut tu [quoque] optime nosti, Aristoteles ipse tenuerat, referri, ac, qui obsolevisset jam, renovari. Magentius, hæc sibi valde probari cum affirmavisset; me, quid sentirem, ut exponerem, rogavit. Ex iis, quæ respondi, meum sensum cum suo congruere intellexit; cur enim illa mihi quoque non probarentur? Unum quidem [ne dolo dicam] vehementer sum admiratus; quod, cum [Rovidius ab Octaviano Ferrario, summo illo magnarum artium magistro fuit institutus], eodemque auctore, & impulsore hanc rem aggressus fuerit, [ & perfecit ]; nullum umquam de eo verbum, nusquam ejus mentionem fecit. An vero id factum est, quia Rovidius parum sit memor, ac gratus? equidem de eo nil tale um-

quam crediderim, aut veritus fuerim, qui in omnes [de se benemeritos] gratissimo esse animo consuevit. Quidnam igitur causæ fuisse existima- verim? quod mihi in mentem venit, dicam. Rovidius, utpote qui Ferrarii sensum pulchre callet, novit eum quidem in primis cupidum esse ea faciendi, quibus vera laus debetur; sed, ut ob ea facta laude- tur, id omnium minime ab aliis expectare.

Hæc ad te potissimum; Capra humanissime, qui Rovidii gloriæ tantopere faves, scribere volui; nulla interim studiorum tuorum ratione habita. Scio enim te in isto Ticinensi ocio multis librorum millibus circumfusum, totos dies, quam longi sunt, sine ulla intermissione, li- terarum jucunditate perfrui; & vere beatum, contempta omni lucri cu- piditate, & ambitione prorsus selegata, quæ homine nobili, & doctrina liberaliter instituto, digna sunt, animo primum agitare, deinde scrip- tis tuis committere, quæ quidem monumenta tua, jam pridem a te in- stituta, ut perpolias; & quæ habes inchoata, quod aliquando appa- rere possint, ut perficias; Deum oro, ut te diutissime servet incolumem. Vale, decus non solum jurisconsultorum, verum etiam literato- rum omnium, & filium meum, quem tu dignum censuisti, qui tecum, & cum Rovidio in iisdem ædibus & habitaret, & in studiis viveret, addictum, deditum, obstrictum tibi perpetuo futurum etiam, atque etiam commendatum habet. Mediolano, xvii. Kal. Septembr. anno MDLXXXI.

(1) Nempe Horatius Moronus patria Mediolanensis, atque Episcopus Sutrinus electus 1580, ac mortuus 1604. (2) Patrum habuit Joannem Cardinalem Mo- ronum inter Scriptores Mediolanenses in *Bibliotheca* Argelati illustrem; avumque Magnum Hieronymum Moronum Senatorem, Mediolanensis Domini Moderato- rem, atque a Consiliis, ac Supremum Cancellarium Caroli V. Hujus epistolæ, & orationes tribus voluminibus in folio comprehensæ, quæ olim erant Marchio- nis D. Caroli de Sylva, habentur apud Principem Belgiojiosum, cujus in Archi- vo primum etiam harum volumen autographum servatur. Joannis Cardinalis nu- mifima est in Ambrosiana, aliudque ibidem M. Hieronymi Senatoris, cujus simile aliud apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultis. Denique ejusdem M. Hie- ronymi pulcherrima effigies habetur in Pinacotheca Illustr. Comitum Scottorum de Gallaratis.

Joannis Christophori Moroni Trivultensis libellus in Bibliotheca nostra servatur, Cod. 3, cui titulus *De Arte memorie*; scriptusque an. 1601. De hoc etiam Joanne Christophoro, ejusque opusculo verba fecit Argelatus.

(2) Ughell. *Italia sacra* tom. 1.

## E P I S T O L A V.

MARCUS MAPHÆUS CICEREIUS  
JOANNI MARIÆ ECCLESIAE (I) S. P. D.

*ARGUM. Excusat se, quod de Rovidii disputatione conscium non fecerit. Receptas literas elegantes, ac perofficiosas fuisse agnoscit.*

**N**ONNIHIL vereor, optime Ecclesia, ne me illiberalitatis, aut negligentiae tacite accuses: quod pridie, quam istinc discederem, cum ex sermone tuo intellexissem, te, quisnam paucis post diebus exitus disputationi, quam tunc Rovidius noster apparabat, hic contigisset, atque omnem fere rem, quo pacto habuisset, meis ex literis cognoscendi flagrare cupiditate; recepi me id facturum, neque tamen mox promissa perfeci. Si tamen ut mihi, quid causae fuerit, cur non fecerim, hic exponere visum est; ita tu cognoscere non gravaberis: spero, ac confido potius, te neutrum horum mihi crimen illaturum. Ego mehercule initio mihi ad te scribendum censebam, tum ut, quod tibi pollicitus fueram, id efficerem, tum ut gratiam, quam tanto te opere velle animadverteram, a te inirem. Sed posterioris hujusce disputationis eventum Rovidio videbam hic ex sententia processisse, non minus ac prioris istic ab eodem ineunte aetate habitae, qua Bartholomæum Capram, virum clarissimum, mirifice delectatum recordabar. Itaque si ad eum, cui non parum debeo, quae de hac ipsa disputatione tibi ex me innotescere cupiebam, perscripseram, eidem (ut est Rovidii existimationis studiosus, ac cupidus) jucundissimas fore literas meas existimavi; neque operam meam Rovidio ipsi ingratam duxi futuram. His adductus, consilio, quod primum intenderam, repudiato, ad Capram patris mei nomine scripsi, neque tamen ideo tuam te spem frustraturam opinatus sum; etenim, quae volebas ex iis, quas ad eum dedissem, literis, pro ea, quae tibi cum illo intercedit, familiaritate, atque necessitudine, nihilo secius, nisi fallor, cognovisti. Scripsissem tamen iis de rebus ad te postea, nisi molestiae ne plus, an voluptatis mea tibi epistola esset allatura, incertum fuisset, ac potius me laborem inanem capturum putassem; credibile namque, & verisimile mihi erat, prius, quam meae istuc perlatae literae fuissent, eadem te multorum

ex sermone cogniturum. Quare cave putes, id a me aut per imprudentiam omissum, aut, quia te non tanti faciam, quanti facere debeo, neglectum fuisse; quod si alterutram opinionem, quæ prorsus a me amota esse debet, jam concepisti, tuis factis dignum feceris, ut eam deponas, neque illud gravius feras, quod promissa non apparuerint. Sed quid tam multis tecum ago? an verear, ne non satis, superque purgatus sim tibi, cujus de humanitate, ac facilitate dici, ut dignum est, non potest? Venio ad tuas literas latine scriptas, quibus, ita me Deus amet, nihil elegantius, nec suavius in hoc genere umquam legi; romanum enim leporem illum ita redolent, ut cum antiquitate plane conferendæ videantur. Ecquid porro majori animum meum voluptate perfundere potuit, quam singularis tuæ erga me benevolentia declaratio; & memoriæ, quam mihi præstas, & cupiditatis tuæ optime de me ipso merendi non significatio, sed demonstratio? Verum enim vero sint illa quidem, ut certe sunt, verissima; nihil tamen commemoratione istac, mea quidem sententia, opus fuit apud me, qui cum aliàs te mei peramantem credidi, tum vero, postea quam consuetudine amor noster auctus est, sic in ea sententia sum confirmatus, ut nullus sit dubitationi relictus locus. Quæ enim ipse mihi de te pollicebar; ea tu benignitate tua superasti, ac majora etiam iis, quæ expectabam, præstitisti. Quamobrem tantum abest, ut tuæ in me voluntati diffidam; ut mihi ejusmodi non offerri occasionem, ubi vicissim animus meus, qui sit erga te, aperiatur, & aliqua par pari referre possim, feram ægerrime. Quod possum, ac debeo, certe pro viribus meis, quantumcumque sunt, id ut assequar, operam dabo. Neque enim in tui memoria diligenter colenda, in te ipso amando, atque observando, & apud quoscumque opus erit, excellenti doctrina, morum elegantia, jucundissima consuetudine tua prædicanda cuiquam concessero. Vale, & Bartholomæum Capram, Cæsaremque Rovidium; humanissimos, & eosdem doctissimos viros, nisi grave est, meis verbis salvere jube. Mediolano.

(1) Qui Mediolanensis, nec vulgari eruditione præditus, quem merito proinde inter Mediolanenses Scriptores connumerare potuissent Picinellus, & Argelatus. De præstanti ejus ingenio, atque doctrina luculentum habetur testimonium in epistolis ad eum Sigismundi Foliani, partim in priori, partim in secunda editione. In priori nunc Ecclesius, nunc vero Giesius idem appellatur; cur vero secundum hoc nomen ipsi attribuerit, rationem prodit in iisdem epistolis, veluti in x. lib. v. editionis posterioris. Confecit autem Ecclesius, præfatione adjuncta, indicem ad librum Octaviani Ferrarii *de Origine Roman.*, quem indicem in libro hoc videas primam editam Ticini 1589. In Cod. Belgiojofiano italica epistola ad eundem est Francisci Cicereii.

## EPISTOLA VI.

FRANCISCO CICEREIO PATRI OPTIMO S. P. D.

ARGUM. *Litteras ne receperit, scire avel. Pro emblemate sibi mittere do urget. De nonnullis certior fieri cupit.*

**B**INAS, ex quo istuc discessi, ad te literas dedi, priores a tabellario perferendas curavi, alteras ad Joann. Petrum Cantonium (1), qui habebat, cui recte darentur, Julius Cæsar Ruginellius (2) attulit. Utræque sint ne tibi redditæ, nec ne, scire aveo, tametsi de posterioribus magis laboro, quippe quæ nonnulla continebant ad me attinentia; quamquam, quod ad me attinebat, in præsentia omitto. At Octavianum Ferrarium quid de me durius suspicari nolim; mandaverat enim mihi (quod nunc iterandum esse video), ut ad te scriberem: se *Schediasmata* Henrici Stephani, quem quidem librum te habere audiverat aliàs, inspicere velle tantummodo. Hoc non paucis diebus ante, cum ad te scripserim, nihil adhuc literarum tuarum est ad me allatum: xereor, ne Ferrarius me mandatum neglexisse arbitretur; itaque a te etiam, atque etiam peto, ut quam primum de hoc verbum, quod tamen tuo commodo fiat, velim; conjicio enim, quantum vacui temporis a docendi munere, quo assidue districtus es, tibi relinquatur. De emblemate Rovidius urget, ut mittatur ante Kalend. Decembris; propediem enim ad pristinas exercitationes, quicumque in Academiam cooptati fuerunt, redire vult; quare, modo absolutum sit, si miseris, pergratum facies, sin longiori mora est opus, cur a quoquam hoc nomine meritò accuser, tamen non erit: habeo enim sodalis exemplum, qui hoc idem, quousque visum est, facere distulit; utrum tamen malim, vides. De libris, quando te admonitioni meæ nullum locum credo relinquere, nihil scribam. Quantum Capræ pecuniæ dederis, cupio cognoscere; ejusque mansio istic an diutina sit futura, si quid forte de ea tuas ad aureis pervenit, certior fieri. Vale. Ticino, v. Kalend. Decembr., anno MDLXXXI.

(1) Mediol. J. C., de quo Picinellus, Argelatus, & alii. Ejus epigramma \* in Morigiæ *Historiam* huic præmissum legitur; itemque carmina \* ad Petrum Cantonium in libro *Epistolarum*, & *Carminum* Philippi Piscienfis, Ticini 1622.

(2) Mediol. Jurisperitus, de quo Argelatus, & Picinellus.

## EPISTOLA VII.

EIDEM.

**ARGUM.** *De disputandi methodo, quæ in Ticinensi obtinebat Gymnasio, perscribit, quod Gymnasium detrimentum inquit non modicum ex Ferrarii discessu passurum.*

**P**OSTEAQUAM animadverti te velle, scribendi officium a me assiduitate literarum expleri, pollicitus sum, non commissurum, ut me accusare de epistolarum infrequentia posses, in quo, ut tibi obsequeretur, fidemque servarem, quotiescumque me scribendi deficiebat argumentum, sæpius obvia quæque arripere, illaque in epistolam conjicere necesse habui, quod & in præsentia mihi faciendum video; cum nihil sit, quod te scire aut mea, aut tua magnopere intersit. Adolescentes duo, Doctoris nostri discipulorum principes, VI. & V. Idus Junii de quæstionibus quibusdam disputavere, non Aristotelico illi quidem modo, ut proxime superiori anno tum hic, tum istic fecere; sed usitato more. Quod quidem de sententia Doctoris ipsius factum fuit; ut in superiores disputationes incurrentium iniquorum, & invidorum sermones, duo ex eodem illo numero delecti adolescentes refellerent, quos ad disputandum venisse meditados hoc tempore nemini suspectum foret: res enim multæ ac variæ, quæ contra nobilitum aliquot philosophorum opinionem erant, vocabantur in disceptationem, quarum quidem aliæ ad Aristotelis Analytica, aliæ ad Physica, aliæ denique ad ejusdem Ethica pertinebant; ad easque nonnullæ, facultatis Medicæ peculiæ, accedebant, atque de his omnibus non, ut antea, cum sodalibus ceteris, sed cum quocumque disseruerunt, quæ se ultro obtulerat ad disputandum. Quæ sane disputatio tamen cum, quem Doctor, discipulique optaverant, exitum habuit, tamen malevoli quidam, quin nescio, quæ in eos scripta, illis mehercule indigna, se ipsis dignissima proponerent, se minime potuerunt continere; quorum quidem auctores fuisse crediderim eosdem, qui prius, quam disputaretur, in adolescentes ipsos, qui theses tuendas susceperant, easque in celeberrimo loco proposuerant, Horatianum (a) illud: *moveat cornicula risum*

*Furtivis nudata coloribus....*

detorserunt, eorumque nominibus subjecerunt. Verumtamen illi hæc  
floci

(a) Horat. 1. epist. 3.

stocci faciunt, quibus neque Doctor ipse videtur commoveri, quominus eundem cursum tenere velit; quo mihi, ceterisque ejus disciplinæ alumnis nihil est jucundius, præsertim cum de nonnullis audiverim, Octavianum Ferrarium, cujus ex sermonibus fructum capimus uberem, relicto, quod hic sustinet, docendi munere, istuc remigrare, ut ad eum, quem prius tenebat, locum redeat; quod quidem si vere dicitur, jacturam, ut mea fert opinio, non mediocrem Ticinensæ Gymnasium faciet; eo magistro orbatum, qui non inquinata doctrina iuficit adolescentes, sed vere, Aristoteliceque philosophari docet: nos hoc damni, quidquid erit, tum commodis illius quibusdam fortasse solabimur; tum, levius ut feramus, Rovidius noster faciet, qui cum illius vestigia fuerit persecutus, in philosophia aut nihil, aut parum, ubi a Ferrario discessimus, cuiquam videtur concedere. Ceterum valemus, fortique animo hanc militiam toleramus. Vale, Ticino, XIII. Kal. Quint., anno MDLXXXII.

## EPISTOLA VIII.

JOANNI FRANCISCO PYRROGALLO AVUNCULO S. P. D.

*ARGUM. Gaudet de benevolentia in se, quin ad eum accedat, sibi integrum non esse affirmat.*

**E**TSI postea, quam per anniversarias hæc Ticinensæ Gymnasii ferias ad patrios lares mihi remigrare licuit, maximam ex parentum, cognatorum, affinium, ac familiarium incolumitate, quibus mensibus aliquot carui, voluptatem cepi: tamen, ubi ex matre te mei memoriam retinere cognovi, vix credas, quantum majori meus illico animus fuerit perfusus jucunditate; aut enim me toto pectore tuo decidisse, aut perparvam, vel potius minimam mei curam adhuc in te residere arbitrabar. Hominem namque locorum intervallo disjunctum, molestis, operosisque negotiis implicatum, gravem mei curam suscipere, vehementerque esse de me sollicitum, non modò mirabile, sed prodigiis simile mihi fuisset; quod tamen verum esse re ipsa reperi: quippe huc aliquoties (quod sane magnum est amoris in nos tui argumentum) relictis rebus omnibus accurristi, multaque, quotiescumque id fecisti, super me absente rogitare non es gravatus; atque id mihi ut innotesceret, non semel matrem orasti, ut iis literis, quæ ad me primo quoque tempore mittendæ erant, salutem mihi tuo nomine

*Vol. II.*

N n



curaret adscribendam. Ad hæc insuper te ei purgasti; quod nihil unquam, multis, magnisque negotiis districtus, ad me scripseris. Quæ quidem excusatione cur uteris, nihil sane causæ fuit, cum hujusce officii neglecti culpa (fac enim illud ab utroque nostrum coli debuisse) in me conferenda potius, quàm a te removenda fuisse videatur. Nam mihi a studiis meis tantum sæpe est otii, ut propinquos, inter quos principem locum ipse obtines, literis appellare liceat: te vero cum non est opus, avocari a tuo munere, quod istic summa tua cum laude sustines, humanitas, & diligentia, quam tibi commissis præstare soles, minime patitur; quamobrem te nobis satis superque purgatum esse scito. Quid, quod (ut ed. revocetur, unde declinavit oratio) perinde ac si nondum tuum erga me studium satis perspexerim; superioribus illis non contentus, eousque progressus es, ut jam semel, atque iterum me istuc per certos homines peramanter invitaris? & quoniam ego nondum hac in re tibi morem gessi; tu tamen in summis occupationibus, quibus hoc potissimum anni tempore te distineri conjicio, literas amoris, doctrinæque notis insignes confecisti, per quas me tandem ad te pelliceres. Quod quidem ut assequeris, nihil eorum, quæ meam tui istius ruris visendi cupiditatem incendere potuissent, videris prætermisisse; etenim multa tuæ villæ commoda, quæ enumerasti, æquis est, qui spernere, ac parvi putare velit? Quoniam autem (quæ tua est benignitas) me non res rusticas invisere tantum, sed etiam aliquot dies istic apud te vis commorari: a nobis, quamdiu una erimus, φιλολογίαν, & συζητήσιν (a) minime sejunctam fore, acute admodum addidisti; suspicor enim, tibi in mentem venisse, patrem meum, cujus me & dimittendi, & retinendi potestas est, non id quidem tibi petenti, omnique studio a me contententi denegaturum; sed gravatè fortassis veniam daturum, verentem, ne tua causa diutius, quam par sit, a studiis, quæ ne hic quidem desero, ferier, quod non modo illi, sed mihi quoque valde arrisit. Veni enim in spem, me, si hoc fiat, cum suavitatis, tum doctrinæ tuæ fructus uberes esse capturum; atque haud paullò abs te abiturum doctiorem, quam ad te accessero, quod unum tanti est, ut, si nihil aliud præterea, vel hoc maximè, ac præcipuè me ad tibi obsequendum invitet. Quamquam & alia me ita capiunt, ut vix me contineam, quin ad te advolem; neque enim tibi hoc concedo, ut tu mei congressus cupidior sis, quam ego tui, cujus mens, animusque, quod ait adeo Poeta ille eximius, amat *spatiis obstantia rumpere claustra* (b). Neque vero stat

(a) Eloquentiæ studium, & disquisitionem. Tullii locutio est *xvi. Familiar. 21.*

(b) Horat. *i. epist. 14.*

per parentes meos, quo minus ego hanc, quam tu tantopere vis, a te gratiam ineam. Cum enim mater tam optatam, tam insperatam occasionem tibi gratificandi, a te ipso mihi oblatam fuisse gavisa est: tum pater hoc mihi permisit, ubi epistolam tuam perlegit; qua nihil neque amantius, neque ornatius se umquam vidisse pronuntiavit. Verumtamen affirmanti credas velim, esse permulta, quæ id me facere prohibent; quæ quidem, cum me maxime urgeant, dum per studia mea licet, mihi procuranda sunt; nam patri meo in erudienda non parva puerorum, & adolescentium turba assidue occupato, & nunc demum ad venientis anni labores se accingenti, quantum otii detur, ipse, opinor, vel me tacente intelligis. Patruo verò in docendi munere eidem adjutori, quod vacui temporis relinquitur, id omne sibi rei domesticæ, ac familiaris procuratio vendicat; itaque nihil esse vides, cur sporem hæc, quæ adeo ad me attinent, in utrumque, aut in alterutrum eorum transferri posse, quò securus ad te excurram. Quare, avuncule mi, ignosce, si, quod ardentem cupis, id me exorare hoc tempore non potes. Ac noli dubitare, quin aliquando id a me facile sis impetraturus; si modò te istius loci salubritas, atque amœnitas ita cepit, ut in eo sedem stabilem, & domicilium certum tibi collocaris, aut certo non nisi multos post annos de migratione cogitandum sit. Interim beneficam voluntatem tuam libenter amplector, & quando par pari referre non possum in præsentia, immortalis tibi gratias habeo, atque ago. Parentes, patruus, & uxor vicissim tibi; uxoriq; una mecum salutem plurimam. Vale. Mediolani, ix. Kal. Septembr., anno MDLXXXII.

## EPISTOLA IX.

EIDEM.

ARGUM. *Libenter se ad eum profecturum si liceret, inquit, eundemque de studiis suis consulit.*

QUAM meo chirographo pater tibi non ita pridem misit epistolam, illius clausulam te perinvitum legisse, facile credo; memini enim, te anno proxime superiori, eodem ferme tempore, literis tuis (humanioribus dicam, an elegantioribus?) rejecisse, quam ego attuli, causam; cur minus istuc ad te (quemadmodum ipse volebas) advolare tunc, eandemque ex renovata nuper a te petitione, incredibilique tua mei videndi cupiditate, ineptam, falsamque tibi videri conjicio. Quapro-

N n ij

ter, cum tu neque veterem causam meam probes, neque novis, si quas denuo afferrem, quidpiam (opinor) relictum sit loci: cur ego amplius, aut in illa confirmanda, aut in aliis recensendis operam inane sumam? Fatebor ingenue potius id, quod neque alias, cum tibi rescripsi, sum inficiatus; multas, graveisque causas impellere me, ut tibi morem geram, tantumque mentis tuæ ardorem adventu meo sedem, atque restinguam; quod ut olim, cum primum id a patre petisti meo, facere paratus eram: ita neque nunc, cum illud ab eodem efflagites, ac exigas pene, ad exequendum mihi animus, & voluntas deest. Sed non tibi mirum, aut novum videbitur, hunc ad te excursum, minimeque diutinam illic mansionem mihi denegari; si aliquot annis antequam arcte cohibitus fuerim, cogitabis; si a domesticis laribus recedendi copiam mihi numquam fuisse repetes; si sodalitia, præter aliorum morem, prope interdicta fuisse, revocabis in memoriam: quod si nunc paullo liberius vivendi potestas datur, hoc fit tantisper, dum me domo abesse inchoata studia, & alibi, quam in patria, vivere cogunt; nam quod hic per anniversarias eorundem vacationes mihi carpitur ætatis, id non multum a pristina mea vivendi consuetudine differre existimato. Verumtamen neque olim admodum hæc mihi molesta fuerunt, & nunc fortiori animo tolerantur, vel quod æqui, bonique facio, quæcumque ad virtutem sunt; vel quod diuturna consuetudo callum jam illis obduxit, quod ideo commemorare volui, ut non meam me voluntatem, tibi obsequi gestientem, retinere intelligeres. Ac mehercule, nisi hoc pacto res sese haberet, neque hæc ad te scripsissem; neque a te peterem, quod mihi nequam neglectui est. Non enim, quando colloquio frui tuo mihi non licet, hisce literis committere verebor illud, quod præsens alioquin præsentem exposuissem, narraasemque. Ego, ut nosti, ad studium me applicavi Medicinæ, cujus quidem scientia cum ex obscuris veterum libris haurienda sit; qui illis lumen afferant, Doctorum operam desiderari, ac requiri, non ignoras. Hujusmodi sane viris cum Ticinense Gymnasium florere consueverit, quem illorum ego sequar potissimum, incertus sum; neque quid mihi tum matutinis, tum pomeridianis horis audiendum sit, adhuc satis constat. Hic tu mihi: cur non, inquires, ista de re eosdem, qui publice Ticini docere consueverunt, consulis; aut quid æquales tui eorundem studiorum æmuli sibi ipsis consilii capient, percunctaris, eorumque limite graderis? Audio; tibi que, ut melius dicas, accedo. Sed tamen horum utrumque, aut saltem alterutrum facere decrevi; nisi prius, quidnam tu de hoc sentias, exquisi-

vero, videar mihi peccasse non parum. Primum enim (ut pauca enumerem, quibus adductus te hujus rei participem facere debeo, ac volo), cum ego ex sorore tua natus sim, tu satis arcto propinquitatis vinculo conjunctus es mecum; deinde me a te diligi, non dubiis, sed certissimis signis sæpe cognovi, cum antea, tum maxime posteaquam cœpi Ticini commorari; postremo (quod caput est), tu ibidem iisdem studiis multum laboris, & operæ dedisti, neque, ex quo virtutis, & doctrinæ insignia es affectus, medendi artem exercere destitisti; adeo, ut te magnum in ea usum habere in animum inducam meum. Quæ cum ita sint, a quonam fidelius, amantiusque consilium expectem de studio, ad quod mentem adjunxi, quàm a te, qui & avunculus, & mei observantissimus, & eidem studio, cui jam inde ab adolescentia te devinxisti, nunc quoque adhæres? Quis igitur verioremi mihi locorum ignaro semitam ostendat, errantive comiter magis viam monstret, quàm tu, qui hæc regiones, quas ego nunc primum attigi, peragravisti, atque lustrasti? Itaque tuis ex literis cognoscere aveo, quam ipse, quamdiu Ticini medicinæ incubuisti, tamdiu illi studendi ratione usus sis; hoc est (ut apertius loquar), quos, ac quot in die, medicos dico, magistros audires; quæ tum mane, tum a prandio te docerent; quæ scriptis mandares inter audiendum, quæve memoriæ traderes; & id genus alia, quæ me non ignorare operæ pretium esse putaveris. Atque hæc omnia si ad me vernacula lingua perscribes, cum otii aliquantum nactus eris; ad meam erga te benevolentiam, a naturæ conjunctione profectam, tua in me propensa voluntate mirabiliter auctam, non minimus isto facto cumulus accesserit. Ego Ticinum, si quæris, propediem omnino ante III. Nonas Novemb. cogito. Neque eò nunc dico, ut ad rescribendi onus, quod tibi audacter, pro benignitate tua impono, festinatio adjungatur. Non enim postulo, te causa mea tuas res serias relinquere, aut illas tantulo meo commodo posthabere; verum, ubi molestum non erit, ubi tempus tibi erit, sat habeo, si tum mihi rescribes; nam si, ut te facturum video, post discessum meum respondebis ad hæc, nihilominus literæ tuæ ad me mittentur a patre, qui, eas cum suis conjungens, Ticinum curabit perferendas. Habes epistolam longiorem fortasse, quàm tua negotia patiantur, quàm mea certe cupiditas tecum colloquendi velit, brevior: de qua si familiares tuos, atque adeo omnes celaveris, pergratum erit. Vale, uxori que salutem meis verbis plurimam. Mediolani, VI. Kal. Novembr., anno MDLXXXIII.

## EPISTOLA X. (a)

JO. CONSTANTIIUS MELLERIUS . . . . S. P. D.

*ARGUM. Pro quodam honoris gradu sibi conferendo.*

CUM de multis audiverim, maxime reverende Pater, bonitatem, ac justitiam tuam in omnibus quidem factis tuis apparere; sed præcipue tamen in distribuendis dignitatum muneribus elucere, hoc mihi fumpsi, ut auderem tibi significare, propediem fortassis fore, ut vacet Baccalareatus, & Magisterium Academiæ hujus nostræ Mediolanensis, in Euforgiano Cœnobio constitutæ. Duo igitur hujus Congregationis Fratres Alexandrini, quorum alteri nomen est Jo. Baptistæ, alteri M. Antonio, ad eum honoris gradum adspirant, & promoveri contendunt; ego verò multò antea, quam horum uterque & Sacris initiatus, & professus, neque de eruditione, atque doctrinâ quidquam illis concedens; te etiam, atque etiam pro justitia, atque æquitate tua rogatum velim, ne patiare, mecum ea in re iniquius agi. Ut autem comperta tibi sint, quæcumque scribo, me singulare quoddam beneficium a te accepisse existimabo; si mihi Generalem Provinciæ, Vicarium nostrum, utpote bonum virum, & Priorem Divæ Mariæ Gratiarum (1), nec non ejusdem Conventus Lectorem majorem, Fr. Sebastianum Junoliensem (2), tui amantissimum omnis competitor. . . . ordinationis professionis, & doctrinæ examinatores, cognitores, & judices æquissimos assignare non gravaberis; idque ut æquitatis lumen æque splendeat omnibus, neque cuiquam in virtutis præmiis distribuendis fiat injuria. Licet verò non negaverim, eos Patres, quos modo nominavi, hisce honoris insignibus dignos esse; ego tamen vicissim illud affirmare possum, nihil mihi alieni assumens, aut arrogans, me quoque eodem honore non indignum esse: quin imo spero te, Pater optime, adeoque reverende, hoc ipsum, de quo contenditur, mihi, quandoquidem æquum bonumque visum tibi pro sapientia tua fuerit, daturum esse. Interim Deum Opt. Max. precabor, ut votis tuis diutissime faveat. Literas a te scriptas de eo, quod tota de re sentias, fierique velis, ad me dari, si per clementiam tuam licet, percipio. Mediolani, iv. Kal. Januariæ, anno MDLXXXVII.

(a) Constantii Mellerii Monachi Euforgiani Epistola ipsius rogatu e vernaculo in latinum sermonem a M. Maphæo conversâ, nunc a Francisco Cicereio patre correctâ. Hæc in Codice.

(1) Fr. Paulus is erat e Monte Regali, ex nobilissima Castruccio, quæ jam perijt, familia ortus anno circiter 1551, Ordinem Prædicator. ingressus, *Filietatem*, ut inquit, in Conventu S. M. Gratiarum Mediolani obtinuit; Monumenta conscripsit Magistrorum Generalium sui Ordinis a S. Dominico usque ad Vincetium Bandellum ex Castro novo electum 1501, mortuumque 1506. Duo sunt volumina in magna folii forma, servanturque in Conventu Ordinis ejusdem Bononiæ. Ætate adhuc vigens ad plures abiit Castruccio anno 1601. Quæ mihi omnia de Paulo Castruccio, cujus nomen alioquin deest in *Bibliotheca* sui Ordinis, ex Conventu S. M. Gratiarum Archivo deprompta humanissime communicavit P. Allegrandia.

(2) Tapparellus cognomine ex Comitibus Junolii, filiusque erat Conventus S. M. Gratiarum, uti ex hujusce Archivi monumentis liquet; quemadmodum idem me docuit P. Allegrandia.

Atque hic finem operi imponere constitueram, cum ecce is ipse Cl. Vir Inscriptiones aliquot perhumaniter scribens ad me misit. Porro insigni hoc munere eruditos viros fraudare nolim. En itaque Epistolam, & Inscriptiones.

## POMPEIO CASATI ABBATI CISTERCIENSI

ET DIPLOMATICES PROFESSORI

IN IMPERIALI MONASTERIO S. AMBROSII MEDIOLANI

JOSEPH ALLEGRANTIA S. P. D.

**T**OT inter, easque gravissimas curas, quibus Cicereium illustras, mitto ad recreandam mentem tuam festivas quasdam Inscriptiones, quæ nuper mihi occurrerunt. Priores octo ineditæ leguntur in stylobatis marmoreis semicolumnarum pilis, seu artis conjunctarum veteris cujusdam porticus, quæ usui est officinæ seplasiaræ Venerab. Loci Pii S. Coronæ. Supra porticum ædes elegantioris faciei, & ante porticum hortus herbarius. Hunc sibi ad delictum, amicisque paraverat Hieronymus Arabus, seu Rabbia, labente sæculo xv. Per magnam item portam clathris ferreis munitam spectabilis erat omnibus, qui illac pertransirent, cum ibidem via pateret, quæ post annum 1576 occupata fuit ab excellenti ædificio laxioris Ecclesiæ Parochialis, titulo S. Sebastiani Martyris. Hortus autem septo olim, ut apparet, marmoreo interclusus tres alias habuit Inscriptiones, & fortasse ex symmetria stylobatarum in pilis ejusdem septi positas, quæ adhuc existant in angulo domus sitæ e regione theatri Scalensis, qua itur ad S. Joannis. Harum duas, nempe nonam, & decimam, minus accuratè protulit Servilianus Latuada (a), ingenue professus, nescire se earum significationem, inania ad divinandum proferens. Tertia nocturnis facibus adeo sædata est, & erosa ab

(a) *Descrizione di Milano* tom. 5. pag. 230.

axibus currum prætereuntium, ut vix aliquod verbum legi possit. Subdubito quidem alias in prædicto septo extitisse; verum nescio an hic hortus patefceret adhuc tempore Cicereii, a quo potuerint memorari. Bartholomæus Taegius in libro *la Villa*, edito Mediolani 1559. 4. inter viridaria hujus urbis, quæ notat pag. 105, unum dicit amœnissimum Dominici Saulii, quem in hac domo habitasse testantur acta Beati Alexandri ejus Filii Episcopi Ticinensis, sed multitudini tunc fuisse impervium puto; imo ita paucis concessum, ut piissimus pater christianæ educandæ prolis studio incensus vix quemquam alium præter suos in hortum admitteret. Quamobrem Taegius hæc Inscriptiones minime indicavit. Præterea stylus earundem impurius stylo Cicereii, qui neque probasset antiquam, quam affectant, orthographiam. His ergo, si non operi tuo quoquo modo inferviant, utere, ut primum dixi ad animi relaxationem. Adnotationes porro aliquas adposui, ne primo statim obrutu novas siglas fastidias; alias adjecit calamus properando. Tandem habes, quam intexui, hujus familiæ Rabbia genealogiam. Accipe libenter hoc munusculum, meque plurimum amare perge. Vale, & amico nostro suavissimo, quem operis tui assiduum adjutorem habes, Josephio Vaylate de Carcanis S. P. ex me dicito, iterumque vale.

E Monasterio Dominicanorum S. Eustorgii Kalend. Septembr. MDGCLXXXII.

## I.

DEO MAX.  
CHRISTIAN. RELIGIONIS  
HAUD IMMÉMOR  
HIERONY. ARABVS (1)  
DEIPARAE VIRGINI  
SEPTEMQVE DORMIEN. (2)  
NUMINI SACELLVM  
HOCCE DICAVIT

(1) Hieronymus Arabus, vulgo *Rabbia*, linguæ latinæ cultor eruitur ex epigrammate Lancini Curtii lib. x. pag. 145 eidem inscripto, in quo disputatio est de etymologia nominis *pedagogi*. Fuisse autem ejusdem Poetæ amicum probant alia duo epigrammata, quibus cum eo Dorotheæ amante ludit Curtius lib. 13. pag. 33, & 37.

(2) Numini *septem SS. Dormientium* ad imitationem antiquorum dicebant, qui *numen Jovis, numen Palladis, numen Divum, pro voluntate, vi, potentia, & dignitate* eorum, atque etiam honoris causa.

## II.

## II.

SALVTI. (1)

VIATOR BONE QVISQVIS ES  
VALETO.HIERONYMO ARABIAE QVP  
TAM ELEGANTER HAS AEDES  
CONDIDITLONGAEVAM FELICITATEM  
EXORATO:AEDIBVS AEREM PVRVM  
IMPLEORATO.

CLARICIO AELIOQVE SVIS (2)

TIBIQVE ET POSTERIS

PERENNEM IVCVNDITATEM

PIE OBSECRATO.

(1) Hujus signum, sicut & cetera, quae sequuntur, Ichyphalli, Aeternitatis, Temporis, Genii, Voluptatis, Laris, Dædali, Veneris, & Pomoni horumque fortasse exornabant.

(2) De Claricio, Aelioque Hieronymi filiis nihil inveni, fortasse mortuis in ætate puerili.

## III.

ITHIPHALLO. (1)

CVSTODEM BREVIS HORTVLI

PVELLAE

HYMANI GENERIS PATREM

TIMETE

CAECIOR LICET ILLI SIT

CYCLOPE

NON FVRABITVR VELA NON

PRAHENS. (2)

(1) Priapus Deus custos hortorum.

(2) Ulla puella non furabitur flores, aut hujusmodi in hoc vitidario, quin a Deo custode non sit prehensa. Aliter ulla non prehensa Ithyphallus non furabitur. Furari verbum hoc modo ambigunt; Priapejum.



## IV.

AETERN. SACR. (1)  
 HOSPES HAEC LVBENS  
 LEGITO.  
 GRATI GRATOS VOL. ING. (2)  
 D. D. P. (3)  
 QVORSVM? VT OPTVMA  
 OPT. (4) OMINERIS  
 HIERONY. (5) ARABIAI QVI  
 SIBI ET PATRIAE  
 SPLEND. (6)  
 H. AED. F. I. (7)

- (1) *Etternitati sacrum.*  
 (2) *Volentes ingredi in viridarium.*  
 (3) *Donamus deambulandi potestate.*  
 (4) *Optime Omineris.*  
 (5) *Hieronymo.*  
 (6) *Splendore.*  
 (7) *Haec ades fieri iussit.*

## V.

XPONΩ  
 IEPΩNYMOS APABOS  
 MEΔIOΛANIOΣ  
 Ο ΑΛΟΥΣΙΟΥ, ΕΙΚΑΙ  
 ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΥΠΟ ΟΥΡΑΝΩ  
 ΩΚΟΔΟΜΗΜΕΝΑ, ΑΣΤΗ  
 ΙΕΡΑ ΜΕΛΛΟΡΑ ΣΟΦΩΝ  
 ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ ΧΡΟΝΩ  
 ΕΙΚΕΙΝ ΟΥΚ ΑΡΝΟΩΝ  
 ΟΜΩΣ ΙΝΑ ΤΟΥΝΟΜΑ  
 ΕΙΣ ΜΑΚΡΟΤΕΡΟΝ  
 ΠΡΟΤΕΙΝΟΙΤΟ ΑΙΩΝΑ  
 ΑΝΕΘΗΚΕ

## TEMPORI:

HIERONYMVS ARABVS  
 MEDIOLANENSIS  
 ALVISII (FILIVS) QVAMVIS  
 OMNIA SVB COELO  
 CONSTRUCTA VRBES

TEMPLA DOMOS SAPIENTVM  
 OPERA TEMPORI  
 CEDERE NON IGNORAVERT  
 TAMEN VT NOMEN (SVVM)  
 IN LONGIVS  
 PROTENDERETVR AEVVM  
 POSVIT.

(1) Hieronymi Pater *spectabilis Dominus Aloysius*, vel *Aluifus de Rabis*  
*fil. quond. D. Jacobi civis, & mercator Mediolani* habetur in Regellis genealogicis  
 Bibliothecae Princip. Belgiofolii ex instrumentis Lazari de Cayrate 3 Septembris  
 1484. Antonii de Brago 4 Aprilis 1487, & Luchini de Aplanis 23 Julii 1488.

## VI.

GENIO VOLVPT. (1)  
 HEIC QVICVNQVE SEV  
 PRAESENTES SEV POSTER. (2)

PRAES. MALO (3) LIBERE

LIBERO (4) INDVLG. (5)

AMANTES ESTOTE CHOR. (6)

EXERC. (7)

CVRAS AVERVNCATE

VITAM NON FRAVD. (8)

D. F. V. (9)

- (1) *Voluptatis*. Haec Inscriptio sapit Epicurum maximum voluptatis patronum.  
 (2) Posteris.  
 (3) Praesenti malo, sive in praesentibus vitae calamitatibus.  
 (4) Libero seu Baccho.  
 (5) Indulgete.  
 (6) Chores.  
 (7) Exercete.  
 (8) Fraudate solatiis.  
 (9) Dies festos vivite.

## VII

LARIS

TUTELAE PERENNI

AEDES

VESTIBVLA ATRIA

PORTICVS

PERISTYLLA H. AR. ALVL


F. ANIMAI KARISS.

FR. IAC. CONSCIVS POS

TERIT. QVE



MEMOR

V. S. L. M. (1)



(1) Hieronymi Arabi Alvisii filii animam, sibi carissimam appellat frater suus Jacobus, ejusque voluntatis conscientius ædificium absolvit, Lari domestico ad conservandum dedicavit, posterisque memoriam fecit hoc lapide, posteritatisque memororum solvit libens merito. Jacobus frater Hieronymi, filius Aloysii legitur in eisdem Regestis ex instrumento a Boniforto Gyra, recepto 13 Aprilis 1497; sed ab hoc anno Jacobum ultra biennium non vixisse probant ibidem instrumenta duo, unum Francisci de Sudatis 13 Junii 1499, alterum Joann. Hieronymi Candiani 9 Aprilis 1500, in quibus legitur *Nobilis vir Aloysius de Rabbis fil. quondam D. Jacobi*. Ex hac ergo Inscriptione apparet Hieronymum Jacobo præmortuum satis omnino cessisse ante annum 1499, eandemque Inscriptionem fuisse a Jacobo positam ante annum eundem. Quare Hieronymus ille, qui titulo *magnifici* decoratur, diciturque *spettabilis quondam Aloysii filius*, in binis Instrumentis ab Hieronymo Corio confectis die 7 Augusti, & 5 Octobris anno 1514, adservatisque in hoc publico urbis Tabulario, alter ab Hieronymo nostro dicendus, filiusque postremi *nob. viri Aloysii*. Atque hi omnes Rabbæ, alij ab iis, qui in hac urbe ad S. Fidelis debebant in Porta Ticinensi, Paræcia S. Sebastiani, nempe in ea domo, ubi nunc quoque exstat portus, domusque cum porticu, & primis hisce octo Inscriptionibus.

In perantiquo Codice Biblioth. Belgioj. Jacobus  
hoc insignie coloratum de Rabbis.



## VIII.

DAED. (1) PHAR. (2)  
C. (3) GOBBIVS INSVBER  
STA. (4) ARCH. (5) HIE. ARAB. (6)  
AED. EXAC. FORT. (7)  
PHERE. (8) POLI  
OR. (9) IT.  
VT T. S. (10)

(1) *Dædalo Phario*, cujus ædificia, & simulacra Ægyptus admirabatur, teste Diodoro Siculo *Hist.* lib. 2. ad finem.

(2) *Christophorus Gobbius* de Solario, loci Pleb. Sevifi in territorio Mediol.

(3) Ex libris *Ordinat. V. Fabricæ Eccl. Metropolit. Mediol.* Gobbius anno 1498 Duci Ludovico Mariæ Sfortiæ inscribat, nondum Fabricæ ejusdem Ecclesiæ adscriptus, cui nomen, & operam dedit sculptoris anno 1501, architecti 1506, sed etiam statuarii, cujus aliqua ibidem signa adhuc supersunt, ejusque in hac arte laudes cecinit Lancinus Curtius *Epigram.* lib. x1. fol. 14, & lib. xv. fol. 60.

(4) *Statuarius.*

(5) *Architectus.*

(6) *Hieronymi Arabi.*

(7) *Ædes exactas forrister.*

(8) *Pherecles Poli* novus *Pherecles*, idest magnus urbis architectus, de quo Pagnanus agit in decretis anni 1518, *super flumine Abduæ reddendo navigabili*, editionis Mediol. 1520.

(9) *Ornavit ita.*

(10) *Ut tempori supersint, serviant vel tibi satisfaciant.*

Sequentes duæ Inscriptiones, non respondent cæteris, aliaque manu videntur factæ post obitum Hieronymi.

## IX.

VENERI ET

CHARIT. (1)

COELVM TERRA MARE ET

DEVVM REMOTA

MENS (2) VOSTRO COLITVR

FAVENTE DVCTV.

NOSTRIS ERGO DEAE (3)

FAVETE VOTIS

HIE. ARAB. ALVIS. F.

V. D. (4)

(1) *Charitibus*, seu *Gratiis Aglaia, Thalia, Euphrosina.*

(2) *Mens deorum* idem est ut supra *numen divum a nobis dispositorum.*

(3) *Venus & Charites.*

(4) *Vivus dedicavit,*

X.  
 POMONAE  
 SAC.  
 H. ARAB. POMARIA  
 ISTHAEC AMOENA  
 HESPERIDVM  
 DONA BEATA (1) SIBI  
 HOSPITIBVSQVE  
 FORE DELITIAS  
 NUMINI PO. (2)  
 V. C. (3)

(1) *Hesperidum dona beata*, nempe mala amoenissimorum hortorum, quos in Africa possedisse dicebantur *Ægle*, *Arethusa*, *Hesperethusa*.

(2) Vertumno Pomonæ viro, vel absolute *Numini Pomonæ*, qua ait Ovid. *Metam.* 14. *nulla latinarum inter Hamadryadas coluit solertius hortos*.

(3) *Vivens consecravit*.

## A D D E N D A.

**A**D Voluminis primi pag. xxij. lin. 10. = Augustinus Bonacina diuturno tempore, viginti nimirum, & amplius annis Oratoriz facultatis munus sustinuit in Palatinis Scholis. Quod ipsemet asserit in Precibus ad Senatum Mediolanensem, quibus eum deprecatur, ut retardatum sibi honorarium pendi jubeant, quas Preces una cum aliis ejusdem MSS. possidemus, Codice Miscell. 260. Grammaticæ latinæ fuit auctor typis publicis excusæ, quam vix innuit Argelatus, impressam quidem non dicens. Porro enim in eo Codice Preces exstant MSS. Ludi Magistrorum mediolanensium ad Senatum, quibus obsecrant, ut eam tantum Bonacinz Grammaticam usurpari sinant, quod melior pars Magistrorum jam approbarit. In iisdem vero Precibus, quæ tempore Philippi II. Hispaniarum Regis, ac Mediolani Ducis conscriptæ fuere, tunc in lucem edita dicitur Grammatica hæc, quam ita confecisse Bonacina asseritur, ut in hac Donati, & Bossii præcepta emendaverit, auxeritque, atque ad puram loquendi rationem revocaverit. In eodem Codice epistola dedicata continetur illius Grammaticæ, Bonacinz ipsius nomine, ad Joannem Salazarium (a) Didaci Supremi Cancellarii filium, Kalend. Novemb. 1593. Ejusdem Bonacinz Oratio in funere Joannis Petri Marchesonii Mediolani typis impressa est in 4.<sup>o</sup> 1594, ac in Ambrosiana habetur, cujus pariter Orationis impressæ cognitio Argelatum fugit.

Ad pag. xxix. lin. 8. **PETRUS VICTORIUS**, *Epistolæ, & Orationes*, Florentiæ per Junctas pag. 198. *Epistola ad Franciscum Cicereium*, pridie Nonas Novemb. 1578.

*Non enim ego meritò laudo in hominibus claris ingenium, & scientiam bonarum artium, magis tamen probo, & admiror humanitatem, ac morum probitatem, illos vero, in quibus cum vitæ honestate doctrina eximia conjuncta est, & honoro, & colo, quod in te factum esse videor mihi indicia hujus rei non obscura secutus perspexisse, ac plane agnosco.*

Ad pag. xxx. lin. 1. **THEOPHILUS CARENTIUS**. *Aristæneti Epistolæ duæ, &c. Epistola nuncupatoria ad Amplissimum Mediolani Senatum*, Mediolani 1585.

*Has duas primas Aristæneti epistolas numquam antea, quod non verim, a quoquam, a me vero nunc primum latinas factas quasi fructum, ac specimen ingenii mei Vobis offero, cæteras etiam brevi editurus, quas quidem epistolas etiam viris in hoc genere exercitatissimis, quorum judicium, si cui in dubium venit, ob eorundem vitæ integritatem*

(a) Qui dein Magistratus Præfes fuit anno 1619. Vide Benalium *Relaz. del Magistr.* pag. 32.

tem, de illius potius iudicio dubitandum vereor, CICEREIO, inquam, & Marchesonio legendas, & cum græco exemplari conferendas dedi, ut quemadmodum ex ungue leo cognoscitur, sic ex iis, quales futuræ sint reliquæ, facile iudicare possint.

ANONYMUS, MS. Oratio in Cod. Bibliothecæ nostræ 260, de Reditu Joannis Ferdinandi Velaszi Ferice Ducis, Castellæ Comestabilis ad Gubernacula. Mediolani 1611.

Hinc micare cœperunt illa veluti novæ quædam sydera, & Musarum clarissima lumina Manutii, Majoragii, Cari, Amalthæi, Augustiniani, Victorii, Sigonii, Piccolominei, Sirleti, Ursinii, Venerii, CICEREII, Marchesonii.

Elogium aliud Cicereii suppeditat epistola Nicolai Sturmii, in eodem Codice contenta, quam hic integram exhibere operæ pretium est.

### NICOLAUS STURMIUS (a)

CAMILLO TROTTO SENATORI PRÆSTANTISSIMO (b) S. P. D.

**E**TSI nunquam adhuc usuevit, Trotte ornatissime, ut mihi ulla daretur facultas necessitudinis tecum instituendæ; tamen has ad te scribere, & ex summa tua humanitate spem bonam concipere, non dubitavi. Sic enim statuo, & sic animum induco, omnium, qui politorum litterarum studiis delectantur, commune esse quoddam quasi vinculum amicitiae, ut animi inter se, atque disciplinarum. Itaque, cum omnium, qui te norunt, sed potissimum Ludovici Milani familiaris mei sermonibus cognovissem, in disciplinis elegantioribus ita te versatum esse, ut excellas, facile mihi persuasi, quicumque in iisdem artibus progressum aliquem fecisset, illi tuum suffragium, & auxilium, se quando honesta res & occasio postularer, minime desuturum. Ego, quantum in illis profecerim, aliis iudicandum relinquo: illud vero affirmare possum in iis me prope omnem ætatem contrivisse; & cum alii ad poëticam, alii ad dicendi artem labores & studia sua conferant, sic in utroque elaborasse, ut non omnino oleum & operam perdidisse videar. Cum igitur contigisset

(a) Sturmium inter elegantissimos, & doctissimos viros enumerat Sigismundus Foliarius epist. 4. lib. 4. Editionis Venetæ pag. 144; ad eundem epigrammata duo sunt Joannis Francisci Apostoli a Monte Magno Succis. Hor., Sylvarum, pag. 59, & 112. Papiæ 1589, itemque epistola italica ad eum legitur Francisci Cicereii in Codice Belgiojohano.

(b) Camilli Trotti nomen legitur in monumento, quod ipse posuit in Templo S. Marci Joanni Aloysio patri suo, attulitque Argelatus (in Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium p. 1134) & Sironus (de J. PP. Coll. pag. 134.). Nonnullas epistolas ad eum scripsit Sigismundus Foliarius, laudatque inter Academiæ Taegianæ Instauratores, ac Præsides, deditque epistolas alias ad Joannem Baptistam, & Joannem Aloysium ejus filios. Epistola item legitur ad Camillum Trottum Senatorem Ericii Puteani, & in ejus obitu epigramma Bernardini Baldini in Carminum Appendice.

tigisset FRANCISCO CICEREIO, ut peracta cum plausu, & laude hujus vitæ fabula e scena discederet, aliquot amici mei (quos etiam tui studiosissimos, tibi que caros esse existimo) statim per litteras adhortati sunt me, ut quasi lampada cursu ab illo mihi traditam acciperem: multorum in me animos esse, & oculos; eamque mihi provinciam, tacita doctorum cogitatione, destinari. Ego vero aliquandiu reluctatus, quod meis viribus semper soleam, nescio quò pacto, diffidere; & semper verear, ne quid oneris suscipiam, in quo sustinendo, & perseverando non faciam satis hominum expectationi, vix tandem adduci potui, ut amicorum consiliis, & hortationibus obtemperarem. Plura enim illi, & majora de ingenio meo, & doctrina sibi polliceri videbantur, quam ego præstare possem. Tandem tamen illis morem gestum oportuit: nisi mallet inuri mihi præfracti animi, & contumacis maculam turpissimam. Nunc igitur, Trotte humanissime, quid agatur, vides; & quid ex tua benignitate speremus. Prensare coactus a viris optimis, usdemque doctissimis appello, & tuam opem, ac suffragium imploro. Quantum mihi tua auctoritate, & gratia prodesse possis, plane intelligo. In te Horatianum illud videtur convenire: (a)

Cuilibet hic fascēs dabit, eripietque curule

Cui volet opportunus, ebur.

Atque hoc ita contendo, si tibi, ut facias, fides tua, & rei æquitas persuaserit, idest si muneri videbor idoneus; neque enim adeo sum ambitiosus, ut cupiam quod aliis potius deberi putem, neque ita addictus meis commodis, ut non illis multis partibus publicam utilitatem anteponam. Unum si addidero, desinam, paratum me æque & ad suscipiendam provinciam, & si indignus videbor, doctiori, & aptiori permittendam. Prius illud honoris aliquid videtur allaturum. Utrumlibet acciderit, habebis me semper tui studiosissimum, & nominis, ac dignitatis acerrimum propugnatorem. Vale, Dertonæ, pridie Kalendas Majas (b).

Ad pag. 58. lin. 28. Alciati autographa Scriptura Juridica alia cum ejusdem sigillo extat in Archivo Belgiojofiano. Legatio est pro Sigismundo Estense contra Lucretiam de Corrigia, aliaque legatio pro eadem causa autographa ibi est Ludovici Cattii.

(a) Lib. 1. Epistol.

(b) Joannes Ludovicus Milanus, de quo in hac epistola, Dertonensis fuit, vir exquisiti iudicii, & præstantis doctrinæ, cujus perrarum librum possidet D. Catulus ex Marchionibus Trivultis; eique titulus: *Historia della Vita di S. Marziano, e di S. Innocenzo Vestito di Tortona, ed altre cose particolari di essa Città. Tortona 1599 in 4. per Bartolommeo Bosla.*



Ad pag. 61. lin. 16. Constantinus Lascaris Mediolani græcas litteras professus est (a), Græca ejus Grammatica manuscripta cum pluribus insignibus Sfortianæ Familiæ, quam possidebat Galeatius M. Sfortia (b), habetur apud D. Carolum ex Marchionibus Trivultiis.

Ad pag. 93. lin. 20. Aldi pulcherrima effigies est apud eundem D. Carolum.

Ad pag. 103. lin. 4. Mediolani natum fuisse Natalem Comitem noverat Marcus Foscarinus (c), ex quodam ipsius testimonio olim sibi perlecto, quod tamen scribenti ipsi tunc non succurrerat. Natalis testimonium sic habet: *neque illud dico, quod inde (Mediolano) sim parvulus infans Venetias per bellorum metum deportatus, cum majores nostri sint Roma oriundi, atque ego natus sim Mediolani, sed quia res &c.* Hæc verba sic leguntur in editione Veneta 1572 in 4. part. I. fol. 245; nam si aliam anni 1581 in fol. perlegas, hujusmodi est verborum variatio, ut natum se Mediolani inibi non dicat; istique editioni posteriori convenit etiam italica versio per Joannem Carolum Saraceni, Venetiis 1589 in 4. Porro asserit laudato loco Foscarinus Natalem Comitem in Athenæo repositum Mediolanensium apud Picinellum; licet vero cum jure potuerit inter Scriptores nostros recensere, nusquam tamen Natalis Comitis ibi nomen legere est.

Ad pag. 125. lin. 12. Andream Saxium ea ætate poësi deditum fuisse apud Quadrium lego, *Storia, e ragione d' ogni Poesia*, Vol. 2. fol. 370.

Ad Vol. 2. pag. 29. lin. 13. Senensis Civis litteratura præstantis tumulus est in Templo S. Bernardini Monialium, hac addita epigraphæ:

(a) V. Tiraboschium *Letterat. Ital.* Tom. 6. Parte II. pag. 132., & Saxium *Histor. Typograph.* Mediol. pag. 176.

(b) Galeatio M. Sfortia Mediolani Duce græca Typographia Mediolani initium habuit, primumque opus græce exculum fuit Grammatica Constantini Lascaris in 4. per Dionysium Paravicinum 1476. V. Saxium *de Studiis Mediolanensibus* cap. 9., & *Historia Typographica Litteraria Mediolanensis* pag. clxxv.

(c) *Letterat. Venez.* pag. 284.

D. O. M.

QVISQVIS ES SI PIVS ES PIIS NE  
 PARCITO LACRIMIS  
 ANT. VIGNALIVS ARSICIVS  
 INTRON. CIVIS SENEN. HIC SITVS  
 EST.

VIR MIRO ACRIQ. INGENIO,  
 LITERIS PICTVRAE PLASTICAE  
 SCVLPTVRAE APPRIME  
 DEDITVS

SALIB. IOCIS AMICISQ. MIRE  
 PROPENSVS  
 VIX. ANN. LXI. OB. IIII NON APRI  
 MDLIX.

MAVRITIVS APETRA COMES  
 SENAT. AC VIGLENI EP̄S. AMICO  
 CARISS. VT IPSE IVSSERAT,  
 M. ANT. PICCOLOMINEO CONCIVE  
 ET AMICO CONIVNCTISS. P<sup>TE</sup>. C  
 .P.

DISCRIMEN OBSCVRVM VTRVM  
 HIC MORIENDO AN ILLE  
 VIVENDO TRISTIOR

Vignalii hujus extat Comœdia *la Floria*, Florentiæ apud Junctas 1560. 1567, eumque laudat Fontaninus (a). A secretis, vel ab epistolis is fuit Cardinalis Christophori Madruccii (b) Moderatoris Mediolani, ubi obiit dicto anno 1549 (c).

Piccolomineus, quem in eadem Inscriptione legis, unus ex primis fuit Conditoribus Academiæ Intronatorum Senensis, dictus *il Sodo*, auctorque cujusdam Proverbiarii, quem memorat Apóstolus Zenus in annotationibus ad Fontanini *Bibliothecam* (d).

De Mauritio a Petra Episcopo tumuli conditore legantur Sacchetti, *Vigevano Illustrato*, & Ughellius, *Italia Sacra*.

Ad pag. 41. lin. 12. Nonnulli Mediolanenses Astensis Episcopatus dignitate perfuncti sunt, quos inter celebris Franciscus Panigarola. In Bibliothecæ nostræ Cod. 260 manuscriptum *Exemplum* extat *Orationis*

(a) *Bibliob. dell'Eloquenza Italiana, Drammatica*, p. 369.

(b) Cardinalis Madruccii epistolæ plures italicæ autographæ ad Sigismundum Estensem cum hujusce responcionibus sunt in Archivo Belgiojofiano.

(c) Apóstolus Zenus in annotationibus ad dictum Fontanini librum pag. eadem 369.

(d) *Dell'Eloquenza Ital., Grammatica*, pag. 76.

*habendæ in obitu alicujus viri gravis, & maxime Francisci Panigarolæ Episcopi, cujus proinde honorifica gesta ibi commemorantur.*

Ad pag. 102. lin. 24. Novariensis Episcopi monetam argenteam possidet Cl. Vir, Secretarius D. Franciscus Bellati, rei nummaria, & patriæ historiæ studiosus; in qua ex una parte est frons parvi Templi cum hisce verbis: *J. O. Epf. Novariens.*, & ex alia Crux cum hisce verbis: *Comes Ossolle*, quem quidem Ossulæ Comitatum Novariæ Episcopos olim obtinuisse tradunt Carolus a Basilica Petri (a), & alii. Joannes autem, de quo in hac moneta; haud dubium, quin fuerit Joannes Vicecomes, Novariæ Episcopus electus anno 1329, deinde Archiepiscopus Mediolani 1342 (b). Joannes vero idem Vicecomes filius fuit Matthæi Magni (c), & post obitum Luchini fratris, etiam Mediolani Dominus effectus est; Patruusque fuit Galeatii, & Bernabovis, quorum alter alterum excipiens, Mediolanense Dominium tenuit.

Ad pag. 122. lin. 7. Leonardi Vinci insignis Discipulus Joannes Antonius Boltraphius Mediolanensis (d). Jacet in Templo S. Pauli *in Compito*, ubi ejus Tumulus marmoreus assabre elaboratus conspicitur, una cum familiæ insignibus, & sequenti inscriptione:

IO. ANTONIO BELTRAFIO  
ET CONSILII ET MORVM  
GRAVITATE SVIS CIVIBVS  
GRATISS. PROPINQVIORES  
AMICI DESIDERIO AEGRE  
TEMPERANTES. P.  
VIXIT ANN. XXXXVIII  
PICTVRAE AD QVAM PVERVM SORS  
DETVLERAT STUDIO INTER SERIA  
NON ABSTINUIT NEC SI QVID  
EFFINXIT ANIMASSE OPVS  
MINVS QVAM SIMVLASSE  
VISVS EST  
MDXVI.

(a) *Novaria Særa*, pag. 312.

(b) *V. Saxium Anstist. Mediol.*

(c) Præclara hujusce effigies habetur in Pinacotheca Comitum Julinorum.

(d) Nobilis, & antiqua Boltraphiorum familia, ex qua sæculo XII. claruit Adobadis, unus ex Consulibus Reipublicæ Mediolanensis, cujus meminit Inscripcio ad Portam Romanam, quam vides apud Julinum *Memorie* Par. v3. pag. 395.

Beltradium, vel Boltraphium plures commendant, Morigia (a), Vafarius (b), Lomatius (c), Bosca (d), Tiraboschius (e), & alii. Ejus, quæ mihi constant, certa opera sunt: B.<sup>ma</sup> Virginis effigies in Templo Misericordiæ extra Bononiam, cum qua B.<sup>ma</sup> Virgine & alii Sancti depicti cernuntur (f), itemque Eques Hieronymus Casius (g), qui picturam effici mandavit; tum ejusdem Casii effigies, quæ prius extans penes D. Carolum Bianconium Secretarium Perpetuum Academiæ Regiæ Braydensis Bonarum Artium, nunc adservatur inter plures Virorum illustrium imagines, quæ habentur in Bibliotheca Instituti Bononiensis.

Ad pag. 128. lin. 33. Columbanus Ballettus Cremonensis, Oratoris Professor Ticini. Vide Arisium in *Cremona literata*, & Parodium *Elench. Actuum Ticinensis Studii*. Tres italicæ epistolæ ad eum sunt Francisci Cicereii in Codice Belgiojossiano.

Ad pag. 173. lin. 5. Dux iste marmore egregie expressus visitur in atrio domus Illustr. Marchion. de Castillionæis, ubi etiam ejus patris Joannis Galeatii altera effigies habetur, quæ ambo pariter spectantur in ædibus aliâs Marlianis prope S. Andreæ, nunc Regii juris; imo Joannis Galeatii statua parva ex metallo, thorace tenus, extat penes D. Carolum ex Marchionibus Trivultiis. Optarem aliorum quoque omnium Vicecomitum Mediolani Dominorum antiquas hic etiamnum servatas fuisse imagines, has enim quam libenter, uti de Sfortiis præstiti pag. 121, & 122, indicarem; attamen præter supra dictos, eosque, quorum icones sunt apud Jovium (h), Campium (i), & Julinum (k), observasse tantum mihi contigit imaginem Actii in moneta æneo-argentea adhuc incomperata minimi moduli apud laudatum D. Carolum, ubi ex una parte est A. (idest Azo) Vicecomes cum hujus effigie e fronte, ex alia parte Crux, ac in circulo *Cremona*. Laudarem etiam hic Actii marmoream effigiem, olim in S. Gottardi, nunc apud Illustr. Comit. de Anguissolis, & Bernabovis statuam in S. Joannis ad Concham, sed has jam ex ære expressas unacum aliquibus aliis attulit Julinus.

(a) *Historia* lib. 1. pag. 289.

(b) *Vite de' Pittori* &c. parte III. pag. 17.

(c) *Trattato della Pittura*.

(d) *Biblioteca Ambrosiana* pag. 150.

(e) *Letter. Ital.* Tom. 6. par. 2. pag. 415.

(f) *Vasar.* dicto loco, & *Abeced. Pittor.*

(g) De quo Joannes Marius Crescimbeni, *Istoria della volgar poesia* Vol. 5, & *Quadrima, Storia e Ragione d'ogni Poesia*. Vol. 2, & 7.

(h) *Vite duodecim Vicecomitum Mediolani Principum*.

(i) *Vite de' Duchi, e Duchesse di Milano*.

(k) *Continuazione, Parte I., II., III.*

---

---

Die 8 Januarii 1783.

*Admittitur.*

Vismara R. C.

MDCCLXXXIII. Die 11 Januarii

*Potest Imprimi*

W I L Z E C K .

Sciugliaga J. G.

---

---

## NOMINA EORUM

## QUIBUS SCRIPTÆ EPISTOLÆ.

**A**BBUENSIS FRANCISCO. Volum. II. pag. 13.  
 ADVOCATO POMPEIO. I. 192.  
 ALBUTIO PETRO. I. 39.  
 ARCIMBOLDO JOANNI BAPTISTÆ. II. 133. Eide-  
 dem Julius Arcimboldus. 168.  
 ARCIMBOLDO OCTAVIANO. II. 72.

**B**ALLETO COLUMBANO. II. 128.  
 BARCHINO GASPARI. I. 212. 218. 227.  
 BECCARIÆ JOANNI. I. 187.  
 BILLIO CAMILLO. II. 54.  
 BORROMÆO CAROLO CARDINALI. II. 145. 166.  
 169.  
 BRUGORÆ GALEATIO. II. 20.  
 BUCEPHALO LUDOVICO. II. 63.

**C**AMUTIO ALEXANDRO. I. 68.  
 CAMUTIO ANDRÆ. I. 78. 118. 213. 220. 229.  
 230. 234. 248. 252. II. 10.  
 CAMUTIO HIERONYMO. I. 150. II. 78.  
 CAPRÆ BARTHOLOMEO. II. 274, eideM MAR-  
 CUS MAPHÆUS CICEREIUS. 265.  
 CARANTANO ANDRÆ. I. 9.  
 CARDANO HIERONYMO. II. 5. 90.  
 CARRONENSI, vel CHARRONÆ FRANCISCO. I.  
 170. 201. 225.  
 CASIANO CHRISTOPHORO. II. 36.  
 CASTANEO FRANCISCO. I. 15. 79. 87. 119.  
 GASTANEO PETRO PAULO. I. 13.  
 A CASTILLIA LUDOVICO CLEMENS ARSAGIUS. II.  
 147.  
 CASTOREO ANTONIO. I. 117. 121. 129. 179.  
 EideM HIERONYMUS CASTOREUS. 161.  
 CASTOREO CÆSARI. II. 71.  
 CASTOREO FRANCISCO. I. 130. 153. 164. 171. II.  
 17. EideM CASTOREUS CÆSAR. I. 160.  
 CATIO ANTONIO FRANCISCUS BERNARDINUS FI-  
 LIUS. II. 162.  
 CATTO JULIO. I. 76. 80. 86. 193.  
 CAVEDIO ALPHONSO. II. 73.  
 CAYMO ANTONIO. I. 24. II. 123.  
 CICEREIÆ ELISABETH. I. 31. 45. 46.  
 CICEREIO CÆSARI. I. 11. 16. 27. 32.  
 CICEREIO FRANCISCO MARCUS MAPHÆUS FILIUS.  
 II. 271. 273. 279. 280.  
 CICEREIO JACOBO. I. 26. 34.  
 CICEREIS BAPTISTÆ, & ELISABETH. I. 6. 9. 12. 18.  
 CICEREIS ELISABETH, & BAPTISTÆ. I. 6. 9. 12. 18.  
 CICEREIS ELISABETH, & JACOBO. I. 28. 47.  
 CICEREIS JACOBO, & ELISABETH. I. 28. 47.  
 CLARINO JOANNI. II. 59.  
 CLARINO PETRO ALBERTUS FILIUS. II. 147.  
 COMITI MAJORAGIO ANTONIO. I. 102. II. 30.

COMITI PRIMO. I. 165.  
 CORIO ALPHONSO ALEXANDER FILIUS. II. 154.  
 CORTELLIO JACOBO II. 153.  
 COSTÆO JOANNI PETRUS VARRO. I. 237.  
 CRASSO FRANCISCO. II. 104.  
 CRIBELLO PETRO JOSEPH OSSUTIUS. I. 112. 144.  
 148.  
 CRUCIO JACOBO. I. 55.  
 CUSANIS POMPONIO, & AUGUSTINO. II. 60.  
 CUSANO AUGUSTINO CARDIN. II. 154.

**D**ISCIPULIS. I. 77.

**E**CCLESIE JOANNI ALOYSIO. II. 158.  
 ECCLESIE JOANNI MARIE M. MAPHÆUS. II. 277.

**F**ANNIANO MARCO. II. 174.  
 FERRARIO BASILIO. I. 200. 215. 246.  
 FERRARIO HIERONYMO. II. 144.  
 FERRARIO OCTAVIANO. II. 110. 114. EideM  
 MARCUS ANTONIUS ROVILIUS. 142.  
 FERRARIO STEPHANO. II. 4.  
 FILIODONO DANESIO. II. 170.  
 FOLIANO SIGISMUNDO CÆSAR CICEREIUS. II. 76.  
 FONTANÆ JOANNI. II. 146.  
 FRICH HIERONYMO PRÆTORI LUGANENSI. I. 128. *De*  
*Ciceronis imitatione*. 132. 147. 187.  
 FROSCHOVERO EUSTACHIO. I. 172.

**G**ALLARATO FRANCISCO. II. 16.  
 GALLO STEPHANO. I. 42.  
 GORINIO CHRISTOPHORO. II. 49.  
 GRUMELLIO BAPTISTÆ. II. 42.  
 GYRALDO CYNTHIO. II. 55. 56.  
 GYRALDO LILIO GREGORIO. I. 240.

**J**ERARGO FRANCISCO. I. 19. 41. 76. 96. 120.  
 ISINGRINIO MICHAELI. I. 194. 206. 239.

**L**AMPUGNANO GALEATIO. II. 48.  
 LECTORI. II. 175.  
 LEONTIO M. ANTONIO. I. 45. 75. 104.  
 LEPORARIO CHRISTOPHORO. I. 238. II. 37.  
 LUPIONI ANTONIO. I. 1. 49. 59. 62. II. 93.

**M**AGENTIO GUIDO. II. 163.  
 MAGIO ANTONIO. II. 85.  
 MAGIO LUDOVICO. N. 158. 159.

MAGIO OCTAVIANO JOANNES PETRUS MARCHE-  
SONIUS. II. 179.  
MAGNIO ANDREÆ. II. 84.  
MAJORAGIO COMITI ANTONIO. I. 102. & II. 30.  
MAJORAGIO MARCO ANTONIO. I. 157. 162. 168.  
172. 177. 181. 186. 190. 229.  
MANUTIO ALDO. II. 131.  
MANUTIO PAULO. I. 91. Eidem Jo. PETRUS  
MARCHESONIUS. II. 175.  
MATRINIO FRANCISCO. II. 91.  
F. MAURITIO VIGLEVANENSI. I. 126.  
MEDIOLANENSI SENATUI. II. 172.  
MEDIOLANENSI VICARIO JUSTITIÆ. II. 45.  
MENABENO ANTONIO MARIE. I. 29. 66. 69.  
70.  
MENABENO JOANNI. I. 37. 77. 89.  
MUGINO JOSEPHO. I. 11. 17. 27. 30. 33. 56.  
79. 88. 90. 98. 100.

**N.** FRANCISCO. II. 58.  
N. N. II. 40. 70. 71. 76. 95. 96. 99. 101. 104.  
105. 106. 107. 132. cui CONSTANTIUS MEL-  
LERIUS. II. 286.  
N. PHILIPPO. II. 18.

**O**PORINO JOANNI. I. 73. 85. 114. 115. 122.  
146. 154. 157. 159. 166. 174. 175. 182. 185.  
188. 195. 198. 201. 207. 210. 211. 223.  
224. 226. 230. 241. 251. 253. II. 3. 11.  
19. 26. 28. 31. 32. 34. 38. 43. 45. 46. 47.  
50. 51. 54.  
OSSUTIO JOSEPHO. I. 57. 63. 65. 67. 71. 72. 99.  
206. II. 17.

**P**ACANIO BARTHOLOMÆO. II. 105.  
PARRAVICINO JACOBO. II. 125.  
PIO IV. PONTIF. MAX. PETRUS GEORGIUS Vi-  
CECOMES. II. 127.  
PLANTÆ AUGUSTINO. I. 96. 127. 144. 154.  
175. 185.  
PLANTANIDÆ COSMO Abbati Clarevallis MALA-  
CHIAS BINASCUS. II. 159.  
PLANTANIDÆ PAULO. I. 44.  
PLANTINO CHRISTOPHORO. II. 138.

PLATO LUDOVICO. II. 68.  
POSTELLO GULIELMO. II. 33.  
PYRROGALLO FRANCISCO. II. 108. 110. Eidem  
MARCUS MAPHÆUS. 281. 283.

**Q**UADRIO BARTHOLOMÆO. I. 25.  
QUINGTIO FEDERICO. II. 151.

**R**AYMUNDO ALOYSIO. I. 180. 183.  
RAYNOLDO JOANNI BAPTISTÆ SENATUS Præfidi.  
II. 161.  
REGULO SEBASTIANO. II. 131.  
RESTÆ JOANNI JACOBO JOANNES PETRUS MAR-  
CHESONIUS. II. 177.  
ROSINO PETRO MARTYRI. I. 74. 84.  
ROVIDIO CÆSARI LUCILIUS TERZAGUS. II. 244.

**S**ACCIO JOSEPHO. I. 244.  
SAKO ANDREÆ. I. 125.  
SFONDRATO FRANCISCO SENATORI GABRIEL PHÆR-  
NUS. I. 53.  
F. SICULO CORNELIO. I. 105. 106. 109. 112. Eidem  
FRANCISCUS CICEREIUS, & CHRISTOPHORUS  
LEPORARIUS. 116.  
SIGONIO CAROLO. II. 130.

**T**ÆGIO ALEXANDRO. II. 102.  
TORRESELLÆ CHRISTOPHORO. I. 111.  
TROTTO CAMILLO SENATORI NICOLAUS STURMIUS.  
II. 296.  
TURRIANO GASPARI. II. 126.

**V**ARRONO PETRO. I. 99. 101.  
VENETIARUM DUCI GASPAR VICECOMES ARCHIE-  
PISC. II. 149.  
VENUSTO ANTONIO M. II. 53.  
VICECOMITI ANTONIO. II. 75.  
VICECOMITI FRANCISCO. I. 54.  
VICECOMITI NICOLAO. I. 234. 249. II. 12. 109.  
VICEDOMINO JOANNI FRANCISCO. I. 4.  
VICOMERCATO MELCHIONI. I. 21. 35.  
VULPIO ANTONIO. I. 202. 208. 219. 221.

## I N D E X.

- A**BDUENSIS Ferdinandus. Vol. I. pag. xxiv, 214. 230. Franciscus. Vol. II. p. 14. De hac Familia liber. II. 53.  
*Abecedario Pistorico*, notatur mendum. II. 82.  
 Accentus quomodo in vocibus compositis ponendi? I. 69.  
 Acerræ, locus. I. 8.  
 Advocatus Antonius. I. 46. 193. *Cæsar*. I. 46. Pius. I. p. xvij. 46. *Pompejus*, ibidem.  
 Elius Jacobus MS. I. 103.  
 Agratus M. Sculptor Vide Ferrerius.  
 Albutius Aurelius, MSS. I. 41.  
 Albutius Joannes Petrus Ticinensis Professor, locus nativitatis. I. 40, tumuli 41.  
 Alciatus Andreas Senator, prius Mediolani, & alibi Professor, opera edita, & MSS. ab Argelato, & Mazzuchellio non indicata. I. 58. de eodem. 59. 163. 240. II. 94. 297.  
 Alciatus Franciscus Ticini Professor, dein Cardinalis. I. 59. MSS. 143. 214. II. 13.  
 Aldinorum librorum symbolum. II. 195.  
 Alesius M. Antonius. II. 12.  
 Allegrantia Joseph. I. 4. II. 65. Epistola 287.  
 s. Andreas Avellinus, epist. MS. II. 62.  
 Angliæ Historia, MS. V. Gallasum.  
 Anonymi MSS. I. 30. 50. 81. II. 71. 192. 296. 299.  
 Antimachus Marcus Antonius Mantuanus I. 163.  
 Antonianus Antonius. II. 33.  
 s. Apollonia, de qua inscriptio per Cicereium facta. II. 104.  
 Apostolus Joannes Franciscus. II. 296.  
 Appianus Angelus Mediolani Professor, dein Abbas S. Ambrosii. I. 103.  
 Arabus Hieronymus, inscriptiones. II. 288.  
 Arciboldus Antonellus Senator. II. 35. 136.  
 Guidus Antonius Senat. Præf. ibid. Joannes Archiepisc., & Cardinalis. Joannes alter, ibid.  
 Joannes Angelus Archiepisc. 35. Jo. Baptista publici Gymnasia conditor, epitaphium. 136. 151. Julius. 168. Nicolaus Senatus Præf. 136.  
 Aregus Joannes Baptista, Alexander. II. 13.  
 Aresius Marcus Antonius. V. Alesius.  
 Aretinus Leonardus, MSS. I. 141.  
 Argelatus Philippus. I. correctus p. xiv. 51. 156. 221. 245. II. 52. 101. 113. 137. 144. 182. & pluries auctus in locis asterisco signatis.  
 Arlunus Bernardinus. I. p. xx. Opera edita, & MSS. I. 197. Bonifortus, ibid. Inscriptio sepulchralis. II. 67. Jacobus. I. 198. Joannes Petrus, MS. 198. Franciscus, Gaspar, ibidem.  
 Melchior. II. 66. Vicus. V. Mediol.  
 Arma anea utrum ab antiquis usurpata? II. 100, & 101.  
 Arrigonius Damianus Mediolani Professor. I. p. xxij. II. 182. 245.  
 Arsadius Clemens. II. 147.  
 Asta urbs, nobilis viri funus, ac tumulus. II. 41.  
 Arellanus Carolus, Jacobus, Scipio, Vincentius. II. 122. Atellanorum antiqua ædes, ibidem.  
 s. Augustini Sermo ineditus. I. 116.  
 Aufonius Decius, de quo nonnulla valde incerta ab aliquibus traduntur. II. 137.  
 Aufriaca Anna Hispaniarum Regina. II. 181.  
**B**ÆLIUS Robertus notatus. II. 52.  
 Baldnus Bernardinus Ticin. Prof. I. 243. II. 181., patria 183, scripta, tumulus. 181.  
 Ballarinus Franciscus notatus. I. 221.  
 Balletus Columbanus Ticinensis Professor. II. 128. 301.  
 Bandinius Augustinus Biblioth. Medic. Laurent. Præf. I. p. viij.  
 Barbavarius Ambrosius, scripta, tumuli locus, effigies. II. 68.  
 Barchinus Gaspar Laudensis. I. 213.  
 Baregiana villa antiqua, & eruditorum conventu celebris. II. 179.  
 Barelli Henricus. II. 123.  
 Barpholomæus cur ita cum p. ab aliquibus scriptum. I. 25.  
 Barzii Gasparinus, & Guinifortus Mediolani Professores, Orationes & Epistolæ MSS. II. 63.  
 a Basilica Petri Carolus, seu Franciscus, nequam didicit sub Majoragio, II. 137, MSS., & alia. I. 58.  
 Batalcus Aron Mediolani, & Belitione Professor. II. 224.  
 Beatus Franciscus. II. 226.  
 Bebulchus, MS. II. 187.  
 Belcredius Carolus Antonius. MS. I. 23.  
 Belgiofius Albericus Magnus. II. 123.  
 Bellati Franciscus. II. 300.  
 Bellincionus Bernardus Poeta a Ludovico Mauro laureatus, effigies. II. 223.  
 Belitio oppidum. V. Batalcus.  
 Bellonus Aloysius Senator. I. 198. Fabius, MS. II. 137.  
 Bellorius Joannes Petrus erroris notatur. II. 82.  
 Bembus Petrus Cardinalis, MS. II. 81.  
 Beroaldus Philippus Mediol. Professor. II. 67.  
 Bertolius Bernardus, opera edita, & MSS. II. 174.  
 Bettinellius Franciscus Xaverius. II. 174.  
 Bianconius Carolus. II. 301.  
 Bibliorum sacrorum insignis collectio. I. 172.  
 Bibliotheca Aldina. II. 102.  
 Bibliotheca, & Archivum Monasterii S. Ambrosii. I. p. x.  
 Bibliotheca Ambrosiana, ibidem.  
 Bibliotheca Augustinensium S. Mariæ Coronatæ. I. 140.



- Bibliotheca, & Archivum Belgiojofianum . I. p. x.  
 Bibliotheca Bibliographica . II. 82.  
 Billius B. Andreas, MS. II. 54, Gabriel, Lucius, ibid.  
 Binafcus Malachias Ciferciensis . II. 161.  
 Biraga Elifabeth . II. 232.  
 Biragi Francifci Mediolanenfis pueri oratio . II. 35.  
 Biragus Lampius, MS. I. 140.  
 Bifunum locus olim sub ditione Abbatis S. Ambrosii . II. 84.  
 Blanchinus Joannes Baptifta, MS. I. p. ix. 4. 31. 143.  
 Blanchus Felix Dominicus . II. 83.  
 Blanchus Ifidorus Pictor . II. 84.  
 Boldonus Flavius, MS. II. 81, Sigifmundus, ibidem .  
 Boltraphius Joannes Antonius Pictor, Elogium fepulcrale, picturæ . II. 300.  
 Bonacina Auguftinus Mediolanenfis Professor . I. p. xxij. MSS. II. 295.  
 Bonamicus Lazarus . I. 93. MSS. II. 226.  
 Bonorum Familia fculptoria arte præftans . II. 83.  
 Borella Siccus, effigies . II. 122.  
 Borrhaus Martinus . II. 123.  
 Borromæus Camillus, Joannes Baptifta . II. 105. S. Carolus . II. 62. 68. 105. 128. 146. 167. MSS. Epiftolæ . I. 47, II. 171. Fridericus Cardinalis . I. 108. II. 231.  
 Borferius Hieronymus, MS. II. 179.  
 Bofonius Jacobus Placentinus . II. 175.  
 Bramantis architecti opera aliqua . II. 52. 161.  
 Brambilla Joannes Alexander . I. 40.  
 Brebius Carol. Antonius . II. 239. Hieronymus, ibidem .  
 Brouchnerius, *Diffionn. portat.*, erroris notatus . II. 68.  
 Brugora Galeatius Senator . II. 20. 174.  
 Budæus Gulielmus, Ep. MS. I. 142.  
 Bugati Cajetanus . I. 83.  
 Bugatti Gaspar . I. 213, mors, tumulus . II. 183.  
 Bulgarus Petrus Francifcus . II. 134.  
 Buftum oppidum, de quo MS. descriptio . I. 30.
- C**ACURIUS Gervafius, de quo inſcriptio . II. 64.  
 Cairnus Zacharias . II. 242.  
 Calcagninus Cælius . I. 51.  
 Campilionum, Feudum Abbatis S. Ambrosii . II. 83. inflignes artifices exinde-orti, picturæ ibi commendandæ, ibid.  
 Campius Antonius, Bernardinus, Julius, Vincentius pictores . II. 233.  
 Canutius Andreas Ticinenfis Profefs. I. p. xviiij. 59. Eugenius Epifcopus . 221.  
 Canobium oppidum, de quo MS. descriptio . I. 48. aliud parvus vicus, ibidem .  
 Canobius Paulus publici Gymnafii inſtitutor . II. 113. 142.  
 Cantoniſ Jo. Petrus . II. 279.  
 Capra Aurelius . II. 249. Bartholomæus . I. p. xxij., & II. 113. de eodem Oratio Cicerii . II. 246. Bartholomæus alter Archiepiſc. 113. Balthaffar . 249. Bennis . 247. Hieronymus addendus Mediolanenſibus Scriptoris . 201. 249. Joannes Baptiſta Senator, Jo. Francifcus, Ludovicus, 248. Theodorus . 271. Vicus . V. Mediolanum .  
 Caraffinus Lazarus Epifc. I. 83.  
 Carcanus Archilaus Ticinenſ. Professor . II. 66. 69. Ambroſius . 66. Chriſtophorus, Joannes Baptiſta, MSS. ſbid.  
 Cardanus Hieronymus Mediolani, & alibi Professor, tempus vitæ, ac mortis, MS. I. 245. II. 9. Jacobus . 10. Joannes Baptiſta, ibid.  
 Carentana Elifabeth mater Cicerii . I. p. xiiij.  
 Carentius Theophilus Mediol. Prof. II. 183. 245.  
 Cargas Hieronymus . II. 231.  
 Carli Comes Jo. Rinaldus . I. 219.  
 Carmenus Saxius Francifcus, MS. I. 48.  
 Carmina Variorum MSS. I. 93.  
 Carnagus Cæſar . II. 183.  
 de Cafate Joannes . I. 141.  
 Caſatus Cæſar Ticinenſis Professor . I. 53. II. 228.  
 Caſonius Hieronymus . II. 230.  
 Caſtleoneus Marcellus . II. 167.  
 Caſtleoneus Porrus Branda . 226.  
 Caſtello Sebaſtianus . I. 123.  
 Caſtellus Benedictus . II. 126.  
 a Caſtillia Ludovicus . II. 147.  
 Caſtillioneus Bonaventura, MSS. I. 108. & II. 70. Branda Cardinalis, de quo falſa quædam communiter fere tradita, ibid. Jo. Baptiſta . II. 171.  
 Caſtruccio Paulus . II. 287.  
 Cataneus Joannes Maria . II. 173.  
 Catii antiqui . II. 162., de Catio inſcriptio, 163.  
 Cattius Ludovicus, MS. II. 297.  
 Cavenagus Ambroſius . II. 20.  
 Caymus Antonius Senator . I. 23. Hieronymus, de quo MS. ibid.  
 Cazzulus Jo. Antonius, MS. I. 62.  
 Chalcondilas Demetrius Mediol. Prof. I. 190.  
 Charifiſus, MSS. II. 146.  
 Cicerius Francifcus Mediolani Professor, Vita . I. p. xiiij., & ſequent. Opera . xxvj., & ſequent. elogia . xxviiij., & ſequent., & iterum . II. 295. 296.  
 Cicerius Marcus Maphæus, cujus Epiftolæ hic, de eodem in Vita Francifci .  
 Cicerius Philippus . II. 19. Thomas . I. 205. Tullius . xx.  
 Cicero Marcus Tullius, qui ejus Cenſores? I. 159. *Inventio* ab eodem juniore facta . I. 169., locus corruptionis ſuſpectus . II. 72. MS. V. Sfortiam Hippolitam Mariam, MSS. Commentaria in eundem . V. Guarium Veronenſem .  
 Ciconia Paſqualis Venetorum Dux . II. 151. 166.  
 Cigalinus Francifcus . I. 5. 6., Marcus . 5. Paulus Ticinenſis Profefs., MS. 6. Zaninus, ibid.  
 Clarinus Petrus . II. 59.  
 Clarus Julius Senator . II. 213.  
 Codebos Ludovicus Mediolani Professor . I. p. xvj. II. 65.

Coelius Augustinus . II. 46. Horatius, Curio Leo, ibid., Secundus Curio . II. 4., 46.  
 Coelius Ludovicus Rhodig. Mediol. Profefs. II. 174.  
 Columna Stephanus Mediol. Profefs. I. 77.  
 Comes Antonius . V. Majoragijs .  
 Comes Natalis Mediolani natus . II. 298.  
 Comes Primus Mediol. Profefs. I. p. xxviii. 103.  
 Copinius Aquilinus Mediol. Profefs. I. xxxj.  
 Corbetta oppidum, ubi inscriptio per Cicereium facta . II. 107.  
 Corius Alexander . II. 154.  
 Coronati nummi . I. 17.  
 Cortellius Jacobus . II. 103.  
 Costæus Joannes, Jo. Franciscus . I. 237.  
 a Cotignola Marcus . MSS. II. 123.  
 Crassus Franciscus Cardinalis . I. 143., II. 26.  
 Paulus Camillus . I. 143.  
 Crescentius Jo. Petrus . MS. I. 3.  
 Critonius Jacobus Scotus . I. p. xxix.  
 Crotus Hieronymus, epist. MS. I. 53.  
 Cruceius Annibal . I. p. xxij. II. 113. 114. 232. 246. 255.  
 Curtius Matthæus . II. 227.  
 Cufanus Augustinus Cardinalis . II. 62. 157. Jacobus Senator . 63. Paulus . Ibidem . Pomponius . MS. 62. Idem, 157.

**D**ANTES Aligherius, MSS. I. 126.  
 Davalus Alphonius Mediol. Moderator . I. 8. 107. 125. 259. de eo MS. Oratio . II. 248. Effigies, ibidem .  
 Decembrius Angelus, MS. Epist. II. 69. Antonius . V. Leucus . Candidus, MS. II. 173.  
 Declamationes restitutæ per Majoragijs, & alios . I. 192.  
 Delmimius Camillus Julius, scripta, dies obitus . I. 142. de eodem 167.  
 Delphinonius Hermes . II. 239. Hannibal . 270.  
 Denarii nota . II. 85.  
 Diphthongi quomodo veteribus pronuntiatæ? II. 94.  
 Dulcinus Secundus Cremonensis, MS. II. 81.  
 Durini Angelus Maria Cardinal. II. 81.

**E**CHARD Jacobus, *Bibliorb. Ord. Predicator.*, lapsus . II. 103. Supplementa ad hanc pertinentia . V. Barbavariam, Beata, Bugatum, Castruccium .  
 Ecclesia Jo. Aloysius . II. 158. Joannes Maria addendus Scriptoribus Mediolanensibus . 278.  
 Egnatius Jo. Baptista . I. 176.  
 Ericius Sebastianus . I. p. xxvij.  
 Estensis Nicolaus . I. 142. Philippus, ibidem, Sigismundus . II. 297.

**F**AEDMUS, de quo Inscripção . II. 72.  
 Faernus Gabriel, epistola . I. 53. de eodem . 143.  
 Fannianus Marcus . II. 174., Raphael . MS. I. 52.  
 Farnesius Petrus Aloysius Dux . V. Gofelinum .  
 Farnesius Cardinalis Alexander . I. 203.

Faustina Numisma . II. 87.  
 Felizanum oppidum juris olim Abbatæ S. Ambrosii . I. 13.  
 Ferrara Julia . II. 232.  
 Ferrarius Basilius . I. 201. Ludovicus Mediolanæ Professor, p. xvj. patria, scripta, contentiones litterariæ . 62., de eodem, 77. Gaudentius Pictor . II. 113. Hieronymus Octaviani pater . II. 112. 144. Hieronymus Octaviani filius . 144. 232. Hieronymus e Corrigha . 145. Octavianus Ticini, & Mediolani Profefs., I. p. xxij., nativitas . I. 113., obitus, tumulus . 232. 233., de eodem . 236. 255., de ejus laudibus Oratio, 222., & sequentibus .  
 Ferrerius Agratus Marcus Sculptor . II. 114.  
 Filiodonus Danesius . I. p. xxij., elogium sepulchrale, & alia . II. 171. 256.  
 Flamma Galvaneus, MS. II. 69.  
 de Florentia Talenti Marchion. Fratres . V. Valerium, & Catium . Inscripção . I. 82.  
 s. Floriani oppidum, ubi inscripção per Cicereium facta . II. 106.  
 Folianus Sigismundus Mediolani, & Regio-Lepidi Professor . I. 11., munera scripta, obitus . II. 77.  
 Fontana Annibal Statuarius . II. 234. Dominicus Architectus, patria, numismata, effigies, inscriptiones . 82. 83. Joannes, Marfilii architecti, quorum inscriptiones, ibidem. Joannes Episcopus, epist. MSS. 146. Hieronymus, MS. epistola . I. 43.  
 Foscarinus Marcus, lapsus . II. 298.  
 Fossane Memorie, MS. II. 123.  
 Fracastorius Hieronymus . I. 167.  
 Francinetus Robertus Mediol. Professor . I. 183.  
 Frius Antonius Franciscus . II. 83. Joannes . I. 113.  
 Fumagalli Angelus Abbas Cisterciensis . I. p. xiiij.

**G**ALERIUS Nicolaus, MS. Epistola . II. 167.  
 Gallæus Philippus Chalcographus . II. 141.  
 Gallaratus Franciscus . II. 17.  
 Gallassus Comes Corrighæ, MS. II. 173.  
 Gallassus de Gallassii, ibidem .  
 Gambaloyta Sylvius . II. 74.  
 Gambertus Nicolaus de la Porta . MS. II. 173.  
 Geneal. Familiar. MSS. I. 46.  
 Gentilis Bernardus . I. 167.  
 Gerbelius Nicolaus . I. 123. 163.  
 Ghilinus Blasius Commendator S. Ambrosii . II. 71.  
 Gifanus Obertus, MSS. Epist. II. 141.  
 Glusianus Julius Cæsar Mediol. Prof. II. 183.  
 Gobbius Christophorus Statuarius, & Architectus . II. 293.  
 Gonzaga Ferdinandus Princeps, Mediolani Moderator, MS. Ep. 219. I. idem . II. 40. 182.  
 Gofelinus Julianus . I. 219. MSS., & alia . II. 182.  
 Goveanus Antonius . I. 54.  
 Gratianus Nicolaus . II. 138.  
 Gregorius XIV. V. Sfondrat. Nicol.  
 Gryphius Sebastianus . I. 73.

- Gualtherus Rodolphus. I. 113.  
 Guarinus Veronenfis, MSS. Joannes Baptista, MSS. Jo. Baptista alter. MSS. I. 141. 142.  
 Guarinus Andreas. I. 54.  
 Gufmanus Antonius Mediolani Moderator. II. 153.
- H**ARASTHI Cajetanus. II. 216.  
 Holocatus Alexander. I. 108.  
 Homerus, Cenfores. I. 159. mortis genus. II. 101.
- J**ERARGUE Franciscus Mediolani Professor. I. p. xvij. 3.  
 Jofeph Flavius, MS. I. 12.  
 Jovius Benedictus, epitaphium. I. 106. opera edita, & MSS. 107. 1108. Paulus Episc. MSS. 107. 124. de eodem. 238. Paulus alter junior, MSS. 107. idem. 125.  
 Judices Galli, & Equi qui? I. 14.  
 Julii III. Numisma. I. 248.  
 Julius Georgius. I. 8. 48.
- L**AGO-MARSINIUS Hieronymus corrigitur. II. 112. 144.  
 Lampugnanus Ambrosius Abbas Cisterciensis Ceteri. II. 49. Joannes, & alii ex hac familia Abbates S. Ambrosii, ibidem. Georgius, ibidem.  
 Landrianus Hieronymus. I. 239.  
 Landus Constantius, MS. I. 59.  
 Lascaris Constantinus Mediolani Professor. I. 61. MS. II. 208.  
 Latine linguae usus quam antiquus? II. 102., quae apud antiquos pronuntiatio? 94.  
 Laudensis Anonymi Codex MS. Inscriptionum cum explicacione. I. 81.  
 Lazarus Christianus. I. 47.  
 Leuchus Antonius. II. 80.  
 Librarius, quae hujus vocis significatio? II. 44.  
 Liburnas M. Antonius. I. 124.  
 Limonta locus sub dominio Abbatis S. Ambrosii. II. 83.  
 Lipsius Justus, Epist. MS. II. 179.  
 Litta Octavius, Epist. MSS. 53.  
 Locarnum oppidum, cujus mentio in vetustis chartis. I. 191.  
 Lombardus Petrus. I. 116.  
 Lucanus Franciscus Parmensis, MS. II. 121.  
 Lupanus Otho Mediol. Professor. I. p. xvj. Patria, scripta. 61. idem. 117. 122. II. 170.
- M**ADDIUS Vincentius. II. 226.  
 Madruccius Christophorus Cardinalis, & Mediolani Moderator. I. 215. MSS. epist. II. 299.  
 Magentius Guido. II. 165. MS. epist. 182. Jo. Ambrosius, MS. 165. Ludovicus Senator. 165.  
 Magius Antonius. II. 89. Castellanus, ibid.  
 Federicus Episc. 66. Octavianus. 181.  
 Magnius Nicolaus. II. 85.  
 Majetus Jacobus. II. 114. epitaphium, ibidem, alia duo. 224.  
 Majoragius Comes Antonius Mediol. Profess., Ep. MS. I. 103., idem. 104. 131. 153. 166.  
 Majoragius Marcus Antonius Mediol. Professor. I. p. xvj. 51. 103. 124. 128. 133. 138. 166. 229. II. 39. dies obitus, 52.  
 Maittair, *Annal. Typographic.*, suppletur. I. 51. 160. 251. II. 39. 139.  
 Manutius Aldus Senior, MSS. Epist. I. 93. idem. 136. II. 94., 226. Effigies 298.  
 Manutius Aldus junior. II. 131. 255.  
 Manutius Manutius, ejus epitaphium. II. 132.  
 Manutius Paulus. I. p. xxviii., 93. 125. 138. II. 132. 255. 296., de eodem Oratio. 188.  
 Marachus Andreas Ticinensis Profess. I. 212.  
 Marcaldus Franciscus, MS. I. 70.  
 Marchesonus Jo. Petrus Mediol. Profess., MS. Orat. I. p. xxix. Idem. II. 162. Epistolae. 175., & sequentib.  
 Marelli Bibliopola. II. 28.  
 Marinonus Diamans, MS. I. 197.  
 Marinus Joannes Angelus Sculptor. II. 233.  
 Marlianus Bartholomaeus, Joannes Franciscus Senat. Praef., MS. I. 233. Petrus Antonius Senator, MS. Ibidem.  
 s. Martini locus sub ditione Abbatis S. Ambrosii. II. 82.  
 Martorellus Baldus. I. 173.  
 Masnagus Carolus Abbas Cassinensis. I. 6. II. 102.  
 Mauricius Christophorus. II. 229.  
 Mayna Agnes. V. Trivult. Carol.  
 Maynus Hieronymus. II. 16. Vicus. V. Mediol.  
 Mazzuchellius Joannes. I. p. xiii.  
 Medices Joannes Jacobus. I. 243. 251. 254.  
 Mediolanum, Roma altera dictum. II. 192.  
 Moenia varia. 25. Portae Jovia, *delle Arce*, ibid. Metropolitanum Templum. 66. 83. 114.  
 Templum S. Victoris *Arvi*. 24. ad Puteum. 146. Misericordium Collegium. 45. Canobianae Scholae, 113. Vicus Arlunenfis. I. 198. Maynorum. II. 17. Caprarum. 247.  
 Melancthon Philippus. I. 77. II. 27.  
 Melioratus Remigius. II. 226.  
 Menabenus Antonius. I. 23. Joannes, p. xv.  
 Menclotius Hieronymus. II. 239.  
 Merula Gaudentius Mediol. Profess. I. 104., MS. II. 44.  
 Merula Georgius Mediol. Profess. II. 44. 67.  
 Milanus Ludovicus Derthonensis. II. 297.  
 Millefantius Casar Mediolani Professor. II. 183.  
 Mina monetæ genus. I. 32.  
 Montanus Joannes Baptista. II. 227.  
 Montanus Cola Joannes Mediol. Profess. II. 224.  
 Montius Casar Cardinalis, de quo MSS. II. 182. Joannes Baptista. 114. Hieronymus Senator, Opera edita, & MSS. 182. elogium sepulchrale a Cicereio factum. ibid., idem. 251. 255. Vincentius. 103.  
 Morenius, *Distion. historic.*, lapsus. I. 51.

Morigia Paulus, typographica menda notantur.  
I. 7., errores alii. 104. 233. effigies. 236.  
Morosinus Joannes Baptista. I. 174.  
Moronus Christophorus, MS. II. 276. Hieronymus  
Magnus, effigies, ibid., Horatius Episc. ibid.  
Muratorius Ludovicus Antonius emendatur. I.  
48. 192. II. 123.  
Muretus Marcus Antonius. Epist. MS. II. 236.  
Murius Hieronymus. I. 219.  
Mylæus Christophorus. I. 251. 254.

**N**ICERONII lapsus. II. 52. 57.  
Niger Franciscus. I. 189. Franciscus alter Me-  
diol. Profefs. 190. Josephus item Mediol. Profefs.  
I. p. xvj. idem, 61. II. 225. Stephanus, ibid.  
Niger Gemonius Cajus, de quo Inscriptio. II. 82.  
Niger Petrejus Franciscus Cremonens. II. 119. 123.  
Novariensis Episcopi Moneta. II. 300., ea in  
urbe Inscriptio a Cicereio facta. II. 104.

**O**DESCALCHUS Joannes Antonius. Senator, cujus  
epitaphium. II. 270. Thomas Senator, ibid.  
Oltrocchi Balthasar Ambros. Biblioth. Præf. II. 62.  
Ongalesius Alexander. II. 31.  
Opitographa scripta. I. 87.  
Orationum insignis collectio. II. 62.  
Ofnaga Ursula secunda Philelphi uxor. I. 140.  
Ofsulæ Comitatus. V. Novariens. Episc.  
Ovidii Carmina junioris quæ? I. 169.

**P**ACANIUS Bartholomæus. II. 105.  
Palantia oppidum, de quo MS. I. 31.  
Palatius Antonius. V. Bibliothec. Bibliograph.  
Palcarius Aonius Mediolanensis Professor, MSS.  
II. 57. idem. 171. 249.  
Pallas, quod ejus vestimentum? II. 104.  
Panigarola Franciscus Episc. II. 299.  
Panvinus Onuphrius. I. 53. II. 130. 226. 235.  
Papius Angelus. II. 63. 155.  
Parrhasius Janus Mediol. Professor. I. xxxj.  
Parritius Andreas, Epist. MS. II. 130.  
Peraxylus Arlenius Nicolaus. I. 123. 163.  
Perenotus Antonius Cardinal. II. 152.  
a Petra Brunorus, effigies. II. 122.  
a Petra Mauritius Episc. II. 299.  
Petronianus C. Valerius, Inscriptio. II. 153.  
Pezzius Franciscus, MS. II. 136.  
Philelphus Franciscus Mediolanensis Professor,  
MS. I. 139. rara editio. I. 140. idem. II. 172.  
Piccolomineus Silvius Æneas, MS. II. 32. 49.  
Marcus Antonius. 299.  
Pilius Barnabas. II. 180.  
Pinellus Vincentius. II. 231. 236.  
Pirovanus Carolus. II. 180. Philippus, ibid.  
Philippus alter. 183.  
Platus Platinus. II. 69. Domitius, MS. ibidem.  
Ludovicus. 68. Flaminius Cardinalis, ibid.  
Hieronymus, vel Octavius. 69. 127. Octavius  
alter, ibidem. Julianus, cujus Inscriptio in  
S. Ambrosii. 69. Philippus. ibid.

Plinii Inscriptio (olim extans in S. Ambrosii)  
de legato suo testamentario, ad quos perti-  
neat, quæstio. I. 108. Inscriptio alia Comi. 109.  
Poggius Florentinus. I. 142.  
a Porta. V. Gambertum.  
Postellus Gulielmus. II. 33. 34.  
de Prato Andreas, MS. II. 107.  
Priscianus, MS. II. 49.  
Purpuratus Hieronymus, Ep. MSS. I. 53.  
Puteanus Ericius Mediol. Professor. I. xxxj.

**R**AInOLDUS Alphonfus. II. 138. Jo. Baptista  
Senatus Præses. II. 162. 230.  
Rangonus Guidus. II. 226.  
Rafarius Joannes Baptista. II. 135. 138. 181. 231.  
Recalcati Joannes. I. 142.  
Regio-Lepidum. V. Folian.  
Reptinus, de quo Inscriptio. II. 165.  
Resta Joannes Jacobus Mediol. Professor. II.  
178. Joannes Jacobus alter. 179.  
Riccius Antonius Abbas S. Ambrosii. II. 32.  
Richardus Jacobus Senatus Præses. II. 137. 151.  
Rogerius Antonius Franciscus. II. 174.  
Rovegnatinus Georgius, de quo error emenda-  
tus. II. 103.  
Rovidius Alexander Senator. II. 233.  
Rovidius Cæsar Ticin. Professor, MSS. II. 230.  
idem. 257. 273.  
Rovilius Marcus Antonius, Epist. MS. II. 143.  
idem. 235.  
Rufus Virgineus. I. 83.  
Rugginellus Julius Cæsar. II. 279.  
Ruica Joseph, MS. I. p. xxxij.

**S**ACCUS Joannes Baptista. I. 245.  
Sadoletus Jacobus Cardinalis, Ep. MSS. I. 143.  
Sartius Paulus, MS. II. 65.  
Secura, Segura, Sicudi pagus. II. 232.  
Senensis Monumentum. V. Vignal.  
Seprii comitatus. I. 8. 48.  
Sfondratus Jo. Baptista. MSS. I. 53. Franciscus  
Episc., & Cardinalis Mediolani jacens, de  
eodem Cicereii elogium. 52. 53. alia. Ibi-  
dem, & 219.  
Sfondratus Nicolaus Summus Pontifex Grego-  
rius XIV. Mediolani natus, 52. Paulus,  
epist. MS. II. 162.  
Sfortia Franciscus I., Inscriptio. II. 25.  
Sfortia Franciscus II. MSS. Epist., & monu-  
menta varia. II. 120. 121. 122.  
Sfortia Galeatus M., de quo MS. II. 137.  
ejus liber. 298.  
Sfortia Hippolita, MS. I. 173.  
Sfortia Magnus Attendulus Jacobus, vita MS.  
II. 123., effigies. 122.  
Sfortia Maximilianus, liber ejus usui, II. 122.  
Sfortiadum Principum effigies. II. 121. 122.  
7. Siculus Cornelius Mediol. Profefs. I. p. xvj.  
106. II. 238.  
Sigonius Carolus, MSS. II. 130. idem. 180. 182.

Simonetta Scipio Senator. *II.* 187. Cicus, de quo MS. *ibid.*  
 Sitonus Jo. Baptista. *I.* xxvj. xxvij. MS. *II.* 179.  
 Soma oppidum olim sub jurisdictione Seprii. *I.* S.  
 Specianus Jo. Baptista. *II.* 224.  
 Stampa Hermes. *I.* 53.  
 Stratiogæ Comitatus. *I.* 8. 43. 192.  
 Sturmius Nicolaus, Epistola. *II.* 296.

**T**ÆGIUS Ambrosius, opera. *II.* 103. Jo. Ambrosius Taegiani Gymnasii Conditor, *ibid.*  
 Tapparellus Sebastianus. *II.* 287.  
 Tartalea Nicolaus. *I.* 62.  
 Tatti Aloysius notatur. *I.* 118.  
 Terzagus Aloysius. *II.* 137. Jacobus Philippus, MS. *II.* 32. 137. Lucilius Mediolani Professor. *I.* p. xxij. Opera MSS., & edita. *II.* 137. 245. Epist. 244. *Idem.* 181.  
 Theodora prima Philelphi uxor. *I.* 139.  
 Thoracis usus quando induci coepit? *II.* 97.  
 Thücius Egidius. *II.* 79.  
 Thus, ejus usus quam antiquus? *II.* 95.  
 Thyanæus Apollonius, MSS. latina versio. *I.* 108.  
 Tiraboschius Hieronymus, diversa ab eo sententia. *I.* p. xiv.  
 Tortellius. *I.* 122.  
 Trajani inscriptio. *II.* 25.  
 Tridinus Ludovicus Ticinensis Profefs. *II.* 228.  
 Trivultius ex Marchionibus Carolus, Jo. Jacobi Magni Trivultii numisma a suppositione vindicat. *II.* 107. Agnetis Maynæ famam defendit, 173.  
 Trivultius Jo. Firmus, de quo inscriptio per Cicerium facta. 106. Georgius. MS. *I.* 236. *idem.* 250.  
 Trotius Camillus Senator. *II.* 296.  
 Turrianus Galpar. *II.* 127. 134.

**V** pro o in vocabulis antiquitus positum. *I.* 21.  
 Vairanus Thomas. *I.* 54.  
 Valeria Virginia, inscriptio cum explicatione. *I.* 83.  
 Valerius Jacobus. MS. *I.* 48. 54. 83. 125. 177. *idem.* 243.  
 Valerius Lucius Cælius, de quo Inscripção. *I.* 83.  
 Valerius Maximus Scriptor, de ejus patria questio tangitur. *I.* 81. Inscripção an de eo sit accipienda? *ibid.* Varia lectio, 154.  
 Valerius Maximus alter. *I.* 82.  
 Valla Georgius Mediol. Professor. *I.* 139.

Vallius Cardinalis. *II.* 105.  
 a Valle Franciscus. MS. *II.* 65.  
 de Valvassoribus Bartholinus, MS. *I.* p. xxvij.  
 Vavdius Joannes. *I.* 54.  
 Vaylate Joseph. *I.* p. xj. *II.* 288.  
 Vegius Maphæus, MS. *II.* 113. Scipio, MS. 44.  
 Velascus Jo. Ferdinandus Mediol. Moderator. *II.* 296.  
 Venustus Antonius Maria, patria, opera. *II.* 53. *idem.* 123. 130.  
 Veranus Thomas. *I.* 140. 141.  
 Verrus Comes Gabriel. *I.* 137.  
 Vicecomes Antonius. *II.* 12. Ambrosius. *I.* 41.  
 Azzo Mediol. Dñus, effigies. *II.* 301. Carolus Cardinalis. 127. Cæsar. *I.* 43. Coriolanus, MSS. Epist. *II.* 128. Hermes. *I.* 41.  
 Joannes Mediol. Archiepisc., & Princeps. V. Novariensem Episc. Joannes Baptista. *I.* p. xvj.  
 Joannes Galeatius Dux, Oratio MS. in ejus funere. *II.* 49. effigies. 301. Galeatius *II.* 151. Gaspar Archiepisc. *I.* 50. *II.* 151. Franciscus. *I.* 5. Matthæus Magnus, effigies. *II.* 300. Petrus Georgius. *II.* 128. Nicolaus Comes. *I.* p. xvj. Philippus M. Dux, numisma, effigies, & alia. 173. 301.  
 Vicedominus Franciscus. *I.* 5.  
 Vicomercatus Raphael, MS. *II.* 121.  
 Victorius Petrus, Epistola MSS. *II.* 235.  
 Vignalius Antonius, elogium sepulcrale. *II.* 209.  
 Villa Angelus Theodorus Ticinensis Profefs. *I.* 140.  
 Vincemala Hercules. *II.* 134. 138.  
 Vincii Leonardi pictoris opera aliqua. *I.* 121. 122.  
 Virgilius Maro Censores quos habuit? *I.* 150. quæ junior elucubravit? 169., alia. *I.* 15. *II.* 96.  
 Vitalis Janus plagii notatur. *I.* 140.  
 Vitalonius. *II.* 167.  
 Vulpius Benedictus. *I.* 205. 210. Defendens, 205. Hieronymus, Ulpianus. *ibidem.* *II.* Joannes Antonius Episc. *I.* 205. opera impressa, & MSS. *ibidem.* Fratribus suis natu major. 210. *idem.* 218. 238. 239.

**W**ILZECH Joannes Joseph S. R. I. Comes, in Austriaca Insubria, plena cum potestate Administrator. *I.* p. xvij.

**Z**AVA Franciscus Cremonens. *I.* p. xxiv. xxvij.  
 Zacchi Bartholomæus, MS. Epist. *II.* 182.

ABSOLTVS . ANNO . MDCCLXXXIII . SABBATO  
 ANTE . HYPAPANTEN . REGNANTE . GLORIO  
 SISSIMO . IMPERATORE . IOSEPHO . II . REGE  
 AC . DVCE . NOSTRO . LANGOBARDIAM . AV  
 STRIACAM . MODERANTE . FERDINANDO . FRATRE





